8
55 A
34

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II
8
55A
34
ROMA

D. DIONYSII CARTHVSIANI

de quatuor hominis nouiſsimis, liber, nunc in quatuor partes diuiſus,

QVARVM

I. de Morte. *III. de Inferni pœnis.*
II. de Iudicio. *IIII. de Gaudiis beatorum.*

EIVSDEM ITEM

De particulari iudicio animarum dialogus,

Acceſſit R. P. Ioannis Polanci è Societate Ieſu ad adiuuandos morituros methodus & nonnulla alia quæ in epiſtola dedicatoria continentur.

IN VIRTVTE, ET FORTVNA.

LVGDVNI,

Apud hæredes Gulielmi Rouillij.

1591.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

EDVARDO
Laurentio. I. V. Doctori, Domino de Sarra, & in Lugdunenſi iuris præfectura Aduocato. Petrus Maturus Societatis Ieſu Salutem æternam P.

SI quod vmquam opus, vel patrum noſtrorum, vel etiam noſtra memoria editum fuit, optime Eduarde, ex quo mortales ad ſui ipſorum cognitionem proficere valeant, certè ex his D. Dionyſij à Richel, qui ordinis ſui commune Carthuſiani nomen tamquam proprium adeptus eſt, de quatuor nouiſſimis, & de

particulari animarũ iudicio duobus libellis, mea quidem ſententia, ad hanc rem aſſequendam, vtilitatem haurire poſſunt maximam. Nam qui germanam, & exploratam, planéque compertam de hominum natura cognitionem habere cupiunt, ſi eam præſenti ſolum rerum ſtatu metiantur, ij ſanè toto cœlo errabunt: quòd ſi ex his, quæ poſtrema homini contingunt, ipſius naturæ humanæ conditionem rimari, & admirari contendant, ij ſanè ſapientes rerum humanarum æſtimatores, & iudices habebuntur. Atque hæc quidem hominum extrema, cùm plerique aliij ſcriptores, partim libris ſeparatim editis, partim cum aliis, de quibus agebant, argumentis hominum

num

num oculis ſubijcere conati ſint, tum D. Dionyſius in his duobus opuſculis, & doctorum Scholaſticorum more ſubtiliter, & aliorũ etiam ſcriptorum inſtar, copioſè adeo dilucidéque tractauit, vt nullum librorum genus eius argumenti euoluere tibi licere credã, quod magis mentem intelligentiámque hominis ad ea extrema cognoſcenda deducat, & ipſius affectum & voluntatem ad ea, vel pertimeſcenda, vel deſideranda magis inflammet. Quod quidem cùm Carthuſiani Patres, qui innumera pene ipſius opera, magna cũ Eccleſiæ vtilitate poſt ſanctiſsimum eius obitum typis mandari curauerunt, perſpexiſſent, hæc duo opuſcula non intra graues aliorum volumi

num moles includere, vbi fortè obſcura delituiſſet, ſed in breue quoddam enchiridion, ita contracta, vt à quocumque exiguo ære emi, faciléue legi poſſent, diuulgare decreuerunt. Quæ cùm aliàs Gulielmus Rouillius, cuius memoriæ pij omnes & docti plurimum debent, edenda curaſſet, omnibuſque iam diſtractis exemplaribus, ea iterum ipſius hæredes recudere in animo haberent, petierunt à me, vt antequam prælo opus committerent, ſedulò viderem, ſi quid vel in priori editione ab ipſis Typographis erratum foret, vel addi poſſet, quo aliqua acceſſione in manus hominum aucta venirent. Feci non inuitus, quod ſum rogatus, & licet in magnis eſſem temporis angu-

ſtiis

ſtiis, dedi in primis operam, vt magis emendata, & aliquibus ad marginem notatiunculis ornatiora illa opuſcula prodirent. Atque, vt non ſoluta modo D. Dionyſij, ſed numeris etiam aſtricta oratione eximij Eccleſiæ doctoris D. Auguſtini vel cuiuſcumque alterius pij ſcriptoris beatæ vitæ deſiderio accenderemur, addidi de gloria Paradiſi hymnum quẽdam, ex pio Meditationum ipſius libro depromptum: ac præterea Ioannis Polanci è Societate noſtra Methodũ ad moribundos adiuuandos, precéſque nonnullas, quibus animam agentes iuxta pium Eccleſiæ Catholicæ Romanæ ritum Deo commendari ſolent. Nam licet eo conſilio à Polanco liber ille conditus

Eſt capi. 26. illius operis.

tus

tus ſit, vt noſtræ in primis Societatis ſacerdotes, dum aliquando ad eos adiuuandos, qui morti vicini ſunt, euocantur, quaſi ad manum haberent, quæ illo tẽpore dicenda faciendáue ſint, illũ tamen non noſtris modo, ſed etiam aliis ſiue parochis ſiue religioſis, quibus pium hoc munus incumbit, adiumento futurum eſſe exiſtimauimus, & cuiusſlibet etiam Chriſtiani hominis intereſſe arbitramur eum, dum ſanus eſt, aßidue lectitare. Nam ſi apud Comicum ſenex quidam ita loquitur.

Teren. in Phorm. act. 2. ſec. 2.

Omnes cum ſecundæ res ſunt maximè, tum maximè
Meditari ſecum oportet, quopacto aduerſam ærumnam ferant.

Nonne rationi conſentaneum eſt, vt Chriſtiani omnes, dum ſano,

vege

vegetóque ſunt corpore, quacumque ratione ſeſe ad mortem comparare nitantur? Cùm porrò D. Dionyſius vno quaſi tractu de quatuor nouiſsimis ageret, nos illam tractationem in quatuor partes & quaſi membra ita diſtinximus, vt primum quidem morti, ſecundum iudicio vniuerſali, tertium inferorum pœnis, quartum denique Beatorũ gaudiis aſsignaremus. Atque ego quidem, præter epiſtolam Euſebij de D. Hieronymi morte (quam doctiſsimus epiſcopus Amerinus Marianus Victorius poſt D. Antoninum, prorſus eſſe confictã, planéque cõmentitiam eſſe dicit) nihil ex his quæ dubiam ex incertis auctoribus habere fidem poſſe videntur,

Maria. Vict. in epiſt. tom. 9. operũ D. Hiero. præpoſita, & D. Anto. in 2. part. hiſt. cap. 6. §. 1.

cenſura vlla notáre volui, exiſtimans parum, aut nihil potius cuiuſcumque lectoris pietati, aut religioni poſſe officere, quamcumque quis de his narrationibus habeat credulitatem. Hæc verò omnia cùm noſtra primū opera, ſic in vnū quaſi corpus coagmentata prodirent, tu mihi occurriſti, optime & religioſiſsime Eduarde, cui ſane commendari poſſe viderentur: qui cum benemerēdo de omnibus egentibus præſertim & calamitoſis perſonis tibi æternas in cælorū regno ſedes parare non ceſſes, facis, vt mors ipſa, & ea quæ ipſam conſequuntur, extrema pene omnia tibi ſint expetenda. Atque ita etiam hoc qualecumque meæ illius in te obſeruantiæ teſtimo-

nium

nium extabit, qua te dum viuam ob ſingularem tuam eximiamque in Deum pietatem, in patriam caritatem, in egenos liberalitatem, in noſtrum ordinem & omnes religioſas familias ſtudium & beneuolentiam ſemper proſequar, & ob quam ſupplex à Deo ſemper petam, vt qui cùm reliquo vitæ tuæ tẽpore, tum in hac tua ætate penè Neſtorea tot te donis ditare dignatus eſt: is etiam ſummum illum fauorem, quem iis, qui in cœlis cum ipſo vitam beatam degunt, impartitur, in omnem tibi concedat æternitatem. Vale, ex noſtro Muſæo 28. Auguſti die D. Auguſtino ſacro. 1590.

ARTI

ARTICVLORVM, HOC eſt, omnium quæ hoc D. Dionyſij de quatuor hominis nouiſſimis tractatu continentur.

ELENCHVS.

PRoœmium operis quo illa Moſis ſententia gens abſque conſilio & ſine prudentia vtinam ſaperent &c. expli-catur pag. 1
1 De cõnexione & ordine horum quatuor nouiſſimorum pag. 4
2 Quàm metuenda & amara ſit mors corporalis in ſeipſa & ex naturalibus cauſis pag. 6
3 Quòd mors ſit vehementer ac iugiter metuenda, propter periculoſiſſimas atque grauiſſimas tẽtationes, quas habere ſolent agonizantes mox morituri 10
4 Quàm metuenda ac præmeditanda ſit mors, eò quòd poſt eam non eſt reditus ad ſtatum promerendi, pœnitendi & recuperandi neglectam gratiam & ſalutem 16
5 Salubris imaginatio de diſpoſitione hominis morientis 19
6 De diuerſis effectibus qui oriũtur ex cõſideratione atque timore mortis 24
7 De primo effectu meditationis mortis,

tis, videlicet de pauore quem ſuſtinent morientes 28
8 De ſecundo effectu qui ex intenta mortis meditatione conſurgit 30
9 De tertio effectu ex meditatione mortis naſcente 35
10 De quarto effectu ex mortis meditatione ortum habente 42
11 De quinto effectu ex meditatione mortis naſcente 48
12 De ſexto effectu ex meditatione mortis manante 51
13 Exhortatio ad mortem ſalubris ex conſideratione ſublimium perſonarum, quæ mortis legibus ſubiacuerunt 55
14 Recitatio exemplorum & hiſtoriarum, ex quibus debet homo accendi ad aſſiduam mortis præparationem 60
15 De miſeriis & ærumnis humanæ conditionis 66

SECVNDA PARS huius operis.

1 De ſecundo quatuor nouiſſimorum, puta de futuro Dei iudicio, cui attribui poſſunt omnes actus, qui iam antè aſſignati ſunt morti 70
2 Quàm valde metuendum ſit futurum Dei iudicium, ex diſtrictione iudiciorum, quæ Deus interdum exercuit in hoc

hoc mundo 73
3 De multis rebus,ex quarũ conſideratione innoteſcit, quàm metuendum, & rigoroſum ſit futurum Dei iudiciũ, tam generale in fine mundi,quàm particulare in ſingulorum hominum obitu 79
4 De terribilitate diuini iudicij ratione ſummæ authoritatis & extremæ excellentiæ iudicis Chriſti 82
5 Quàm metuendum ſit Dei iudicium propter infinitam ſapientiam eius 86
6 De horribilitate diuini iudicij propter omnipotentiam iudicis ſummi 92
7 De terribilitate & rigore diuini iudicij ex parte diuinæ iuſtitiæ 96
8 Quòd diuinum iudicium ſit incomparabiliter metuendum, eo quòd ipſe iudex altiſſimus,ſit iudex & pars 101
9 De terribilitate ac diſtrictione diuini iudicij,ex parte beneficentiæ Dei 106
10 De terribilitate diuini iudicij ex parte iudicandorum 110
11 Quòd diuinum iudiciũ ſit ineffabiliter metuendũ ex parte ſententiæ iudicis & retributionis finalis, quæ eſt æterna damnatio aut perfecta beatitudo 115
12 De terribilitate generalis iudicij ex parte ſignorum quæ illud præcedent 121
13 De terribilitate diuini iudicij, ex

parte

parte diſpoſitionis, in qua mundus tunc ſtabit 126
14 De horribilitate extremi iudicij, ex parte exercituum iudicis ſummi, qui aderunt ibi 130
15 Quòd diuinum illud generale iudicium erit valde horrendum, propter omnium intellectualium & rationalium creaturarum præſentiam 133
16 De metuenda ſeueritate extremi iudicij ex parte eorum qui accuſabunt iniquos 137
17 De maxima horribilitate extremi iudicij, eò quòd de ſingulis fiet diſtrictiſſima exactio à iudice ſummo 140
18 De ordine, proceſſu, & conſummatione extremi iudicij 146
19 Recitatio exempli terribilis, ex quo patet veritas horum quæ dicta ſunt de terribilitate ac rigore diuini iudicij 151

TERTIA PARS huius operis.

1 De tertio nouiſſimorum, quod eſt pœna inferni 155
2 Quòd acerbitas infernalis pœnæ attendi poteſt ex eiſdem, ex quibus conſiderantur grauitas vitiorum, ac diſtrictio diuini iudicij 156
3 De multis quæ circa pœnas inferni ſunt

ſunt conſideranda 159
4 De æternitate infernalium tormentorum 163
5 De acerbitate pœnarum inferni 167
6 De diuerſitate & varietate tormentorum inferni 173
7 De vniuerſitate infernalium tormentorum 185
8 De grauitate pœnarum inferni ex parte magnæ, ac miſeræ, & deſolatiſſimę ſocietatis damnatorum 191
9 De diſpoſitione loci infernalis 193
10 De grauitate pœnarũ inferni propter irrecuperabilitatem temporis hîc amiſſi & damni inde ſecuti, & de mala puritate infernalium tormentorum 198
11 De pœna damni damnatorum 200
12 De acerbitate infernalium ſuppliciorum ex parte patientium ea 203
13 De acerbitate pœnarum purgatorij & inferni, ex reuelationibus fide dignis fidelium perſonarum 208
14 De pœnis purgatorij S. Patritij 216
15 De eadem materia ex Tondali viſione 221
16 De eadem matéria ex libello de vita Chriſtianæ mirabilis 224.225
17 De eadem materia ex reuelationibus ſanctæ Brigittæ 229
18 Quòd

18 Quòd mali Chriſtiani multò acerbi⁹ torqueãtur ĩ inferno quàm infideles 231
19 De acerbitate pœnarum purgatorij, & inferni, ex his quæ leguntur in libello de obitu ſancti Hieronymi 233
20 Qualiter intelligenda ſint ea, q̃ tacta sũt, ex viſionib⁹ prænarratis de ſuppliciis animarum in purgatorio & inferno 236

QVARTA PARS
huius operis.

1 De quarto nouiſſimorum, ſcilicet de gaudiis cælorum 241
2 Quòd pius omnipotensq́; creator ad eãdẽ beatitudinẽ creauit genus humanũ, ad quã in exordio mũdi creauit Angelorũ vniuerſitatẽ ac ſublimitatẽ 244
3 Quòd beatitudo ſanctorum in clara & immediata viſione Dei conſiſtens, ſit ineffabiliter glorioſa, iucunda, deificatiua atque digniſſima 249
4 De multis, & magnis, atque innumerabilibus gaudiis beatorum 254
5 De multis, ex quibus perpenditur, quàm inenarrabiliter magna ſit beatitudo, pulchritudo, ornatus & gloria ſanctorum in cælo 260
6 De beatiſſima & delitioſiſſima refectione ſanctorum in cælo 269
7 Quòd ſancti in cælo ex omni parte

 habent

habent copioſiſſimam rationem atque materiam multiplicium gaudiorum 277

8 De quibuſdam iucunditatibus animarum felicium,& hominum beatorum poſt diem iudicij,quas Angeli ſancti non habent 285

9 De iucundiſſima felicitate ſanctorum , ex parte glorioſæ ſocietatis eorum 289.290

10 De beatitudine electorum, ex parte amœniſſimi loci eorum 296

11 De variis fructibus & gaudiis æternæ felicitatis 301

12 Excitatio cordis ad appetendum inceſſabiliter, ac feruenter beatitudinem æternalem 304

13 De effectibus conſiderationis ac deſiderij æternæ felicitatis 311

14 Exhortatio ad promerendum beatitudinem æternalem, & qualiter eam compendioſius promereri & adipiſci poſſimus 316

Hymnus de gloria paradiſi ex meditationũ D. Auguſtini libro deprõptus 322

Dialogus de particulari iudicio animarum continet Articulos 40

Procœmiũ quo exponitur hic locus Apoſtoli *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti* 325

1 Quæſtio

1 QVæſtiones fratris circa prologum & reſponſio authoris ad eaſdem 329
2 De loco ac tempore particularis iudicij animarum credentium 336
3 De particulari iudicio animarum, ex dictis beati Thomæ 314
4 Ex dictis Diui Bonauenturæ, Alexandri de Hales & aliorum doctorum de eadem materia, & præſertim de modo, forma, ac duratione particularis iudicij 349
5 Confirmatio eorum, quæ dicta ſunt de loco & tempore particularis iudicij, ex verbis ſanctorum patrum & præcipuorum doctorum 354
6 Obiectiones contra præhabita & reſponſio ad eaſdem 356.357
7 Solutio inſtantiarum iſtarum 360
8 Reſponſio ad auctoritates, quibus aliqui probare conati ſunt, quòd animæ iudicentur à Chriſto, antequam egrediantur à corpore 369
9 Declaratio ex reuelationibus ſanctæ Brigittæ viduæ, quòd animæ iudicantur poſt egreſſum à ſuis corporibus 571
10 Confirmatio prædictorum ex his quæ in libro de obitu ſancti Hieronymi recitantur 374.375

11 An Chriſtus quaſi in cruce poſitus appareat ſingulis ante mortem 379
12 Vtrum horum iudiciorum duorum videatur magis horribile ac timendum, particularéne an generale 381
13 Quàm metuendum ſit particulare iudicium 388
14 De pœnis purgatorij 393
15 Solutio obiectionum præcedentis articuli 398
16 Qualiter animæ ſeparatæ ac dæmones poſſint affligi & torqueri ab igne corporeo 408
17 De alia quorundam doctorum poſitione, circa modũ quo incorporei ſpiritus affliguntur ab igne materiali 414
18 Quid verius videatur de modo, quo animæ ſeparatæ ac dæmones affliguntur ab igne materiali 419
19 Proſecutio declarationis qualiter animæ ac dæmones poſſint tam dirè affligi à corporeo igne 424
20 Demonſtratio per exempla quàm acerbiſſimè patiantur animæ defunctorum ab igne purgatorij & inferni 428
21 Quid ſentiendum videatur de viſione Tondali militis, & an viſio illa facta ſit anima Tondali exiſtente in corpore, an eo veraciter mortuo 432.433
22 Intro

22 Introductio dubiorum quæ circa hæcoriuntur 440
23 De quibuſdam in viſione monachi Anglicani contentis 445
24 De purgatorio ſancti Patritij 450
25 Dubiorum circa hæc orientium propoſitio 454
26 De triplici viſione 456
27 Ex quibus queat cognoſci aut perſuaderi, quòd viſiones & reuelationes, illuminationes & conſolationes ſint verè à Deo 460
28 Quòd viſiones Tondali & monachi Anglicani,& quæ de purgatorio Patritij factæ ſunt, videantur veræ & fide dignæ 462.& 463
29 Solutio dubiorum quæ circa viſionem Tondali mota ſunt ſuprà articulo vigeſimoſecundo 466
30 An animæ in purgatorio ſatis punitæ, & igne purgatorio ſatis purgatæ, mox euolēt in paradiſum cæleſtem 477
31 Perſuaſiones, ex quibus apparet, quòd animæ in purgatorio ſatis purgatæ, primò ingrediantur paradiſum terreſtrem, deinde cæleſtem 485
32 An minima purgatorij pœna ſit maior quacumque pœna vitæ præſentis 488.& 489

33 De acerbitate pœnarum purgatorij & inferni 492
34 De præparatione quotidiana ad mortem & ad mite iudicium 497
35 Qualem debeat homo imaginationem de morte ac moriente ſuo cordi imprimere, atque aſsiduè diligenter reuoluere 502
36 De tentationibus quæ agentibus in extremis accidere ſolent, & de remediis contra eas 505
37 Quomodo aſsiſtendum ſit mox morituris, & quomodo ipſi ſe debeant habere 522
38 Orationes migraturo dicendæ, vel ab his qui affuerint ei 517
39 De ſpecialibus orationibus tempore mortis vel agoniæ 520
Ad patrem tres 522.523.524
Ad filium tres 525.526.527
Ad ſpiritum ſanctum tres 529.530.531
Ad ſanctiſsimam Trinitatem vna 532
Ad virginem glorioſam Mariam & omnes ſanctos vna 533
Commendatio animæ emigrantis 534
40 Quàm charitatiuum & benignum ſit ſubuenire defunctis 535

D. DIO

D. DIONYSII CARTHVSIANI IN LIBRVM DE hominis quatuor nouiſſimis proœmium.

GENS *abſque conſilio eſt, & ſine prudẽtia. Vtinam ſaperent & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.* Hæc verba locutus eſt ſanctus Spiritus per Moſem de vniuerſis iniquis hominibus, in quibus non eſt conſilium, id eſt debita inquiſitio de agendis, nec vera prudentia, quæ eſt virtus. Agenda namque & implenda ſunt Dei præcepta, quæ totam hominum vitam dirigunt & gubernant Qualiter autem adimplenda ſint Dei præcepta, impij non inquirunt: & ſi eis dicatur qualiter ſint implenda, non curant: ſed (vt Salomon loquitur) *abſque vllo timore perpetrant mala; imò lætãtur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Talium errori atque periculis quaſi compatiens Deus, ait: *Vtinam ſaperẽt,* id eſt, cum guſtu mentis agnoſcerent quàm ſummè & incomparabiliter aman

Deut. 32.

Expoſitio loci Deuteronomij.

Eccleſ. 8.

Prou. 2.

Deut. 32

dus, metuendus ac honorandus ſit Deus
omnipotens, qui poteſt ſaluare & dam-
Mat. 20. nare. Vnde in Euangelio Chriſtus horta-
Luc. 12. tur: *Eum timete qui habet poteſtatem cor*
Mat. 10. *pus & animam perdere in gehennam. Et*
intelligerent, hoc eſt, aduerterent & pēſa-
rent in quàm periculoſo ſint ſtatu, quàm
viles, ingrati, inſipientes, damnabiléſque
conſiſtant corā altiſsimo. De his etenim
Salomon dixit: *Stultorum infinitus eſt*
Eccl. 1. *numerus.* Nónne ſtulti ſunt omnes, qui
voluntati optimi ac fideliſsimi creatoris
ac Dei ſui obedire renuunt, & voluntati
crudeliſsimi hoſtis ſui diaboli obtempe-
rare non ceſſant, qui animas ſuas quoti-
die letalibus vulneribus lædere & occi-
dere non verentur, infernaleſque pœnas
ſibi augēt grauiſsimas, atque excæcatis
oculis cordis currunt ad inferos? De qui-
Iere. 2. bus per Ieremiam prophetam locutus
eſt Deus: *Quid iniquitatis inuenerunt in*
me, quia elongauerunt ſe à me, & abie-
runt poſt vanitatem, & vani facti ſunt?
Iſaia 28. Miſeri iſti (quemadmodum Iſaias pro-
pheta teſtatur) *percuſſerunt fœdus cum*
morte, & cum inferno pactū inierunt. De
Deut. 32 quibus Dominus ſubdit, *Ac nouiſſima*
prouiderent. Quæ ſi prouiderent, inqui-
rerent vtique quid Deus ab ipſis exige-
ret

ret, quid eis præceperit, & qualiter poſſent ei placere per obſeruantiam præceptorum, per diligentem quoque & indeſinentem cordis ſui cuſtodiam: ſicque ſollicite & timorate ambularent in præſentia & aſpectu ſummi ac metuẽdiſsimi iudicis ſui. Cùm ergo prouidentia nouiſſimorũ ad huiuſcemodi vitam excitet & inducat, de his nouiſsimis in hoc tractatu auxiliante Dño loqui intendo, de quibus tñ alius quidam venerabilis religioſus cõpendioſum edidit librum. Nihilominus de tã fructuoſa materia conſcribi queunt & alia multa, quæ ille non ſcripſit. Inſuper ſicut ſancti patres cõcorditer docuerunt, Nouiſsima iſta ſunt quatuor: Primum eſt mors corporalis, quæ eſt vltimum ac terminus præſentis vitæ. Secundũ eſt iudiciũ Dei, quod eſt vltima ſententia de hominibus danda. Quæ duo nouiſsima ſunt omnibus (ſcilicet electis ac reprobis) communia. Tertiũ eſt pœna inferni, quæ eſt iniquorum merces finalis. Quartum eſt beatitudo æterna, quæ eſt electorum præmium vltimatum plenum & conſummatum.

Mich. 6.

Quatuor nouiſſima.

LIBRI DE QVATVOR nouiſſimis prima pars quæ eſt de morte.

De connexione, & ordine horum quatuor nouiſſimorum.

ARTICVLVS I.

Eccleſ.7. IN *omnibus operibus tuis memento nouiſſimorum.* In Eccleſiaſtico ſcripta ſunt verba hæc. In quibus admonemur, vt nouiſsima iſta iugiter, ac indelebiliter noſtræ imprimamus memoriæ, & in cũctis quæ agimus, ea penſemus, ne Deũ in aliquo offendamus. Porrò inter iſta nouiſsima primũ eſt mors, ſecundũ eſt iudicium, tertiũ damnatio infernalis, quantũ ad iniuſtos, ac reprobos: ſed quo ad electos & iuſtos, tertiũ eſt beatitudo cœleſtis, ad quam quidam pertingunt abſque intermediis purgatorij pœnis, videlicet infantuli baptizati ante vſum rationis morientes, ac martyres ſancti & animæ perfectorum, qui pro ſuis culpis in vita hac ſatisfecerunt plenariè. Aliqui verò ad felicitatem illam perueniunt per purgatorias pœnas. Prætereà, quãuis mors corporalis ſit in ſeipſa valde pœnalis, ac metuenda, in tantum, vt dicat Philoſophus: omnium terribilium terribiliſsimum

Aug. lib. 10. ſuper Ge.ca.13

Ariſt. 3. ethic.

mum eſt mors, non tamen eſſet tantùm metuenda, niſi eam mox concomitarentur duo alia nouiſsima morte horribiliora, videlicet particulare iudicium, quod fit in obitu ſingulorum, & pœna inferni quantum ad reprobos, ſeu pœna purgatorij, quo ad quoſdam electos. Similiter quamuis tam particulare quàm generale iudicium Dei ſit ineffabiliter metuendum & rigoroſum, in tantum vt dicat Apoſtolus, *Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* Et ſanctus Iob. *Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me & abſcondas me Domine, donec pertranſeat furor tuus?* Attamẽ iudicium Dei non eſſet tam metuendum, niſi tam graue & æternale ſupplicium cõcomitaretur illud in reprobis, pœna ſcilicet infernalis. Pœna quoque purgatorij formidanda eſt valde: quia (vt aſſerit Auguſtinus) pœna illa excedit omnia mundi huius tormenta: quamuis Martyres & ſancti acerbiſsimas ſuſtinuerunt pœnas, & crudeliſsimas ac immaniſsimas mortes. Itaque dum iudicium Dei dicitur vnum quatuor nouiſsimorum, per iudicium Dei intelligi poteſt tam particulare iudicium, quod (vt tactum eſt) fit in morte quorumlibet hominũ, quàm vniuerſa

Heb. 10.
Iob 14.
Aug. lib. de vera & falſa pœn. cap. 18.

uerſale iudicium in fine mundi futurum. Poſtremò, infernale ſupplicium nō eſſet tam metuendum, niſi ei eſſet annexa pœna damni, id eſt perpetua irrecuperabiliſque priuatio perfectæ ac ſempiternæ ſalutis: qua carere magis eſt metuendum quam ſenſibiles pœnas inferni ſuſtinere.

Quàm metuenda & amara ſit mors corporalis in ſe ipſa & ex naturalibus cauſis.

ARTICVLVS II.

SIcut homo naturaliter appetit eſſe, & viuere, atque gaudere: ſic naturale eſt ei amariſsimam mortem ac pœnas eam præcedentes metuere. Veruntamen homines virtuoſi, perfecti & ſancti ſolent mortem optare, in quantum eſt terminus miſeriarum & culparum vitæ præſentis, ac ianua futuræ fælicitatis. Meritò etenim cupiunt mortem, qui nihil in hoc mundo illicitè amant, vniuerſaſque ſeculi vanitates, voluptates, opes, honores, ac proſperitates vili pendũt & aſpernantur. Ardentiſsimo quoque affectu ad beatificam viſionem Dei ſui, quem ſuper omnia toto diligũt corde, aſpirant, atque cœleſtium deliciarum ac æternalium diuitiarum deſiderio inardeſcunt, cũ propheta dicentes: *Quemadmodum deſiderat* Pſal.51.

rat

rat ceruus ad fontes aquarum : ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Ex tali affectu dixit Paulus Apoſtolus: *infelix ergo homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Id eſt, de corpore iſto mortali & ærumnoſo. Itemque: *Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.* Nihilominus mors in ſe cõſiderata, vt eſt amariſsima pœna & amiſſio vitæ animalis humanæ, eſt naturaliter formidabilis & horrenda, in tantum, quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus morti propinquãs, ex naturali mortis horrore ſpõte aſſumpto cœpit pauere & tædere, ac contriſtari. Denique talis timor mortis moderatus, eſt vtilis, quoniam retrahit hominem à delectatione carnali, & vanitatibus mundi. Qui enim prudenter perpendit, quàm pœnoſus finis, quàm acerba mors, quàm moleſtiſſima ægritudo ſibi quotidie appropinquent, & forſan de proximo inſtẽt, à diſſolutione & vana ſecuritate, à iocis, ludis, & riſibus ſe refrenat, dicens cum Salomone: *Riſum reputaui errorem, & gaudio dixi: Quid fruſtra deciperis?* Sicque ex corde ſentit verũ eſſe, quod rurſus ſapiẽtiſſimus Salomon

Rom. 7.

Philip. 1.

Marc. 14.

Eccleſ. 2.

lomon teſtatur: *Melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. In*
Eccle. 7. *illa enim*, (videlicet in domo luctus) *finis cunctorum admonetur hominem, & viuens cogitat quid futurus ſit, & quid*
Prou.28. *ei eueniet*. Hinc, vt ait ſcriptura: *Beatus*
Hieronymus contra Iouinia lib.2. *homo qui ſemper eſt pauidus*. Hinc quoque glorioſi doctores Hieronymus & Auguſtinus deſcribũt, quòd Plato nobilis & ſublimis Philoſophus, relicta delicioſa & pulchra Athenienſium ciuitate, cum quibuſdam ſuis diſcipulis commo-
Academia platonis qualis. rari elegit in villa quadam antiqua & ruinoſa, frequenti terræmotu & tempeſtatibus penè euerſa, quatenus timore periculorum, ac mortis mortificarent in ſe vitia carnis, & à concupiſcentiis, cætériſque peccatis ſe frænarent. Si gentiles magiſtri egerunt hoc, quantò magis Chriſtiani deberent ſeipſos à delectationibus timore mortis reprimere? Prætereà, vt ex præmeditatione mortis oriatur in nobis talis timor ſalubris, conſideranda eſt diſpoſitio morientis. Intuere ergo, quemadmodũ imminẽte terribili hora ſeparationis animæ à corpore ſuo, ad quod naturalem habet inclinationem & amorẽ, totus homo palleſcat, pedes refrigeſcãt, infirmæ manus nigreſcãt, vultus

tus diſcoloretur, oculi tenebreſcant ac profundentur, & præ intolerabili pœnarum anguſtia euertantur. Vide quomodo pili labantur, frõs obduretur, membra cuncta rigeſcant, mentum ruat, labia infrigidentur, os etiam cõtrahatur, pulſus caprizet, halitus quoque ex profundo ſeipſum recolligẽs deficiat, & ecce mox adſunt pũcturæ mortis & preſſuræ mortiferæ: aculeũ ſuum vſque in cor (quod eſt primum viuens & vltimum moriens) imprimentes, tunc demum ſuperuenit & erumpit ſudor mortis, naturam iam victam eſſe demonſtrans: ſicque præualentibus pœnis corrumpitur præ dolore, & anima de habitaculo ſuo eiicitur. Si hanc morientium diſpoſitionem penſemus, & nobis in breui taliter euenturum diligenter quotidie perpendamus, non dubium, quin ſalubrem concipiemus formidinem mortis.

Quòd mors ſit vehementer, ac iugiter metuenda, propter periculoſiſſimas atque grauiſſimas tentationes, quas habere ſolent agonizantes mox morituri.

ARTICVLVS III.

Deſcendit ad vos diabolus habens iram magnam, ſciens quia modicum tẽpus habet. Callidiſſimi atq; nequiſſimi hoſtes *Apoc.12.*

hoſtes animarum noſtrarum dæmones, agnoſcẽtes mortem eſſe terminum merendi, ac demerẽdi, & animas in ea affectione, in qua per mortem recedunt à corporibus, immutabiliter permanere, in ipſa hora mortis accerrimè tentant agonizantes. Quoſdam enim conantur ad deſperationem inducere, eos præſertim, quorum vita fuit negligens & iniqua: alios verò nituntur ad complacentiam ſui immoderatã, atque ad nimiam ſecuritatem & præſumptionem ſuorum trahere meritorum: & ſic ſolent quoſdam religioſos ac bonos ſeculares tentare. Nonnullos tentant de impatientia propter infirmitatum ſuarum acerbitatem. aliquos autem tentant in fide, conantes eos ad aliquid veræ fidei contrarium, vel ad blaſphemiam excitare. Cæteros (potiſſimè ſeculares) tentant de nimia occupatione circa temporalia, quæ relinquunt, & circa propinquos, & circa diſpoſitionem rerum ſuarum. Inſuper eundem agonizantem frequenter tentãt pluribus modis iam tactis vel etiam aliis. Quem enim ad deſperationem, infidelitatem, aut impatientiam pertrahere nequeunt, ad ſpiritalem ſuperbiam, gloriam vanam, complacentiam

ſui

ſuiipſius inſipientem, aut præſumptionem inducere moliuntur. Et quamuis iam dictum ſit, quòd iniquos & negligentes ſoleant ſpecialiter de deſperatione tentare: iuſtos autem de complacentia vana & præſumptione: attamen interdum contingit, quòd etiam viros valde virtuoſos & perfectos hora mortis tentent de deſperatione, infidelitate, aut de blaſphemia, ſicut leguntur ſanctum Euſebium beati Hieronymi cariſſimum diſcipulum diu atque acerrimè impugnaſſe. Aliquando quoque quoſdam negligentes religioſos, prauóſque ſæculares periculoſiſſimè tentant in extremis de nimia ſecuritate: ita quòd parum aut nihil vereentur Dei iudicium, nec ſua deplorant peccata, ſuggerentibus eis dæmonibus miſericordiam Dei eſſe immenſam & peccatorem conſequi veniam, *quacunque hora pro ſuis gemuerit culpis.* Itaque contra omnia hæc tentamenta oportet agonizantem eſſe munitum: & niſi ante ſuam infirmitatem fuerit contra hæc armatus virtutibus, & arte ac vſu pugnandi contra inuiſibiles hoſtes inſtructus, & exercitatus, aut vix, aut non præualebit tempore mortis: niſi forſan ex valde ſpeciali & gratioſo auxilio Dei, & Angeli

Lucta Euſebij in extremis. ſed ex libro vano, qui ſub finem operũ D. Hierony. & ſub Cyrilli nomin. habetur ſumpta.

Ezech 18.

ſui ſancti, ſeu virginis glorioſæ, ſeu matris eius beatiſſimæ Annæ, aut aliorum ſanctorũ. Etenim Deus piiſſimus & Angeli eius, ac ſancti in hora tantæ neceſſitatis non deſunt electis, ſed prout antè aliquo modo promeruerunt agonizantes, ſic eis ſubueniunt. Debent ergo agonizantes eſſe firmi in fide, atque in fide totius vniuerſalis Eccleſiæ ſecuriſsimè mori, nec cõtra dæmones de fide tentantes diſputare, ſed ipſos potius deridere, & ad implorandum pietatem & gratiam Dei corda ſua conuertere. Prætereà, contra tentationem deſperationis debent eſſe armati ſpe pietatis diuinæ, & certi eſſe, quòd miſericordia omnipotentis maior ſit in infinitum, quàm vniuerſa prauitas noſtra: imò quòd in hora illa non poſsint grauius Deum offendere, quàm deſperando de pietate & gratia eius, & quòd Iudas traditor magis peccauit deſperando, quàm Chriſtum Dei filium tradendo, vt ſanctus teſtatur Hieronymus.

Cõtra deſperationẽ ſpes pietatis diuinæ.

Mat. 27. Porrò contra tentationem de impatientia debent ſe per patientiam veram armare, & ex contritione & conſideratione culparum ſuarum, ex recordatione quoque amariſſimæ paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti omnem ſuam infirmitatem

Cõtra impatiẽtiam patientia Chriſti.

mitatem & afflictionem æquanimiter tolerare. Contra tentationem verò de complacentia ſui, & præſumptione meritorum ſuorum, ac nimia ſecuritate, debent eſſe muniti conſideratione occultorum iudiciorum Altiſsimi: & quia ignorant, an ſint digni amore vel odio, & item quòd in multis valde culpabiles ſint, de quibus ipſimet ſibi conſcij non ſunt. Atque ex hoc, quòd multi ſancti viri etiam in extremis iudicium Dei valde extimuerũt, ſicut in vitis patrum narratur de ſancto Abbate Arſenio, quòd cùm in extremis videretur magnum habere timorem dixerunt ei diſcipuli ſui: *Pater in veritate & tu times? Reſpondit: Timor qui nunc in me eſt, ſemper fuit in me.* Conformiter ſanctus vir Abbas Agathon in hora mortis valde formidans, *Alia* (inquit) *ſunt iudicia Dei, alia hominum*: imò vir ſanctiſsimæ vitæ Abbas Siſois, cùm ſibi Saluator Dominus Ieſus Chriſtus tempore mortis viſibiliter appareret, rogauit vt Dominus permitteret ſe adhuc modicum pœnitere. Veruntamen ſi quis in agone tentetur de diffidentia, puſillanimitate, aut de deſperatione, poteſt ſua merita ad memoriam reuocare, & ex eorum conſideratione ſpem & magnanimita

Contra cõplacẽtiam ſuorũ meritorũ diuinũ iudicium.

Abbas.

Siſois abbas.

Cõtra diffidentiam ſuorum aliuum bonorum ſiderẽtia pia

mitatem aſſumere: ſic tamen vt ea Deo & gratiæ eius, non viribus ſuis attribuat.

Spes quid ſit. Spes nanque eſt certa expectatio futuræ felicitatis, ex gratia Dei & meritis ſperantis procedens. Hinc 22. Moralium ſcribit Gregorius: *Sicut dum viuimus debemus bona noſtra à memoria noſtra repellere, ne extollant, ita appropinquante exitu ea plerunque iuſtè ad memoriam reuocamus, vt fiduciam præbeant, & deſperatum timorem premant.* Nempe (vt Climachus docet) diabolus homini ſano perſuadet Deum eſſe infinitè piiſſimum, & pronum ad indulgendum, quatenus homo paruipendat peccata, atque audentius peccet. Agonizanti autem perſuadet interdum, Deum eſſe rigoroſiſſimum, & peccata ſua eſſe multa & prorſus grauiſſima: imò peccata non confeſſa, oblita, occulta ad memoriam tunc reducit, vt homo diffidat. Idcirco tunc expedit priora merita reminiſci. Amplius præter tentationes prætactas tentant iniquiſſimi dæmones multos agonizantes, ſeu grauiter infirmantes, de ſpe conualeſcendi, ita vt confiteri non curent, nec debitè præparent ſe ad mortem, ſed ſubito mortis amaritudine obruantur ac pereant. Vnde 8. Moralium ait Gregorius: *Reproborũ mens tanto*

Climach.

Diaboli tendiculæ circa morituram.

Remediũ contra tendiculas has. Spes conualeſcentiæ.

tanto amore circa præſentem vitam conſtringitur, vt quamuis corpus moleſtiis quatiatur & vicina mors virtutem vinculis ſpiritus intercidat, adhuc tamen mortem longè abeſſe exiſtiment, nec ea quæ mundi ſunt curare deſiſtant, nec in eis viuendi ſpes frangitur, etiam dum vita terminatur. Dura etenim mente abeſſe mors longè creditur etiam dum ſentitur. His igitur conſulendum, vt huiuſcemodi ſpem incertam, periculoſam, vanam abijciant, atque ad mortem toto conatu ſe præparent: quoniam dato quòd ſint ſanandi, talis tamen præparatio non oberit, ſed proderit eis, nec ex ea ſunt morti viciniores. Poſtremò, & id quod mortem reddit vehementer terribilem, quòd vnicuique morienti malignus ſpiritus in ſua turpiſsima ſpecie creditur apparere, cuius aſpectus quàm ſit pœnalis exprimi nequit. Nam & ſacratiſsima virgo Maria legitur, ſuum filium, cùm adhuc eſſet cum ipſo in terra, oraſſe, ne moriens quenquam ſpirituum cerneret immundorum. Aliqui quoque defuncti & reſuſcitati, poſt ſuam reſuſcitationem retulerunt viuentibus, quàm copioſè ac terribiliter dæmones eis apparuerunt ante egreſſum de corpore, & poſt egreſſum. Ex his itaque innoteſcit, quàm metuenda

Cōtra tentationem recuperandæ ſalutis.

Dæmonū aſpectus horribilis morituris.

Peroratio

da ac iugiter præcogitanda ſit mors, & quàm indeſinéter debeamus nos ad eam diſponere, atque ad vincendum tentationes prætactas tunc occurrentes quotidie nos armare iuuentutis ſanitatisq; tẽpore.

Quàm metuenda & præmeditanda ſit mors, eo quod poſt eam non eſt reditus ad ſtatum promerendi, pœnitendi, & recuperandi neglectam gratiam & ſalutem.

ARTICVLVS IIII.

Eccleſ.11. Salomon ait: *Vbicunque ceciderit lignum, ibi erit, ſiue ad auſtrum, ſiue ad aquilonem.* Per lignum intelligitur homo, per caſum mors, per auſtrum feruor caritatis & gratia ſpiritus ſancti, per aquilonem iniquitas. Eſt igitur horum ſenſus verborum, quòd in quocunque affectu obierit homo, in illo æternaliter permanebit, ita quòd ſi obierit in caritate & gratia ſpiritus ſancti, nunquam à diuino auertetur amore, etiam quamuis in purgatorio grauiſſimè puniatur. Si autem obierit in auerſione à Deo, & in quacunque vitioſa affectione manebit incõuertibiliter, atque perpetuò in illa auerſione, & praua affectione. Idcirco damnati nun

Status in caritatę deſcendentium.

Status auerſorum.

nunquam veraciter pœnitent, & quamuis doleant de ſuis peccatis, ſecundum quòd per ea meruerunt, & inciderunt in tantam calamitatem, non tamen dolent de eis, in quantum ſunt peccata & Dei offenſiua: imò diligunt vitia, & cupiunt priſtinis vitioſis delectationibus frui: Deum verò intenſiſſimè & ineffabiliter odiunt, blaſphemãt, ac maledicunt. Hinc aſſerit Damaſcenus: *Quod Angelis fuit caſus, hoc hominibus eſt mors.* Angeli nanque apoſtatæ in ſua auerſione, propter quam ceciderunt, atque damnati ſunt, perenniter perſeuerant, quemadmodum de vitioſis hominibus morientibus dictum eſt. Itaque quia poſt mortem amplius promereri, pœnitere, reſurgere non valemus, debemus mortem, ſeu potius mortem imparatam maximè formidare, & mortem nobis inceſſanter appropinquantẽ aſſiduè præcogitare, ne (quod abſit) contingat nos ad eam imparatos venire, ſicq; in irrecuperabilia damna, & irremediabilia mala (quæ ſunt maximè metuenda ac fugienda) incidere, vtputa damnationẽ æternam, & ſummæ felicitatis carentiã, omniumq; diuinorum amiſſionem chariſmatum, videlicet dãna gratiæ ac virtutum, per quas ad fœlicitatem

Dãnatis nõ eſt pœnitentia.

Pœnitentia poſt mortem nulla.

Diſpoſitio ad mortē. pertingitur. Hinc debemus nos per ſanctam conuerſationem indeſinenter ad mortem diſponere, & conuerſionem pœnitentiamque nequaquam differre, imò iugiter eſſe parati ad mortem: & hoc eſt

Diſcere mori quid ſcire mori, ac ſalutaris ſcientia moriendi, quam diſcere eſt ſeipſum quotidie ſpiritaliter mortificare, hoc eſt, praua deſideria extirpare, propriam frangere voluntatem, abnegare & vincere ſemetipſum, nihil niſi in Deo, & ſecūdum Deum ac propter Deum appetere, atque pœnitentiæ actibus ſollicitè immorari. Hinc

Eccleſ 5. hortatur ſcriptura: *Non tardes conuerti ad dominum, & ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te, niſi ſic egeris.* Et rurſus:

Ibidem. *Non adijcias peccatum ſuper peccatum, & dicas: Miſeratio Domini magna eſt: quia in peccatores reſpicit ira Dei.* Ideò Climachus loquitur: *Non ſuſcipias canem illum, puta diabolum, ſuggerentem tibi Deum eſſe benignum: ſed tunc benignitatis Dei memento cum in profundam deſperationem te videris trahi.*

Intentio diaboli. Intentio namque canis illius eſt, luctum pœnitentiæ & timorem mortis repellere à te per talem ſuggeſtionem benignitatis diuinæ. Audiamus & impleamus

Eccleſ. 9. quod Salomon exhortatur: *Quodcunque bonum*

bonum poteſt facere manus (id eſt virtus) *tua,* *Eccleſ.9.*
inſtanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas. Hinc vas electionis Paulus monet Apoſtolus: *Stabiles eſtote & immobiles, abundantes in opere Domini ſemper*: ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino. *1.Cor.15.*

Salubris imaginatio de diſpoſitione hominis morientis.

ARTICVLVS V.

O*Mnes morimur, & quaſi aqua dilabimur in terram, quæ non reuertuntur.* *2.Reg.14*
Sanctus Rex Dauid lugens filium ſuum Abſalonem, quem ſciuit in multis & magnis obiiſſe peccatis, dixit: *Fili mi Abſalon, Abſalō fili mi. Quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te? Abſalon fili mi, fili mi Abſalon.* *2.Reg.18*
Itaque ad prouocandū in ſe compūctionem atque ſalubrem mortis timorem, ad expellendum negligentiam & omnem acediam, ad aggrediendum viriliter & abſque dilatione opera pœnitentiæ virtuoſamque vitam, plurimum confert diligenter imaginari, ac intueri diſpoſitionem hominis agonizantis, qui im-

Aſpectus morituri hominis. prouisè in lætalem ægritudinem incidit. Vide itaque hominem in media periodo vitæ humanæ ſubito incidiſſe in languorem mortiferum, qui fuit donis naturæ ornatus, bonis fortunæ abundans, atque in deſideriis ſuis vſque ad infirmitatẽ huiuſmodi conuerſatus. Aſpice quam deſolatus in lecto decumbat, quantis prematur anguſtiis & tormentis cordis & corporis, quam maximis periculis ſit vallatus, qualiter inuiſibiles hoſtes ad eum impugnandum accelerent, quàm horrendum iudicium ei immineat, quàm intolerabilia ei propinquent ſupplicia. Aduerte eius ſuſpiria, ſingultus quærelas, & lachrymas, pœnitentiam ſeram, atque (vt formidandum eſt) infructuoſam.

Repente oppreſſi vox ponderanda. Audi eum doloroſè dicẽtem: Heu quam crudelis afflictio me inopinatè inuaſit, quam dira ægritudo me præhabita ſanitate priuauit! Ah in quos fluctus triſtitiæ corrui, qui paulò antè in tanta iucũditate, proſperitateq; vixi. Quid mihi iam proſunt delitiæ fœdæ, quibus æternam infernalis incẽdij pœnã promerui? quid me iuuãt modò corporales diuitiæ, quibus hactenus abundaui, ex quibus intumui, & quibus tam impudenter abuſus ſum, quod calamitatẽ, ſitim, exuſtionem

nem illam perpetuam pati iam merui, in qua gutta aquæ pro refrigerio mihi negabitur? O quàm libenter cunctas meas diuitias pro recuperanda ſanitate exponerem. Quid mihi nunc cõferunt dignitas & poteſtas, proſperitas, honor, & gloria: quibus hucuſque in ſæculo florui, & propriam defectuoſitatem, fragilitatem, & mortalitatem penſare neglexi, atque ſtultiſſimè ſuperbiui: quaſi omnia illa habuerim à meipſo, & tamquam relicturus non fuerim, nec rationem daturus de eis eſſem iudici ſummo? Et nunc recordatio omniũm horum parit mihi mœrorẽ, auget triſtitiam, quòd tam repẽte & improuisè vniuerſa illa relinquere cogor. Vbi iam vana, & malè iucunda ſocietas, vbi corporis decor, fortitudo, agilitas? Adſunt conſanguinei & carnales amici, periculoſe me conſolantes, & prophetantes mihi, quod ex ęgritudine iſta moriturus non ſim: cùm ſentiam mihi vires inceſſanter deficere, puncturáſque mortis ad cordis transforationem & ſuffocationem appropinquare. Heu heu, quàm male & negligenter, quàm carnaliter & inſipienter, quàm non ſolum infructuoſè, ſed & vitiosè tempus mihi conceſſum conſumpſi in vanitate & præſumptione,

in gula

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

in gula & incontinentia, in ludis, iocis ac riſibus, in confabulatione & otio. Ecce. conſidero iudicem metuendum, cuius tribunali mox præſentabor, quem toties támque enormiter inhonoraui, offendi, reliqui. Ideo timor & tremor me penetrant, quia cognoſco immenſitatem iuſtitiæ eius, & quàm occulta ac rigoroſa

Rom. 11. ſint iudicia eius. Heu quò me vertam? pœnitere volo, ſed ex ſeruili timore, vt ſentio. Cur enim contriſtor, quòd præfata omnia quæ male amaui, relinquere nũc compellor, niſi quia adhuc diligo ea, nec cum tali dilectione caritas Dei habetur? Quid ergo facturus ſum? Deſperare prohibeor, & ſine meritis ſperare videtur inane. Et quamuis non ignorem adhuc aliquod ſupereſſe remedium, vt ſcilicet Dominum inuocẽ, quatenus veræ contritionis gratiam mihi dignetur ex ſua pietate immenſa infundere: nunc tamen ratio mea ſic obſcurata eſt & impedita à libero vſu ac recto iudicio, ex magnitudine afflictionum mearum, ex vehemẽtia anguſtiarum, ex multitudine & confuſione phantaſiarum, ex debilitata capitis ac dyſcraſia naturæ emergentium, ex timore & tremore, ex deſolatione & mœrore, ex inuiſibilium hoſtium

Spes vacua ſine meritis.

ſuggeſtio

ſuggeſtione & impugnatione, vt ad Deum ſincere aſpirare vix queam, nec vitiorum meorum enormitatem rectè perpendam, ſed ſolo horrore ex eorum conſideratione concutior. Doleo tamen quòd de eis non plenius doleo, nec deſperationem admitto. Verùm quis nouit, an hoc modo veniam impetrabo? O quàm periculoſum, peruerſum, incertum & fatuum eſt (ſicut nunc experientia docet me) conuerſionem, pœnitentiámque differre, tempus vanè expendere, gratámque iuuentutem non Deo per viam virtuoſam offerre, ſed ad creatoris iniuriam, per conuerſationem impiam, ſcandaloſam, carnalem immolare eam diabolo. Nunc ergo ô vniuerſi aſtãtes me miſerrimum tamquam ſpeculum intueamini, ex meo periculo & dolore cauti efficiamini: fœlix enim quem faciunt aliena damna peritum. Tutam eligite viam, tempeſtiuè conuertatur mens veſtra ad Dominum, quatenus mortis tempore ex memoria vitæ præteritæ virtuosè tranſactæ, conſolationem ſortiatur cor veſtrum. Denique, inclytus ille princeps nomine Mago frater Hannibalis regis ac imperatoris Carthaginenſis, diro vulnere propinquans ad mortem,

Dilatio pœnitentiæ quàm periculoſa.

Tempeſtiue conuertẽda vita ac mẽs ad Deum.

Fortunæ tem, ait: *Heu qui finis fortunæ? quàm ſ. quis finis tum eſt gaudere de loco ſublimi atque præcipiti?* ſtatus potentum ſubiacet procellis innumeris, cuius finis eſt ruere. Heu tremulum magnorum culmen honorum, ſpes hominum fallax, atque inanis gloria illita fictis blanditiis. O vita incerta labori perpetuo dedita. Quid mihi nunc prodeſt domos & fortalitia incendiſſe, vrbes vaſtaſſe, homines perturbaſſe? Quid me ô cariſſime frater iam iuuat alta & aurea, marmorea, eburnea erexiſſe palatia, qui ſub di[illegible]o nunc morior? Quanta animo paras, ignarus finis acerbi. En ego decedo, te cito ſecuturum agnoſce.

Fortunæ / *incertum.*

De diuerſis effectibus qui oriuntur ex conſideratione atque timore mortis.

ARTICVLVS VI.

Eccleſ. 9. N*Eſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & aues laqueo: ſic homines tempore malo, cùm eis extemplo ſuperuenerit.* Quemadmodum ſanctus vir Climachus ait: *Sicut panis neceſſarius eſt homini præ cæteris alimentis, ita intenta meditatio mortis neceſſaria eſt homini præ aliis donis & exercitiis bonis.* Aliqui autem in tantum quærunt in deliciis ſine triſtitia viuere, quòd nec audire

Meditatio mortis cõtinua eſſe debet.

ēre volunt, nec cogitare, nec loqui de morte. Quid de exilio ſibi faciunt patriam, de valle lachrymarum ac fletuum paradiſum, quibus Saluator ait: *Væ vobis qui habetis conſolationem veſtram:* Luc. 6. *Væ vobis qui ridetis nunc, quia plorabitis & flebitis.* Aliqui verò ita indurati ſunt corde, quod nec ex inſpectione morientium, nec ex memoria mortis, nec ex intuitu ſepulchrorum & oſſium mortuorum compunguntur, verentur & emendantur: imò oſſa illa conſpiciunt velut ſaxa, ſepulchra vt foſſas, ſiue monticulos: nec plus emolliuntur ex inſpectu morientium hominum, quàm brutorum, & tamquam ipſi non eſſent mortales, ſic aſpiciunt morientes. Verumtamen ſi frequenter & attentè cogitent mortem, & quæ eam ſequuntur, diſpoſitionémque morientis, & eius tentamenta, preſſuras atque pericula; citò emollientur ad pœnitendum, ad metuendum, ad emendandum vitam ſuam in omnibus. Primus ergo effectus ex conſideratione mortis 1. prouenienſ, eſt ipſam mortem timere, iuxta illud in Pſalmo: *Formido mortis cecidit ſuper me: Timor & tremor venerunt ſuper me.* Porrò timor ſollicitudinem, ac diligētiam parit. Timor nāque reddit Pſal. 54.
hominem

Effectus 6. ex meditatione mortis.

Fructus ti-moris qui. hominem ſollicitum ac diligentem ad cauendum mala quæ metuit, ſeu propter quæ aliquid timet. Idcirco ſecun-
II. dus effectus ex meditatione mortis conſurgens, eſt ſollicitè ac diligenter mortem (hoc eſt mortem imparatam) cauere, quod nihil aliud eſt, niſi de culpis præteritis pœnitere, & à futuris vitiis abſtinere. Ideo conſideratio mortis inducit hominem ad pœnitētiam ſalutarem, cuius partes ſunt, vera contritio, plena confeſſio, ſatisfactioque condigna, quæ omnia ex timore mortis naſcuntur. Hinc Salomon loquitur: *Sapiens timet & declinat à malo.* Tertius effectus ex meditatione mortis emanans, eſt conſideratio & humiliatio propriæ fragilitatis & mortalitatis. Ideo ait ſcriptura: *Quid ſuperbis terra & cinis? id eſt*, cur homo ex terra factus, & in cinerem ac puluerem reſoluendus, extollit ſe, non penſans propriæ conditionis defectuoſitatem?

Conſiderationis mortis vtilitas.

Partes pœnitētiæ quæ.

Prou. 14.

III.

Eccle. 10.

IIII. Quartus effectus ex meditatione mortis ſcaturiens, eſt depoſitio terrenarum curarum, turbationum & inquietudinum ſæculi huius. Qui enim mortem dignè perpendit, non curat niſi qualiter ad ſecurã & fœlicẽ perueniat mortem: ideo ſollicitudines, turbationes, inquietudines car

nes carnales ac ſæculares repellit à corde ſuo. Quintus effectus ex meditatione mortis conſcendens, eſt totius inordinatæ affectionis ad creaturas abiectio, & feruens integérque conatus placendi Deo: ſicque meditatio mortis intenta, facit hominem omnem terrenam & carnalem conſolationem deſpicere, & tota mente eſſe ſuſpenſum ad obtinendum veram ſalutem. Sextus effectus ex meditatione mortis proſiliens, eſt conſolatio & gaudium in ſpiritu ſancto: qui effectus conuenit ſanctis hominibus, qui mortem tamquam terminum miſeriarum & culparum vitæ præſentis, & tamquam ianuam vitæ beatæ ſequentis ex corde deſiderāt, vt dictum eſt. Quemadmodum enim conſideratio diuini iudicij timorem parit imperfectis, conſolationem verò perfectis, quibus in Euangelio ait Chriſtus: *His autem* (videlicet ſignis & præambulis iudicij) *fieri incipientibus, leuate capita veſtra*, id eſt, corda lætificate, *quia appropinquat redemptio veſtra.* Ita conſideratio mortis imperfectis gignit formidinem, perfectis lætitiam. Verùtamen (ſicut præhabitum eſt) interdum quoque homines perfecti & ſancti mortem iudiciúmque formidant, ſecūdum quod

V.

VI.

Luc. 21.

Mortis cōſideratis effectus varij.

Spiritus ſanctus, in diuerſis electis & ſanctis diuerſimode operatur. Conſequenter ergo de prætactis effectibus ex meditatione mortis prodeuntibus aliquid plenius eſt dicendum.

De primo effectu meditationis mortis, videlicet de pauore, quem ſuſtinent morientes.

ARTICVLVS VII.

Effectus dictos ſuprà fuſius explicat

QVamuis de iſto morientium timore; & cur, ac qualiter metuenda ſit mors, dicta ſint multa, aliqua tamen iam ex verbis Gregor. ſunt addenda. Ait ergo ſanctus ille viceſimoquarto Moralium: *Electi quinque ſollicite conſiderantes æternus iudex quàm diſtrictus veniat, terminum ſuum quotidie proſpiciunt, & ante ſeueritatem tantæ iuſtitiæ, quas rationes vitæ ſuæ ſint poſituri attendunt, & ſi cuncta praua opera, quæ potuerunt intelligere, deuitarunt, venturi tamen coram diſtricto iudice illas culpas amplius pertimeſcunt, quas per momenta temporum ipſis inſtabilibus & incertis cogitationum motibus perpetrauerunt, nec tamen eas intelligunt. Facile eſt autem opera peruerſa vitare, ſed nimis difficile eſt ab omni illicita cogitatione cor præſeruare.*

Dominari cogitationibus haud facile.

Cúmque

Cúmque de omnibus his ſemper diſtricta Dei iudicia pertimeſcunt, tunc tamen hæc vehementius metuunt, cùm ad ſoluendum humanæ conditionis debitum venientes, diſtricto iudici propinquare ſe cernunt: & timor ille tantò fit acrior, quantò & retributio æterna propinquior. Creſcit pauor vrgente carnis ſolutione. Tum ante oculos cordis inane nihil tranſuolat de phantaſmate cogitationis, quoniam omnibus vanis è medio ſubductis, ipſi morientes ſe & illum tantum conſiderant, cui propinquant: & ſi ea bona quæ ſciunt numquam prætermiſiſſe ſe meminerint, formidant tamen illa quæ neſciunt, quia ſeipſos plene diiudicare, atque cognoſcere nequiuerunt. Ideo vrgente exitu ſubtiliore & ſecretiore metu terrentur. Nec enim immeritò cuiuſlibet anima tunc terretur, quando poſt puſillum inueniet quod in æternum vitare non poſſit, præſertim quia & bonis eius actibus multa mala fuerunt permixta. Hæc Gregor. Denique ex hac conſideratione ſanctus Iob dixit: *Deus ſolus eſt, & cogitationem eius nemo auertere poteſt, & quæcunque voluit fecit. Idcirco à facie eius turbatus ſum, & conſiderans eum timore ſol-* *Iob.23.*

 licitor

Iob. 9. licitor. Idémque: *Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceres domine* delinquenti. O homo indurate, cur brutis inſenſatior es? Ecce fugit ouis lupo appropinquante, abſcondit ſe tremens columba viſo accipitre, de antro ſuo egredi eſuriens mus non audet, muricipe ambiente: & tu videns mortem horrendam atque iudicium rigoroſum tibi inſtare, non metuis.

Similitudo.

De ſecundo effectu qui ex intenta mortis meditatione conſurgit.

ARTICVLVS VIII.

Deut. 4. 11. C*Vſtodi temetipſum & animam tuam ſollicitè.* Negotiatores per rura & periculoſa itinera gradientes, tantò diligentius cuſtodiunt ſemetipſos, & tantò formidoloſius proficiſcuntur, quantò viam ſuam putant pluribus, fortioribus ac crudelioribus inimicis vallatam, quò etiam pretioſiores ſecum deferunt merces. Nos igitur qui in ſeculo iſto exules ſumus & peregrini, quorum tota conuerſatio in hoc mundo eſt, curſus ad aliam vitam, cum ſollicitudine tantò maiore, cum timore tantò plus acriore, cum circumſpectione atque cuſtodia tãtò inceſſabiliore per iter vitæ præſentis debemus incedere: quantò certius ſcimus, quod innumerabili

1. Paral. 29.

bilibus,ferociſſimis,callidiſſimis, fortiſſimis,inuiſibilibus hoſtibus ſumus circundati. quorum totus conatus eſt nos ſecum æternæ dãnationi inuoluere:quanto etiam nobiliora gratiarum chariſmata intra nos ferimus,atq; quò maius bonum nobis moliuntur auferre, vt puta Deum bonitatis immenſæ,& beatificam eius fruitionem. Hinc iuxta ſcripturam, *homo ſapiēs in omnibus metuit bara. Et: Beatus homo qui ſemper eſt pauidus:atque cum metu, timore & tremore noſtram operari ſalutem iubemur.* Ad hanc demum ſollicitudinem ſpiritalem, cuſtodiámque internam ac circumſpectionem peruigilem, incitat & perducit nos timor mortis,ne ad imparatam mortem perueniamus:ſicque timor iſte ſalubris, facit nos præterita vitia deplorare, caſtigare, & ſatisfacere pro eiſdem,atque ab omni labe peccati cauere, quemadmodum ſcriptum eſt: *Quaſi à facie colubri fuge peccata,* quia per hoc ad deſiderabilem, ac ſalubrem pertingitur mortem. Hinc xiij. Moralium ait Gregorius: *Electorum mentes quò amplius æterno iudicio propinquare ſe ſentiunt,eò ad diſcutiendum ſe ipſos terribilius excitantur, ac properant: & ſi quas in ſe carnales, & iniquas cogitationes*

Eccleſ.18.

Prou. 28.

Philip. 2.

vnquam conſpiciunt, pœnitentiæ has ardore conſumunt, quia propinquum ſibi iudicium iugiter ſuſpicantur. Porrò reprobrorum mentes multa nequiter agunt, quia ſe hic diu viuere arbitrantur. Iuſti verò, dum breuitatem vitæ ſuæ conſiderant, elationis & immunditiæ culpas declinant. Qui enim conſiderat qualis erit in morte, ſemper ſit timidus in operatione. Nihil tranſitorium appetit, cunctis carnalibus vitæ præſentis deſideriis contradicit. Hinc
3. Reg.21 vt libro tertio Regum narratur, Achab rex Iſraël audita comminatione mortis ſibi facta ore Eliæ, ſcidit veſtem ſuam, & operuit corpus ſuum cilicio, ieiunauítque & dormiuit in ſacco, &
Ionæ.3 ambulauit demiſſo capite. Conformiter legitur apud Ionan, quòd rex Niniuæ audita prædicatione Ionæ, quòd ſcilicet ciuitas Niniuæ poſt quadraginta dies mox euerteretur, ſurrexit de ſolio ſuo regali, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere. Atque præcepit, vt homines & iu-
Conſuetudo laudanda fideliū. menta non guſtent quidquam, nec bibant, & operiantur ſaccis, & clament ad deum in fortitudine, & conuertatur vnuſquiſque à via ſua mala. Denique conſuetum eſt cunctis fidelibus confiteri

fiteri & pœnitentiam agere,quando putant aut ſciunt ſe protinus morituros. Cùm ergo ad vnumquéque fidelem pertineat, quemlibet diem velut vltimum computare, eúmque taliter ordinare, occupare,expendere tamquam in ipſo ſit moriturus: debemus ex conſideratione mortis nos ſtatim per contritionem, cõfeſſionem,emendationem & ſatisfactionem ad mortem diſponere:imò cùm tota vitæ noſtræ duratio in hoc mundo ſit tamquam momentum, cõparatione durationis perpetuæ vitæ futuræ, debet vnuſquiſque totum ſpatium vitæ huius tamquam vnam horulam reputare, atq; cum omni diligẽtia & feruore ſe abſque dilatione ad mortem fœlicem parare, ſicq; rebus tranſitoriis vti,non frui, tanquã eas celerrimè relicturus. Ad quod hortatur ſanctus Apoſtolus: *Tempus inquiẽs,breue eſt. Reliquum eſt, vt qui vtuntur hoc mundo,ſint tanquam non vtentes: præterit enim figura huius mundi.* Ex qua vtique cõſideratione beatus Iob exorauit, *Parce mihi domine:nihil enim ſunt dies mei.* Et rurſus: *Paucitas dierum meorum finietur breui. Dimitte ergo me,vt plangam paululũ dolorem meum, antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam,in qua* (vt aſſerit veritas)

Breuitas vitæ præſentis.

1.Cor. 7.

Iob. 7.

Iob.10.

fletus & ſtridor dentium ac tenebræ erunt. Verùm (vt loquitur Auguſtinus) ideò
Matt.22. vita hæc interdum longa videtur, quia
Lucæ.13. adhuc durat, viget, & agitur: ſed cum fuerit terminata, ſi finis eius inciderit, apparebit quàm breuis extiterit. Quod
1.Par.29. ſanctus Dauid in ſeipſo experiens cum ſeptuaginta annis vixiſſet, locutus eſt Deo: *Peregrini ſumus coram te & aduenæ. Dies noſtri quaſi vmbra ſuper terram, & nulla eſt mora.* Vnde & Iacob patriarcha
Gene.47. interrogatus à Pharaone rege Ægypti, *Quot ſunt dies annorum vitæ tuæ?* reſpondit, *Dies peregrinationis vitæ meæ ſuper terram centum triginta annorum ſunt, parui & mali.* Imò ſi quis mille annis, & (quod amplius eſt) ab exordio mundi vſque ad hanc horam vixiſſet, & nunc eſſet moriturus, totum tempus prætcritum videretur ſibi quaſi momentum, præſertim dum aciem mentis dirigeret ad imminentem ſibi futuræ vitæ æternitatem. Ideo horum conſideratione debemus viriliter opera pœnitentiæ aggredi ſine dilatione, præſertim cùm nihil ſtolidius ſit, quàm tempus, in quo omni hora valemus tot bona peragere, in caritate, & omni virtute proficere, æternæ felicitatis gloriam & augmentum mereri

Omne tēpus æternitatis comparatione momentū.

mereri, non ſolum otioſè, ſed & vitioſè conſummere. O quàm negligentem ac fatuū reputaremus negociatorem, qui omni hora poſſet centum florenos lucrari, & tamen hoc ipſum negligeret, otióque vacaret, aut certè vltra hoc ſuam diſſiparet ſubſtantiam. Nonne ineffabiliter inſipientior eſſe conuincitur, qui cùm omni hora poſſit in pretioſiſſimis ſpiritus ſancti chariſmatibus creſcere ac ditari, atque in cœlis æternæ fœlicitatis incomparabilem augere theſaurum, non ſolùm tot & tanta negligit bona, ſed inſuper nudat, depauperat, lædit, perimit & condemnat nobilem animam ſuam? Itaque quicquid ad moriendum ſalubriter, reddit nos imparatos, tamquam infernale abhorreamus, ac deuitemus venenum: cuncta quoque, quæ ad ſecuturum finē diſponunt, & ad emigrandum de corpore confidenter, efficiunt nos diſpoſitos, amplectamur vt exequamur.

Homine negligenti ſtultius nihil.

Comparatio.

De tertio effectu ex meditatione mortis naſcente.

ARTICVLVS IX.

AN non cognoſcitis voſmetipſos? niſi forſan reprobi ſitis. Tertius effectus ex 2. Cor. 13.

 inten

intenta mortis præmeditatione proce-dens, eſt conſideratio & humiliatio propriæ fragilitatis, mortalitatis, & defe-ctuoſitatis. Quidam enim conſiderationi ſuæ nobilitatis, pulchritudinis, iuuentutis, opulentiæ, potentiæ, famæ, honoris, ſcientiæ, vel proſperitatis ita intenti ſunt, quòd ſeipſos verè cognoſcere negligunt, & prætacta dona fortunæ, aut naturæ plus appretiantur, atque magnificant, quàm veritas patitur. Idcirco intra ſe ſtolidè intumeſcunt, & aliis ſe præponunt, proximóſque deſpiciunt, etiam illos, qui in ſpiritalibus & ſupernaturalibus donis & gratiis, meritis, ac virtutibus multò præſtantiores, ac meliores ſunt ipſis. Hi igitur excœcati vaníque homines, diſcant mortem ſibi inceſſabiliter velociſſimo curſu approximantem præmeditari, & frequenter ac profundè penſare, quales erunt in morte: qualiter tunc omnis eorum decor marceſcet, & pulchritudo in deformitatem vertetur, poteſtas in infirmitatem, honor in deiectionem, gloria in confuſionem: quando nec propinquorum proſapia, nec opulentia, neque nobilitas, neque familia poterũt eos iuua-
Pſal. 48. re. *Homo enim cum interierit non aſſumet ſecum*

ſecum hæc omnia, nec deſcendet cum eo gloria eius: ſicut & ſanctus Iob proteſtatur: *Diues cum dormierit, nihil ſecum afferet, apprehendet eum quaſi aqua, inopia.* Ex horum itaque conſideratione perpendant ſe cæteris ſimiles in natura, tantóque viliores ex culpa, quantò ex donis Dei ſibi conceſſis, magis elati, ingrati, ac ſuo creatori rebelles fuerunt: & ita humilient ſemetipſos, certi quòd niſi hoc fecerint, multò acerbiorem, periculoſiorem & damnabiliorem habituri ac paſſuri ſint mortem, quàm cæteri. Quemadmodum ergo *vexatio præſens* & inflicta *dat intellectum*, atque humiliationem inducit: vt in Antiocho ſuperbiſſimo patuit rege, qui plagatus rediit ad cor, dicens: *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.* Sic vexatio præmeditata & infligenda illuminat humiliátque mortales. Nempe Alexander rex potentiſſimus iaculo læſus, *Homines* (inquit) *dicunt me eſſe filium Iouis, ſed ſagitta hæc probat me eſſe mortalem.* Xerxes verò rex præpotens, copioſiſſimum ſuum ex alto loco exercitum intuens, ex futura ipſius defectione & morte lachrymas fudit, eo quòd infra centũ annos vniuerſi ſuccumberent morti:

Iob. 27

Iſaiæ 28.

2. Mac. 9

Alexander rex.

Xerxes rex.

Præte

Diuitium potentum mors quo magis re magis penſanda. Præterea, ex conſideratione mortis, diuites, nobiles, ac potentes, & cuncti qui præſunt, tantò vehementius habent timere, ſeque humiliare, quantò (vt communiter) citius moriuntur, diſtrictius iudicantur, ac grauius puniuntur, atque quò pauciores ex eis ſaluantur. Hinc *Eccleſ. 10.* etenim ait ſcriptura: *Omnis potentatus breuis vita: ſic & rex hodie eſt, cras morietur.* Primo *1. Mat. 2.* quoque libro Machabæorum venerabilis Mathatias ait de rege ſuperbo: *A verbis peccatoris ne timueris, quoniam gloria eius ſtercus, & vermis: hodie extollitur, & cras non inuenitur, quia conuerſus eſt in terrã ſuam,* *Sapien. 6.* *& cogitatio eius periit.* Sed & in libro Sapientiæ ait ſermo diuinus: *Audite reges & intelligite, diſcite iudices terræ, quoniã data eſt vobis poteſtas à domino Deo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes veſtras ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrende & cito apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum in his, qui præſunt fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia: potentes autẽ potenter tormenta patientur.* Certè ſi præſidẽtes, potẽtes, nobiles & diuites, iſta perpenderent humiliarẽt vtiq; ſemetipſos, & timorati conſiſterent. Præterea,

cogni

cognitio iſta propriæ defectuoſitatis in naturalibus & accidentalibus, in corpore & anima, in conuerſatione & duratione vtiliſsima eſt ad humiliandum ſeipſum, ad deſpiciendum mundana, ad obtinendum Spiritus ſancti chariſmata: idcirco diuina ſcriptura de imperfectione, inſtabilitate, ærumna, atque periculis hominum multa commemorat, comparans hominem variis rebus fragilibus, vilibus, & maximè inſtabilibus, vt ſic diſcat humiliare ſeipſum. Attende ergo ô homo, qui te aliquid eſſe putas, & in altum erigis caput tuum, qui ſic viuis, & tanta ſecuritate, præſumptione, ac vanitate te eleuas: quaſi mor turus, atque in manus Dei viuentis caſurus non eſſes: audi quid de excellentia tua, imò de miſeria tua, Spiritus ſanctus per os antiqui patriarchæ ac prophetæ locutus ſit: *Homo*) inquit) *natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & numquam in eodem ſtatu permanet.* Itemque: *Dies mei velocius tranſierunt, quàm à texente tela ſucciditur, & conſumpti ſunt abſque ſpe.* Hoc eſt quod prius rex Ezechias fatetur: *Præciſa eſt velut à texente vita mea, dum adhuc ordirer, ſuccidit me, de mane vſque ad veſpe ram*

Imperfecti penſatio quid homini preſtet boni.

Iob 7.

Ibidem.

Iſaiæ 38.

ſperam finies me. Hinc quoq; flos prophetarum Iſaias, tamquam magnũ, aut profundum aliquid prolaturus, ita exorſus

Iſaiæ 40. eſt. *Vox dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamabo?moxque ſubiungit quid ſit clamandum.* quid iugiter recolendum, quid ſolenuiter prædicandum: *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quaſi flos agri. Verè fœnum eſt populus. Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos.*

*Iaco.*1. His cõſonat quod frater domini ſanctus Apoſtolus Iacobus in ſua ait Canonica quod tamen de diuitibus ſpecialiter exprimit: *Diues*, inquiens, *ſicut flos fœni tranſibit exortus eſt enim ſol cum ardore, & areſecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperiit: ita diues in itineribus ſuis marceſcet.* Idem demum Apoſtolus contra præſumentes de longa vita inuehitur, lo-

*Iacob.*1. quens eis: *Quæ eſt vita veſtra? Vapor eſt ad modicum parens, deinceps exterminabitur.* Et quoniam diuites ad elationem & præ-

*Iacob.*5. ſumptionem ſunt proniores, ipſos volens humiliare, adiecit: *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſeriis, quæ aduenient vobis. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Epulati eſtis ſu-*

*Pſal.*36. *per terram, & in luxuriis enutriſtis corda veſtra.* His demum comparationibus alludens Pſalmiſta, diſſeruit: *Noli æmulari in mali*

malignantibus: quoniam tanquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum cito decident. Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani. Et trãſiui, & ecce non erat: & quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius. Generaliter quoque loquens de homine, idem Propheta dixit: *Recordatus eſt Dominus, quoniam puluis ſumus: Homo ſicut fœnum dies eius, & tamquam flos agri ſic efflorebit, Quoniam ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, & non cognoſcet amplius locum ſuum.* Inſuper vani & impij amatores ſeculi huius, qui dum in vita hac proſperarentur, & in diuitiis ſuis con fiderent, atque in carne turpiter delectarentur, longam & fœlicem reputabant hanc vitam, quoniam mentem habebant vitiis excæcatam: audiamus quid dicant in ſuppliciis cõſtituti, & propria vexatione edocti. Nonne ſero pœnitentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes, exclamant: *Errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis: Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem domini ignorauimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quod contulit nobis? Tranſierũt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius præcurrẽs,* aut

In amatores huius mundi.

Sap. 5.

aut auis quæ tranſuolat in aere. Ex his innoteſcit fragilitas, inſtabilitas, defectuoſitas noſtræ conditionis. Idcirco ex horum conſideratione debet ſe homo profundè ac iugiter humiliare, tranſitoria, carnalia & terrena deſpicere, atque ad mortem ſalubrem ſeipſum inceſſabiliter præparare. Et quia nobilior pars hominis (vt puta anima rationalis) eſt immortalis, creatoris ſui ac ſempiternæ beatitudinis capax, debet ſe homo dare ad creatoris ſui ſanctum ac diuinum amorem, ad ſpiritalium gratiarum æternaliumque deliciarum puram affectionem, & ad quotidianum ac indeſinentem profectum virtutum.

De quarto effectu ex mortis meditatione ortum habente.

ARTICVLVS X.

Prou. 11. EXpectatio *ſollicitorum peribit.* Ex diuerſis conſiderationibus diuerſæ procedunt affectiones & curæ. Ideo qui in hac vita ſe diu opinantur victuros, nec futuri ſæculi perpetuitatem dignè aduertunt, ſolliciti ſunt terrena colligere, in temporalibus abundare, & ſibi pro vita hac copioſius prouidere. Hæc eſt ſollicitudo

carna

carnalis, mundana, inquieta & ſtulta, ex ſæculari procedens prudentia, de qua ait Apoſtolus Paulus: *Prudentia carnis mors eſt.* *Rom.8.*
Iacobus quoq; Apoſtolus: *Non eſt* (inquit) *Iacob.3.* *ſapientia iſta de ſurſum procedens, ſed terrena, animalis & diabolica.* Quam ſollicitudinem prohibuit Chriſtus dicendo, *Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum.* Porro qui prudenter ad- *Mat.6.*
uertunt, quam breuiſſima, fallax, incerta, *Diuites*
periculoſa ſit vita hæc, quodq; poſt eam *verè qui.*
in alio ſæculo perpetuè ſint victuri, aut in maxima & extrema miſeria, aut in beatitudine prorſus perfecta, vilipēdunt carnalia, & caduca, atque ſolliciti ſunt prouidere ſibi de ſpiritalibus opibus, quibus poſt vitæ huius circulum æternaliter, ac beatificè reficiantur: *ideo ſatagunt diuites fieri in operibus bonis, & theſaurizant ſibi in* *1. Tim. 6.*
cœlis: quorum ſumma & tota ſollicitudo *Mat.6.*
eſt Deo placere, beatitudinem illam pleniſſimam obtinere, ſicque tranſire per tēporalia bona, ne eorum intuitu, occupatione & amore amittant ſempiterna ſupernæ gloriæ bona. Hæc eſt ſollicitudo bona, ſapientialis, ſaluifica, de qua dixit *Sollicitu-*
Micheas Propheta: *Indicabo tibi homo quid do lauda-*
ſit bonum, aut quid dominus requirat à te: bilis.
vtique ſollicitè ambulare coram Deo tuo. Mo- *Mich. 6.*

 ſes *Deut.4.*

ſes quoque *Cuſtodi temetipſum & animam tuam ſolicitè*. Abſque ſolicitudine hac nemo
IIII. valet ſaluari. Hinc (vt tactum eſt articulo ſexto) quartus effectus ex intenta mortis præmeditatione emanans eſt depoſitio terrenarum curarũ, abiectio turbationum prauarum, atque inquietudinum ſæculi huius repulſio. Nempe qui aſſiduè ac profundè perpendit, quòd celerrimè propinquet ad mortem, quòd mortis ſuæ ignoret diem, quòd citò emigrabit de corpore iſto & vniuerſa mundana, ac tranſitoria deſeret, numquam ea rehabiturus in ſeculo iſto: tantò plus ſollicitatur pro obtinenda fœlicitate vitæ futuræ, pro euadenda calamitate Acherõtis ſubteriacentis, pro opulentia & decore animæ ſuæ: quantò vita illa ventura longior eſt præſenti, quò beatitudo perpetua ac cæleſtis melior deſiderabiliórque conſiſtit in proſperitate vitæ iſtius, quò anima ſuo corpore eſt præſtantior. Cúmque nulla ſit comparatio temporalis durationis ad æternitatem, terrenæ proſperitatis ad Angelicam & cæleſtem fœlicitatem, viliſſimæ carnis ad rationalem animam, & ſuperbenedictæ ac adorandæ Trinitatis imaginem: conſtat quòd aſſidua &
pro

profunda mortis conſideratio omnem conſumat, atque repellat cu:am terrenam immoderatam, nec propter aduerſa ſinat hominem conturbari: imò inter iniurias, perſecutiones, irriſiones afflictiones, & ægritudines, inter blanda ac proſpera efficit hominem ſtabilem & tran uillum vel potius in omni aduerſitate gaudentem, tantóque amplius cupientem adderia quàm proſpera, quantò ad mortem ſalubrem, ac finem beatum aduerſitates magis quàm proſperitates *Act. 14.* expediunt cùm dicat ſcriptura. *Per mul* *2. Tim. 3.* *tas tribulationes oportet nos intrare in regnum cælorum.* Et denuo: *Omnes qui volunt piè viuere in Christo, perſecutionem patientur* Et- *Sap 3.* enim veriſſimè ſcriptum eſt: *Tanquam aurum in fornace probauit electos Dominus,* *Holocau-* *& quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos.* Ho- *ſtum my-* locauſtum autem dicebatu oblatio, quæ *ſticum.* ad diuinæ maieſtatis honorem totaliter comburebatur, ad figurandum, quòd homo debet ſe totum creatoris ſui obſequio mancipare, & quicquid habet, poteſt, & eſt, ad ipſius honorem & cultum ordinare, à quo accepit quicquid eſt, poteſt & habet. Sic igitur Deus ſuos electos in vita hac igne tribulationis vrit, & purgat, quemadmodum proteſtatur,

Ducam eos per ignem, & vram eos, ſicut vritur argentum & probabo eos ſicut probatur aurum: & ego exaudiam eos, & dicam: Populus meus
Pſal.7. *es: & ipſi dicent: Dominus Deus meus.* O verè beatus, quem Deus iudex iuſtus, fortis & patiens ſic exercet & mundat in ſeculo iſto, ſicut per Iſaiam Prophetam fatetur:
Iſa.1. *Conuertam manum meam ad te, & excoquam ad plenum ſcoriam tuam.* Hinc Iſraëlitico populo Moſes dixit: *Recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te dominus Deus tuus, vt affligeret te atque tentaret, & nota fierent, quæ verſabantur in corde tuo, vtrum cuſtodires mandata illius, an non:* Ecce ex his conſtat quam verè ſancti patres locuti ſint, nihil periculoſius eſſe quàm in hoc mundo, in iſto exilio, in valle hac lachrymarum, in loco pœnitentiæ & peregrinationis iſtius proſperari, deliciari, nec caſtigari à Deo: quemadmodũ ſanctus Iob ait de impiis:
Iob 21. *Sublevati ſunt confortatíque diuitiis, & non eſt virga Dei ſuper eos.* Sed ad quem finem perducat huiuſmodi vita, idem vir ſan-
Ibidem. ctus pandit ſubdendo: *Ducunt in bonis dies ſuos,* id eſt, in delitiis dies ſuos conſumunt, *& in puncto ad inferna deſcendunt.* Talem vitam facit conſideratio mortis contemni, vanitates, choreas, ludos, iocos, cachinnationes, loquacitates abhorret & vitat.

Nihil adeo elongat hominem à Deo, quã felicitas mundi.

Verùm

Verùm ad hæc dicere poterunt ſæculares perſonæ bonæ, cupientes Deo placere, præſertim nobiles & potentes prælati & principes: Si meditatio mortis ſollicitudoque ſpiritalis faciũt terrena omnia deſpici, curas mundi & inquietudines euitari quid agendum eſt nobis, & quis noſtrum valebit ſaluari? Quibus, ex verbis Gregorij ſancti eſt reſpondendum, qui ait: *Qui rebus temporalibus occupantur, tunc bene exteriora diſponunt, dum ſollicite ad interiora refugiunt, cùm nequaquam foras perturbationũ ſtrepitus diligunt, ſed certis horis quantum eis poſsibile eſt, ad ſpiritalem exercitationem, & quotidianam conſcientiæ ſuæ examinationem ſe conferunt.* Qui autem ita non agunt, ſed ad exteriora cor ſuum omne effundunt, citò obliuiſcuntur ſuæ ſalutis, atque quotidie grauius excœcantur, & ad multa, ac magna peccata labuntur: prout ſanctus ait Bernardus: *Cor quod futuram fœlicitatem non cogitat, amore terreſtrium implicatur, ſicque vanitas mentem recipit, curioſitas ducit, voluptas inficit, cupiditas afficit, luxuria inquinat, inuidia torquet, triſtitia cruciat, ſuſpicio inquietat, ira perturbat.* Hinc Salomon verè locutus eſt: *Homini bono dedit Deus ſapientiam, lætitiam, & quietem: peccatori autem afflictionem & curam*

Occupatio terrenarũ rerũ quæ bona.

Bernard.

Nauſea ſpiritus quid pariat.

Eccleſ. 2.

ſuperfluam. Vnde probatur, quòd vita hominis virtuoſi ſit multò iucundior atque quietior, quàm vita hominis vitioſi.

De quinto effectu ex meditatione mortis naſcente.

ARTICVLVS XI.

Philip. 4. OMnia arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam. Verba ſunt ſancti Apo-
v. ſtoli. Quintus effectus ex conſideratione mortis proueniens, eſt totius inordinatæ affectionis ad creaturas abiectio, & feruens integerque conatus placendi Deo. Qui enim attentè, ac frequenter recordatur & intuetur, quàm citò recedit à ſæculo iſto, & quandiu & æternaliter viuet in ſæculo mox futurò, nō reputat vitam præſentem niſi curſum & peregrinationem ad vitam ſequentem, nec vtitur diuitiis, ac cæteris rebus mundi niſi vt mediis neceſſariis pertingendi ad mortem ſalubrem, ac finem beatum. Non ergo inordinatè ad eas afficitur, ſed in Deo atque ſecundum Deum, ſecūdum quod ſibi vtiles ac neceſſariæ ſunt, pro ſuſtentaculo vitæ ad bene viuendum. Et talis amor rerum creatarū nō retardat, nec minuit, ſed fouet

Vita hac eſt quidā curſus ad aliam.

fouet & auget diuinum amorem. Idcirco quod ait Chryſoſtomus: *Pro quanta parte cor tuum fuerit ad aliquam rem creatam, pro tanta minus eſt ad Deum*: intelligendum eſt de inordinata & immoderata cordis affectione ad creaturas, ſicut in his, qui in cibo & potu, in veſtibus, in habitaculis, ac cæteris exterioribus rebus quærunt non tantùm neceſſitatem naturæ, ac vſum decentem ſecundum Euangelicæ legis doctrinam, ſed carnalem delectationem, vanitatem, pompam complacentiamque humanam, proprium quoque nō Dei honorem, & famam laudémque propriam: Hæc omnia ſapientialis cōſideratio mortis contemnit & abijcit. Propterea Climachus conteſtatur: *Iſtud eſt verum argumentum commemorationis Dei, ac mortis in ſenſu cordis, ſpontanea impaſſibilitas affectionis ad omnem creaturam, atque perfecta derelictio propriæ voluntatis. Præterea conſideratio iſta facit hāc vitam contemni*, eo quòd tot peccatis, defectibus, ac miſeriis ſit ſubiecta, permixta, & inquinata. Vnde ſanctus pater Bernardus diſſeruit: *Cur vitam iſtam tanto affectu deſidero, in qua quantò plus viuo, tantò plus pecco: & quantò vita longior, tantò & culpabilior? Quotidie creſcunt mala, & Deus omnipotens magis, ac magis offen*

Quomodo intelligendū ſit D. Chryſ. ſententia.

Matth. 6.

Vitæ huius infelicitas quāta.

offenditur, & quantò diutius hic manemus, tantò de pluribus reddere rationem Deo debemus. Itaque meditatio mortis auaritiam fugat,& neceſſariis eſt contenta. O quam ſapienter cõſiderauit hæc omnia ſanctus

Pſal.38. Propheta qui ait: *Locutus ſum in lingua mea: Notum fac mihi domine finem meum*, hoc eſt, da mihi gratiam illuſtrantem, per quam efficaciter penſem, quàm celeriter mihi propinquet terminus vitæ meæ. *Sic etiam notum fac mihi numerum dierum meorum, vt ſciam quid deſit mihi*, id eſt, quatenus ex cõſideratione paucitatis ac breuitatis dierum vitæ meæ aduertam conuerſationis meæ defectuoſitatem,& tantò feſtinantius atque feruentius me emẽdem, quantò breuius ac incertius eſt tempus reſiduum vitæ meæ. Hinc ex contemplatione inſtabilitatis ac breuitatis vitæ hominum

Ibidem. num in hoc mundo ſubiunxit: *Veruntamen vniuerſa vanitas, omnis homo viuens. Veruntamen in imagine pertranſit homo.* Quod cum ita ſit, ſtultum & vanũ eſt, pro temporalibus immoderanter ſollicitari. Ad quod inſinuandum adiecit: *Sed & fruſtra conturbatur. Theſauriʒat, & ignorat cui con-*

Peroratio *gregabit ea.* Aſſiduè ergo intueamur, quòd citò de hoc ſeculo recedemus, quatenus ad nullam creaturam inordinatè & culpabili

pabiliter afficiamur: ſed in vera mentis puritate creſcamus, ac ſolidemur quotidie. *Beati etenim mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Talis fuit ſanctus & nobilis doctor, beatus Thomas de Aquino, qui cum ſtudentibus atque confratribus ſancto Dionyſio Pariſios rediēs, & interrogatus ab illis: Ecce magiſter quàm pulchra eſt ciuitas Pariſij, *velléſne dominus eius eſſe? reſpondit: Mallem habere opus imperfectum Ioannis Chryſoſtomi ſuper Matthæum, quam eſſe dominus ciuitatis Pariſienſis.* Hinc idem vir ſanctus tres res ſpecialiter exorauit obtinere à Deo. Prima fuit vt in ſuo humili ſtatu permaneret, nec ad aliquam Eccleſiaſticam dignitatem, aut prælaturam promoueretur. Secunda, vt nullius rei creatæ affectio mentem ſuam coinquinaret. Tertia, vt ſtatus animæ fratris ſui defuncti ſibi reuelaretur: in quibus tribus exauditus fuit à Domino, pro ſua reuerentia.

Matth. 5.

Petitiones tres ſancti Thomæ Aquin.

De ſexto effectu ex meditatione mortis manante.

ARTICVLVS XII.

V*Eni in hortum meum ſoror mea ſponſa.* *Cantic. 5.* Hæc ſunt verba omnipotentis & glorioſiſſimi creatoris ad vnamquamque

animam viatricem, ac ſanctã, cuius creatoris adorandi tanta eſt dilectio atque dignatio ad animas virtuoſas, quòd eas appellat amicas, ſorores, ſponſas ac filias, ſicque animam ſanctam hominis agonizantis, ad ſuperni delicias paradiſi inuitans, *Veni*, inquit, *in hortum meum*. In hortum vtique cœleſtis ac delicioſiſſimi paradiſi, *ſoror mea ſponſa*, mihi per fidem, caritatem, ac fidelitatem ſtabilem deſponſata, vt de cætero deſponſata ſis mihi in patria beatorum per beatificam fruitionem, per lumen gloriæ, & inſeparabilem, gaudioſiſſimum, inceſſabilémque amplexum. Sic animæ perfectorum in extremis conſolantur, & inuitantur à Chriſto per inſpirationem internam, & allocutionem ſecretam, quibus teſtimonium perhibet Spirituſſanctus, per certificationem occultam, quòd placeant Deo, & quod benignè recipientur ab eo. Et hic eſt Sextus effectus ex meditatione mortis procedens, in his, qui cum dulci ſpe præſtolantur, atque cum gaudio ſpiritali ſuſcipiunt mortem aduenientem, tamquam æternæ beatitudinis ianuam & ingreſſum: prout ſanctus ait Bernardus: *Veniet mors, ſed ſomnus erit dilectis Dei, ianua vitæ, initium refrigerij,*

Caritas Dei ad homines quanta.

Rom. 8.

Bernard.

Sapien. 4.

frigerij. ſcala aſcenſionis in cœlum. Etenim Sapien.4.
ſi iuſtus praeoccupatus fuerit morte, in refri-
gerio erit. Nec his obſtat, quod etiam iuſti na-
turaliter pauent mortem, & eam naturaliter
horrent, cùm & beatiſsimo principi Apoſto-
lorum prædixerit Chriſtus: Cùm autem ſenue Ioan. 21.
ris, alius te cinget, & ducet quò tu non vis.
Quod vtique (vt Euangeliſta fatetur) di- Ibidem.
xit Saluator, *ſignificans qua morte ſummus*
ille Apoſtolus Deum erat clarificaturus Vn-
de & Climachus loquitur: *Pauor mortis,* Ioannes
proprietas eſt naturæ ex præuaricatione inobe- Climac.
dientiæ veniens, id eſt, ex originali peccato ho-
minis protoplaſti. Temor verò mortis, eſt
ſignum non peractæ pœnitentiæ de pec-
catis. Pauit Chriſtus mortē, non tremuit, Mat. 26.
vt duarum naturarum proprietates in ſe Luc. 22.
declararet. Et iterum proteſtatur. *Sicut*
manifeſtè diſcernitur ſtannū ab argento, quam-
uis in conſpectu ſimilitudinem habeant: ita apud
diſcretos manifeſtè patet diſtinctio inter natu-
ralem mortis pauorem, & inter innaturalem
mortis timorem ex remorſu conſcientiæ proue-
nientem. Denique qualiter iſta ſtent ſimul, *Appetitus*
vt puta mortem appetere & pauere, illu- *& pauor*
minatus Papa Gregor. triceſimoprimo *mortis quo*
Moralium docet, dicendo: *Sicut vir fortis* *modo ſtēt*
dum vicino certamine armis accingitur, palpi- *ſimul.*
tat & feſtinat, tremit & ſæuit, quaſi pauere per

pallo

pallorem videtur, ſed per iram vehementer vrgetur: Ita vir ſanctus dum paßionis ſeu morti propinquare ſe conſpicit, ex naturæ ſuæ infirmitate concutitur, & ex ſpei ſuæ conſtantia ſolidatur. De vicina morte trepidat, & tamẽ quia poſt mortem verius ac felicius viuet, exultat. Ad regnum namque non poteſt niſi interpoſita morte tranſire. Ideo gaudẽs metuit & metuens gaudet: quoniam ſcit, quòd ad ſupernę quietis brauium non pertinget, niſi id quod interiacet, cum labore tráſcendat. Talis fuit magnus ille ſanctus beatus præſul Martinus, qui viſo maligno ſpiritu lectulo ſuo aſtanti, cum certa humilíque fiducia dixit: *Quid hîc ſtas cruenta beſtia? Nihil in me funeſte reperies: Abrahæ me ſinus recipiet.* Sanctus quoque Hugo Lincolnienſis epiſcopus Carthuſiẽſis, qui hora agonis ex diuino dixit inſtinctu: *Nõ iudicij, ſed refrigerij dies erit quando defungar.* O quam grande eſt releuamen agonizantium, conſcientia pura, qua noſcunt ſe virtuoſe conuerſatos, ac ſalubriter morituros. Verũtamen inperterritis ad moriendum pẽſandum eſt quòd Climachus ait: *Sunt* (inquiens) *qui propria reputatione & elatione à paßionibus purgatos ſe arbitrantur, & ideo mortem non verentur.* Diſcutiat ergo ſe homo plenariè, nec præſumat, neque ſecu

Sanctus Martin. Epiſcop.

Perora.

ſecurus ſit inconſultè. Sanctus eſt, qui mortem quotidie ex humilitate, ſinceritate & charitatis ardore deſiderat: qualis præcipuè fuit glorioſus Andræas Apoſtolus, qui viſa eminus cruce ſibi parata, nequaquam extimuit, neque expalluit, ſed cum ingenti eam gaudio ſalutauit. Poſtremo, etiam magnus & nobilis ille Philoſophus Plato aliquid dixit concordans prædictis. In Phædone etenim ait: *Vir in Philoſophia ducens vitam, confidit cum ea mori debeat: maximis ſe ire fruitum bonis.* Et iterum: *Si quē videris grauiter ferre cùm debeat mori, nullo modo erat Philoſoph⁹.* Itémque: *Ridiculum eſt, virum omni vita ſe præparantem ad mortem, adueniente ea, moleſtè ferre.* *S. And. Apoſt.* *Platonis euangelica dicta.* *Idem.*

Exhortatio ad mortem ſalubrem, ex conſideratione ſublimium perſonarum, quæ mortis legibus ſubiacuerunt.

ARTICVLVS XIII.

VBi ſunt principes gentium, & qui dominantur ſuper beſtias terræ, qui in auibus cœli ludunt, qui argentum theſaurizant, & aurum in quo confidunt homines, & non eſt finis acquiſitionis eorum? Exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt. Multum accendit nos ad mundi contemptum, ad præſentis *Baruch. 3.*

ſentis vitæ aſpernationem, ad mortis præparationem dum prudenter attendimus eos celeriter ab hoc mundo ſubtractos, quibus multò inferiores conſiſtimus. Cúmque penſamus quòd eorum excellentiæ eis non profuerunt ad mortis euaſionem ad veram ſalutem, imò quòd potius per eas decepti ſunt ac damnati, valde ædificamur ac excitamur ad talium excellentiarum deſpectum.

Epilogus & ſpeculũ hominũ huius mũdi mortuorum.

Nunc ergo aduerte, ô homo qui ad ea quæ mundi ſunt inclinaris, qui carnalia appetis, qui tranſitorios amas honores, qui in donis naturæ, in bonis fortunæ, in habitibus, artibus atque ſcientiis acquiſitis exultas & tumes. Dic mihi, vbi iam illi, qui in talibus olim præclari fuerunt? Vbi Paris filius regis Troiæ, ſpecioſiſſimus adoleſcens? Vbi Adonis amaſius Veneris, formoſiſſimus iuuenis? vbi pulcherrimus Abſalon, aut venuſtiſſima Thalomon? vbi Hector fortiſſimus: aut Hercules robuſtiſſimus? vbi Plato? vbi Platonici ſubtilitate præcipui, Proclus, Plotinus, Porphyrius, Auicebron, Apuleius atque Macrobius? vbi Cicero? vbi Ciceronici rhetorica eloquẽtia tumidi? Demoſthenem, Xenophontem, Cteſiphontemq́ue loquor? vbi nunc famoſi

famoſi aſtronomi, Abumazar, Almyon, Albategni, Alfraganus, Tebid, & alij? vbi iam ſtudioſiſſimus Ariſtoteles Princeps Philoſophorũ, cum omni ſchola ac ſecta Peripateticorum, Auicenna Andronico, Algazele, Themiſtio, Auenros Alphorabio, Theophraſto, Simplicio? vbi [illegible]n imperatores, reges ac principes, olim [illegible]potentes & inclyti, Alexander, Cyrus ac Darius, Octauianus, Annibal, Nembroth, ac Iulius atque Põpeius? vbi Crœſus ditiſſimus? vbi Achilles magnanimus? vbi egregius Poëta Virgilius? vbi Ioab callidiſſimus? vbi iam viri antiquiſſimi, qui ante diluuium pluſquam nongentis annis vixiſſe leguntur? Ex his vide, diſce, conſidera, quòd decor, honor & gloria mundi, fortitudo, agilitas corporis, nobilitas generis, principatus, imperium, opulentia, eloquentia, ingenium, longiturnitas temporum, acquiſita ſcientia abſque humilitate, & gratia ſine caritate, & cordis munditia, nulli proſint ad ſalutem, imò innumerabilibus fuerunt & ſunt occaſio ad condemnationẽ maiorem. Non ergo huiuſmodi dona reprobis tam excellenter collata, inſipienter appretiemur, neque inaniter appetamus, ſed pro donis gratiæ gratum facientis *Dona quæ nam petẽda potiſſimũ à deo.*
omnipõ

omnipotentem iugiter deprecemur. Pro nihilo reputemus iniquos vt tales, nec vanorum & vitioſorum hominum ſequamur veſtigia: de quibus deuotiſſimus ait Bernar. *Dic mihi vbi ſunt amatores mundi, qui ante pauca tempora fuerunt nobiſcum, qui lautè ac ſplendidè comederunt, voluptuosè biberunt, qui in comeſſationibus, potationibus, impudicitijs, iocis & ludis, riſibus, fabulis, & choreis tempora ſua infœliciſſimè perdiderunt, inſipientiſſimè conſumpſerunt, & irrecuperabiliter perierunt. Nihil in tumulis remanſit ex eis, niſi vermes & cineres, putredo & ſanies, fœtor, horror & arida oſſa.* Hîc caro eorum deputata eſt vermibus eſca, atque in inferis anima eorum tradita eſt æternis ſuppliciis, donec denuo infœliciter copulata, pariter torqueantur intolerabilibus ignis tartarei flammis. Ecce poſt breuem & inanem lætitiam, poſt vilem & fœdam voluptatẽ, poſt inanes riſus, ludos & iocos, ſortiti ſunt æternalem triſtitiam, infernalem deſolationem, ignem ſulphureum, pœnaliſſimum frigus, fletum, dentiúmque ſtridorem, pro ſocietate mundana receperunt mœſtiſſima dæmoniorum conſortia. Quid ipſis iam prodeſt tranſacta voluptas, elatio cordis, irrefrænatio oris,

Bernard.

vitioſa

vitioſa libertas in prauis operibus? Quid diuitiarum iactantia, grandis familia, pretioſitas veſtium, decor ornamentorum, nobilitas generis, proſperitas temporis? Nónne omnia illa celerrimè defecerunt, & tãtam poſt ſe calamitatẽ, æternam ruinationẽ, acerbiſſimam pœnã, deſperationẽ, preſſurã, anguſtiam reliquerunt? quẽadmodũ ait propheta: *Defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum feſtinatione.* Cur de mundana prudentia, de philoſophica ſcientia, & nobilitate carnali, de potentia ſæculari gloriaris, & intumeſcis, cùm dicat Apoſtolus electis fidelibus, *Videte vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles ſunt inter vos: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes ſæculi huius, & infirma, & contemptibilia mundi elegit Deus. Nónne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi?* De talibus ſapientibus in oculis ſuis ait in Euangelio filius Dei: *Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis, id eſt,* humilibus. Iſaias quoque propheta, *vbi* (inquit) *eſt literatus? vbi verba legis ponderans? vbi doctor paruulorum?* De talium vno quoque

Pſal 77.

1. *Cor.* 1.

Matt. 11.

Iſaiæ. 33.

f iterum

Iſaiæ.47. iterum loquitur Iſaias: *Sapientia & ſcientia tua deceperunt te.* De quibus & Ieremias
Iere.4. diſſeruit: *Sapientes ſunt vt faciant mala, bene autem facere neſcierunt.* Vbi gigantes à ſeculo nominati, ſtatura magni, in bellis periti? Certè in his impletum eſt, quod
Iob. 20. in Iob legitur: *Hoc ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quòd laus impiorum breuis ſit, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Si aſcenderit vſque ad cœlum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquillinium in fine perdetur, velut ſomnium auolans non inuenietur. Tranſiet quaſi viſio nocturna, & qui eum viderant, dicent: Vbi eſt?* Verumtamen ob hoc nobiles & potentes, docti & in ſæcularibus rebus prudentes deſperare non debent: ſed formida-
Ioh. 3. 7. re, ac humiliare ſemetipſos. Nam &
19. Chriſtus quoſdam habuit diſcipulos di-
Lucæ 19. uites, potentes & doctos, videlicet Ni-
Mat. 27. codemum, Zachæum, & Ioſeph ab Ari-
Lucæ 23. mathia decurionem, ad præfigurandum quòd etiam talium quidam ſaluantur.

Recitatio exemplorum & hiſtoriarum, ex quibus debet homo accendi ad aſſiduam mortis preparationem.

ARTICVLVS XIIII.

Sap.7. S*Vm quidem & ego mortalis homo, ſimilis omnibus, ex genere terreno, & natus, accepi*

accepi communem aërem, & ſimiliter factam decidi terram, & primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans. Nemo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis initium. Audiamus quid famoſiſſimus, atque ditiſſimus rex Salomon referat de ſeipſo: *Magnificaui* Eccl. 2. (inquit) *opera mea, ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos & pomaria, & conſeui ea cuncti generis arboribus. Extruxi mihi piſcinas aquarum, vt irrigarem ſyluam lignorum germinantium; Poſſedi ſeruos & ancillas, multámque familiam, armenta quoque, & magnos ouium greges, vltra omnes qui fuerunt ante me in Ieruſalem: Coaceruaui mihi aurum & argentum, & ſubſtantiam regum, & prouinciarum. Feci mihi cantores & cantatrices, & delicias filiorum hominum. Cúmque me conuertiſſem ad vniuerſa hæc, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem ſpiritus, & nihil permanere ſub ſole. Moritur doctus, ſimiliter & indoctus: & idcirco tæduit me vitæ meæ, videns mala eſſe vniuerſa ſub ſole, & omnia vanitatem afflictionémque ſpiritus. Quid proderit homini de vniuerſo labore ſuo, & afflictione ſpiritus, qua ſub ſole cruciatus eſt? Cuncti dies eius doloribus, & ærumnis pleni ſunt, nec per noctem mente quieſcit.* *Dies hominum ærumnis ſunt pleni.* Ecce quod ſapientiſſimus Salomon ille propria experientia doctus, faſſus eſt, in

vniuerſis diuitiis, deliciis atque honoribus mundi non eſſe niſi vanitatem, miſeriam & cordis afflictionem. Nam & ipſis deliciis multæ deſolationes ac triſtitiæ ſunt admixtæ. Diuitiis quoque inquietudo, ſollicitudo, timor & dolor miſcentur. Excellentia etiam ac præſidentia inſidias, inuidias, curas, anxietatéſque patitur. Ideo librum in quo prælegata verba habentur, Salomon ſic incœpit: *Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes.* Eccleſ. 1.
Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Et eadem verba in fine libri illius repetiuit. Vnde quid finaliter omnibus ſit agendum, in fine eiuſdem libri expreſſit: *Finem* (inquiens) *loquendi omnes pariter audiamus. Deum time & mandata eius obſerua. Hoc eſt enim omnis homo.* Eccle. 12. Præterea Daniel narrat, qualiter Baltazar rex Babylonis fecit grande cõuiuium optimatibus ſuis, cum quibus ipſe cũ ſuis vxoribus & concubinis epulabatur, ac temulentus bibebat, atque eadem nocte occiſus fuit in vltionem ſuorum facinorum. Daniel. 5. Conformiter ſuperbiſſimus Holofernes poſt crapuloſam & delicatiſſimam cœnã, quam ſuis exhibuit ſeruis, cùm in ipſa nocte putaret immundis voluptatibus frui, à fœmina eſt occiſus. Iudith. 13. Aman quoque crudelis Heſter. 3.

delis à rege Aſſuero ſuper omnes princi- *Heſter. 7.*
pes regis ſublimatus, eodem die quo putauit cum rege ac regina gaudioſiſſimè epulari, procurante regina, ac rege iubẽte, affixus patibulo fuit pro ſuis criminibus. Inſuper in Actibus fertur Apoſtolo- *Actuum*
rum, quemadmodum Herodes rex regia 12.
veſte indutus, dum blaſphemis laudibus populi delectaretur, ab angelo eſt percuſſus, & conſumptus à vermibus, expira-
uit. Amplius in libro Ezechielis prophetæ *Ezec 26.*
opulentia, & eminentia ciuitatis nomine *Ezec. 27.*
Tyri, per capitula diuerſa deſcribitur, vbi 28.
inter cætera legitur, *Hæc dicit dominus* *Ezec. 27.*
Deus: O Tyre, tu dixiſti: Perfecti decoris ego ſum, & in corde maris ſita. Perſæ & Lydi & Libyes erant in exercitu tuo, clypeum & galeam ſuſpenderunt in te pro ornatu tuo: Carthaginenſes negotiatores tui argento & ferro, & plumbo & ſtanno repleuerunt nundinas tuas: Græcia, & Tubal, & Moſoch inſtitores tui, mancipia, equos & equites, & mulos adduxerunt ad forum tuum. Venditores Saba vniuerſa præmia, aromata, & lapides pretioſos: & aurum propoſuerunt in mercatu tuo. Iuda & terra Iſraël, inſtitores tui in frumento primo balſamum, mel, & oleum, & reſinam, propoſuerunt in nundinis tuis. Sed & Pygmæi, qui erant in turribus tuis, pharetras ſuas ſuſpende-

runt in muris tuis per gyrum, ipſi compleuerunt pulchritudinem tuam, & ecce repente ad nihilũ deducta es, & periſti. Opes tuæ, & omnis multitudo tua quæ erat in medio tui, pariter ceciderũt. Inſuper Climachus refert, quod in mõte Oreb fuit ſolitarius quidã, in omni negligentia viuens, qui tandem grauiter infirmatus, quaſi vnius horæ ſpacio perfectè migrauit à corpore, & rediens ad ſeipſum, rogauit nos omnes vt recederemus ab eo. Qui nobis egreſſis ianuã cellę ſuæ mox obſtruens, manſit intus duodecim annis, cum nullo hominum colloquium habens, nihil aliud guſtans niſi panem & aquam, ſedens, & ad ea quæ vidit in ecſtaſi ſtupens, ſic manſit mœrens, quòd nunquam de cætero proprium morem mutauit, & calidas lachrymas ſine ſtrepitu ſemper fundebat. Cum autem migraturus erat ad Dominum, portam deſtruentes intrauimus, & multum deprecantes, vt aliquid diceret nobis, hoc ſolum ab eo audiuimus: *Indulgete mihi: nemo memoriã mortis habens poterit peccare.* Nos verò admirabamur hominẽ prius negligentem, tam repente beata mutatione in melius transformatum. Cúmque eum ſepeliſſemus: requirentes die altera ſanctas eius reliquias, ne-

qua

quaquam inuenimus : per quod certificauit nobis Deus de eius ſtudioſa pœnitentia & ſalute. Præterea, alter quidam in deſerto commorans, in loco qui dicitur Tholas,ex intenta meditatione mortis ſæpius patiebatur mentis exceſſum, & mente deficiens, ac corpore ſopitus, inueniebatur à fratribus ferè abſque anhelitu,à quibus & reportabatur.Hæc Climachus. Legitur quoque quod olim cōſuetudo extitit Romæ , vt nouo Papa creato , deferretur,atque incenderetur coram eo ſtupa, & diceretur : *Sic tranſit gloria mundi.* Conformiter, in Conſtantinopoli fuerat vſus, quòd Imperatore recenter coronato, quidam repræſentabāt coram eo tria, aut quatuor genera lapidum, dicentes vt eligeret, de quo ſibi fieri vellet ſepulchrum. Sed & ſanctus Ioannes eleemoſynarius ordinauit , vt ſuum monumentum ipſo viuente non perficeretur,imò diebus ſolemnibus, cū eſſet in honore, vnus miniſtrorum ſuorum veniret ac diceret : *Domine ſepulchrum tuum nondum completum eſt, iube perſici illud : quoniam neſcis diem & horam.* Hæc fiebant vt tanti viri temporali proſperitate non extollerentur, ſed mortales ſe eſſe aduerterent. Poſtremo,

vt recitat Petrus Alfonſus, defuncto Alexandro mundi monarcha, conuenerunt multi philoſophi, quorum vnus diſſeruit: Heri totius terræ ſpacioſitas Alexandrò non ſuffecit, nũc ſufficit ipſi ſpacium triũ, vel quatuor vlnarum. Alius dixit: Heri Alexander potuit multos populos liberare à morte, hodie ſeipſum à morte nequiuit eripere. Alter videns auream eius tũbã, locutus eſt: Heri Alexander de auro fecit theſaurum, hodie aurum facit de ipſo theſaurum. Alius ait: Heri Alexander terram oppreſſit, hodie à terra opprimitur. Sicque cæteri per ordinem notabilia multa dixerunt, ad inſinuandum vanitatem vitæ præſentis, ac principatus terreni.

De miſeriis & ærumnis humanæ conditionis.

ARTICVLVS XV.

Eccl. 40 OCcupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & iugum graue ſuper omnes filios Adam. In hoc euidenter apparet plenitudo miſeriarum hominum vniuerſorum, quòd quantò maior videtur eſſe eorum proſperitas, & voluptas, tãtò maior eſt eorum calamitas atque iniquitas.

Nulla

Nulla enim grauior miſeria hominis quã peccatum, quod maximè & incomparabiliter nocet rationali creaturę, ſeparans eam à ſuo creatore ac ſaluatore, priuánſque eam omni diuino chariſmate Spiritusſancti, atque fœlicitate cœleſti: ad æternalem quoque damnationẽ eam perducens. Praua autem voluptas, & omnis vana lætitia eſt peccatũ. Proſperitas verò mundana, eſt pręcipua vitiorum occaſio, & maximum incitamentum peccandi, ſecundum quod Salomon loquitur: *Proſperitas ſtultorum* (id eſt, iniquorum hominum) *perdet eos*. Denique, quamuis caro hominis multis immunditiis, vilitatibus, defectuoſitatibus, fœtoribus; & ærumnis ſit plena, anima tamen ineffabiliter periculoſioribus, atque peioribus miſeriis, vilitatibus, ſordibus ac defectibus eſt repleta, & totus homo eſt miſera creatura, & laqueis periculíſque expoſita & vallata, vt nequeat explicari. Hinc Innocentius ait: *Quis det oculis meis fontem lachrymarum, vt defleam miſerabilem humanæ conditionis ingreſſum, culpabilem conuerſationis progreſſum, damnabilem diſſolutionis egreſſum? Conſideraui cum lachrymis, de quo factus eſt homo, quid faciat homo, quid futurus ſit homo. Formatus eſt terra, conce-*

Peccatum grauior hominum miſeria.

Gloria mũdi vitiorũ origo.

Prou. 1.

Miſeria hominis. *ptus in culpa, natus ad pœnam: Agit praua & turpia, quæ non licent, vana quæ nō expediunt:*
Geneſ.4. *Fiet cibus ignis, eſca vermis, maſſa putredi-*
Ephe.1. *nis. En herbæ & arbores producunt flores, frondes, & fructus. Homo lendes, pediculos & lumbricos. Illæ de ſe fundunt oleum, vinum & balſamum: tu ſputum, vrinam & ſtercora. Illæ de ſe ſpirant ſuauitatis odorem: tu abominabilem, intolerabilémque fœtorem. Porrò cum ad ſenectutem quis venerit, ſtatim cor eius affligitur, caput concutitur, languet ſpiritus, fœtet anhelitus, frons rugatur, ſtatura curuatur, caligant oculi, vacillant articuli, nares fluunt, crines ruunt, tremit tactus, deperit & actus, dentes putreſcunt, aures ſurdeſcunt.* Hinc ait ſanctus Bernardus: *Si diligenter conſideres quid per os & nares cęteróſque corporis meatus egreditur, vilius ſterquilinium non vidiſti.* Si ſingulas tuas miſerias velis enumera-
Gene.8. re, quantis ſis opertus peccatis, irretitus vitiis, pruriens concupiſcentiis, occupatus paſſionibus, pollutus illuſionibus, pronus ſemper in malum, procliuus ad omne peccatum, non ſufficies conſiderare, nec enarrare hæc omnia. Cur ergo ſuperbis? Cur curioſis pretioſiſque veſtibus corpus tuum adornas, quod poſt paucos dies vermes deuorabunt: animã verò tuam non ornas virtutibus, quæ

præ

præſentanda eſt Deo,& angelis?Cur animam tuam vilipendis,& ei carnem tuam immundiſſimam præfers?O quãtis quotidie vitiis inquinamur, quàm enormia ſunt noſtra peccata, quàm imperfecta ſunt opera noſtra bona:& ignoramus an digni ſumus amore an odio, & quid finaliter nobis eueniet, æternáne damnatio,an vera beatitudo.Ecce ex his debemus nos iugiter profundiſſimè humiliare,carnalia ſpernere, atque ad mortẽ inceſſabiliter nos præparare. Nam, vt etiã Plato diſſeruit in Phædone, miſerũ corpus noſtrum decies millena impedimenta contemplationũ affert animæ noſtræ. Secundus quoque philoſophus ab Hadriano imperatore interrogatus quid eſt homo,reſpondit: *Mens incorporata, phantaſma temporis, ſpeculator vitæ, mancipium mortis, tranſiens viator, hoſpes loci, anima laborioſa, habitaculum temporis parui.* Mundo ergo vtamur tamquam hoſpitio, totíſque viribus feſtinemus ad patriam electorum, quam vt poſt vitæ præſentis finem mox ingredi valeamus, ad mortem ſalubrem nos diſponamus per indefeſſa exercitia actuum virtuoſorum.

Anima cur nõ vilipendẽda.

Eccleſ.9.

Hoc mundo quomodo vtendum.

Finis primæ partis.

Secun

Secunda pars huius operis quæ eſt de ſecundo quatuor nouiſsimorum, puta de futuro Dei iudicio, cui attribui poſſunt omnes actus, qui iam ante aſsignati ſunt morti.

ARTICVLVS I.

OMnes nos manifeſtari oportet ante tri-
2. Cor. 5. *bunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque prout geſsit*: Sicut præhabitum eſt, ſecundum nouiſſimorum, eſt diſtrictum Dei iudicium. Ideo dicto de morte, reſtat nūc aliquid de iudicio iſto tractare. Hoc iu-
Iob. 14. dicium multò terribilius eſt ipſa morte corporali ac temporali, imò & pœnis inferni ad tempus: prout ſanctus Iob dixit: *Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas & abſcondas me donec pertranſeat furor tuus?* Dictum eſt quoque quòd mors corporalis ac breuis non eſt in ſeipſa tam metuenda, vt ſancti patres edocuerunt, niſi propter iudicium Dei annexū morti, & propter ſupplicia quę iuſto omnipotentis iudicio infliguntur iniquis. Hinc ſicut cōſideratio mortis intenta inducit ad ſex effectus, de quibus iam antè facta eſt mentio, quæ ſunt, vehementer timere coram Deo, ſollicitum eſſe, pœnitentiam aggredi, humiliare ſeipſum, tem-

pora

poralia ſpernere, ad nihil terrenum inordinatè & culpabiliter affici: ſic diligens conſideratio diuini iudicij ad eoſdem ducit effectus. Ideò ex conſideratione horum amborum validius prouocemur ad hos ſaluberrimos actus, & conſiderantes iudicem ſummum omnia clariſſimè intuentem, atque nos citò iudicandos ab ipſo, conuerſemur in eius præſentia cum omni timore & pauore, cum beatiſſimi viris Elia, & Eliſæo dicentes: *Viuit dominus, in cuius conſpectu ſto hodie.* Sícque ex horum conſideratione obedientes altiſſimo, mereamur cum Pſalmiſta dicere Deo: *Seruaui mandata tua & teſtimonia tua: quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.* Nempe (vt dixit beatiſſimus Abbas Macarius) *tanta eſt terribilitas diuini iudicij, quòd ſi quis dignè illud perpendat, oſſa eius carni ſuæ præ timore vix adhærebunt.* Vnde ſanctus rex Dauid fatetur: *A voce gemitus mei adhæſit os meum carni meæ*, id eſt, pelli meæ. Idcirco & nos deploremus culpas, atque miſerias noſtras, & propter pericula inenarrabiliter grandia, quibus expoſiti ſumus, congemiſcamus: fugientes ad Dei clementiam, ſecundum quod ſancti patres factis docuerunt & verbis. Etenim cùm ſanctus vir

3. Reg. 17.

4. Reg. 4.

Pſal. 118.

Pſal. 101.

vir Abbas Paſtor audiſſet beatum abbatē Arſenium migraſſe ad dominum fleuit, dicens: *Beatus es abba Arſeni, quia fleuiſti teiſum in ſeculo iſto. Qui enim in hoc ſeculo ſeipſos non deflent, in alio ſe ſeculo deplorabūt.* H nc cum præfatus abbas Macarius veniſſet ad ſanctos patres, & fratres in mōtem dixit: *Ploremus fratres, & deploremus modò noſipſos, antequam veniamus, vbi lachrymæ noſtræ comburant corpora noſtra.* Fleuerúntque omnes & corruerunt proni in terram ſuper facies ſuas, dicentes: *Ora pro nobis ô pater.* Hinc locutus eſt filius Dei: *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Studeamus nos imbecilles, imperfecti & defectuoſi, multis culpis obnoxij, metuendū Dei iudiciū tā iugiter reminiſci, conſiderare, vereri, quàm vehementer & aſſiduè formidauit illud glorioſus & ſanctus doctor Hieronymus, dicēs: *Quoties diem illū conſidero toto corpore contremiſco. Siue enim comedo, ſiue bibo, ſiue aliud aliquid facio, ſemper videtur mihi tuba illa terribilis ſonare in auribus meis: Surgite mortui, venite ad iudicium.* Taliter planè formidauit iudicium Dei ſanctus ſenior ille, qui cum vidiſſet fratrem quendam ridentem, ait: *Coram cœlo & terra rationem reddemus totius vitæ noſtræ, & tu rides?*

Matth. 5.

Quod

Quod valde metuendum ſit futurum Dei iudicium ex diſtrictione iudiciorum quæ Deus interdum exercuit in hoc mundo.

ARTICVLVS II.

Quia non citò profertur contra malos iudicium, abſque vllo timore filij hominũ perpetrant mala. Quam veraciter protulerit ſapientiſſimus Salomon verba hæc, experiẽtia docet. Sunt etenim multi, imo & innumerabiles, qui de die in diem adijciunt peccata peccatis, & ſine menſura ac numero creatorem ſuum offendunt, animas proprias lædunt & perimunt, dæmonibus obſequuntur; ac tandem vitioſis conſuetudinibus victi, oppreſsi, ac penitus excœcati, abſque timore tranſgrediuntur omnipotentis legiſlatoris præcepta, quoniam experiuntur ſe diu impune peccaſſe, imò & ſibi in vitiis proſperè ſucceſſiſſe, ſimiliter aliis multis. Hinc ſumunt peccandi audaciam, atque faciliter ſibi prophetant, quòd poſteà pœnitentiam ſint acturi, & fallunt inſipientes ac miſeri ſemetipſos. Hinc rurſus Salomon proteſtatur: *Omnia in futurum ſeruantur incerta.* Vnde & corda filiorum hominum implentur malitia & con

Eccleſ. 8.

Peruerſitas plerorũque hominum.

Eccleſ. 9.

contemptu in vita ſua, & poſt hæc ad inferos deducentur. Inſuper, ex hoc quòd impij tam diu non ſolum impunè peccant, ſed etiam in ſuis vitiis (vt Ieremias Propheta ſuper hoc admirans locutus ſit:

Ierem. 12. *Iuſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum: Verumtamen iuſta loquar ad te: Quare via impiorum proſperatur, & benè eſt omnibus qui præuaricantur, & iniquè agunt? plantaſti eos, & proficiunt)* proſperantur: econtrario iuſtis frequenter contingunt aduerſa, & opprimũtur ab impiis, variiſque infirmitatibus (propter quod ait ſcriptura: *Multæ tribulationes iuſtorum*) affliguntur. hinc quidam ſumpſerunt occaſionem errandi atque dicendi, quòd Deus non habeat prouidentiam rerum terrenarum, & actuum humanorum. De quibus Spiritus-

Ezech. 9. ſanctus per Ezechielem teſtatus eſt: *Dixerunt, Dereliquit dominus terram, & Dominus nos non videt.* Ex conſequenti quoque aſſeruerunt non eſſe futurum iudi-

Sapien. 2. cium Dei de quibus in lib. Sapien. habetur: *Dixerunt impij apud ſe cogitantes non rectè: Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hæc erimus tamquam ſi nati non fuerimus.*

Ex

Ex hoc demum errore laxauerunt habenas concupiſcentiis ſuis, & ſine refrænatione voluptatibus ſeruierunt. Vnde in prætacto Sapien. lib. dixiſſe, & ex falſis præmiſſis concluſiſſe leguntur: *Venite ergo* *Ibidem.* *& fruamur bonis quæ ſunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter, vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis antequam marceſcant. Nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra. Vbique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra & hæc eſt ſors noſtra.* Sed inſipientes ac impij iſti improuida conſideratione falluntur. Quamuis namque (vt tactum eſt) frequenter communitérque contingat, quòd impij florent, proſperantur, ac diu impune peccant in ſæculo iſto, nihilominus ſæpe oppoſitum accidit: imò multoties iuſtus Deus in hac vita nõ ſolùm puniuit, ſed etiam tam acriter, támque celeriter puniuit iniquos, & eos occidit, ac cõdemnauit, vt non ſolum certi eſſe debeamus de prouidentia Dei, & futuro eius iudicio, ſed & vehementiſſimè admirari, ac formidare debeamus rigorem diuini iudicij. Nónne in exordio mundi, propter primorum parẽtum noſtrorum tranſgreſſionem, non ſolùm irreuocabiliter expulit

Impij non ſemper florent.

Gene. 3.

eos de paradiſo terreſtri, imò etiam totam eorum poſteritatem tam amœna habitatione priuauit? atque (quod grauius eſt) poſteros eorum originali nudauit iuſtitia, & culpæ ac damnationi iudicauit

Ephe.2. obnoxios, ita quòd vſque in præſens naſcantur iræ filij, & in peccatis concipiantur, ac variis ſubijciantur miſeriis in tantùm quòd Ieremias in vtero ſanctificatus

Ierem.1. tus conqueſtus eſt dicens: *Quare de ventre*

Iere. 20. *egreſſus ſum, vt viderem laborem & dolorem,*

Gene. 7. *& conſumerentur in confuſione dies mei?* Præ-

2.Pet.2. terea manifeſtauit omnipotens Deus terribilitatem, ac diſtrictionem iuſtitiæ ſuæ, quando totum genus humanum interfecit diluuio, paucis, id eſt octo, hominibus exceptis, in quo diluuio innumerabiles mergebantur infantuli, qui adhuc nul-

Gene.19. lam commiſerant culpam. Similiter declarauit Altiſſimus metuendam ſuam iuſtitiam in horrenda ſubuerſione, atque ſulphurea ambuſtione Pentapolis, id eſt, quinque vrbium, & vniuerſorum etiam infantium, qui erant in ipſis propter im-

Exod. 7. mūdiſſima eorum facinora. Deinde mul-

Exod. 8. tipliciter, terribiliter, ac euidentiſſimè

Exod.9. oſtendit rigorem ſuæ iuſtitiæ in vniuer-

Exod. 11. ſa terra Ægypti, & in cunctis Ægyptiis,

Exod.14. quos decem principalibus plagis, multiſ-

que

que aliis plagis percuſſit, ac multos eorũ in mari rubro ſubmerſit. Quibus peractis monſtrauit ſuæ diſtrictionem iuſtitię ſæpe, & copiosè in Iſraëlitico populo in deſerto, in quo dum populus ille vitulum aureum adoraſſet, occiſa ſunt mox ex eis viginti tria millia hominum. Cumque duo filij Aaron poſuiſſent ignem alienum in thuribulis ſuis, protinus venit ignis diuinitus, combuſſitque eos. Deinceps quoque dum variis modis peccaſſent filij Iſraël in eremo, vt puta eſum carnium deſiderando, impatienter agendo, ac modis variis murmurando, dirè plagati ſunt, in tantum quòd in ſexcentis millibus, ac pluribus ex Ægypto eductis, non niſi duo viri (videlicet Ioſue, ac Caleb) terram promiſſionis ingreſſi ſunt: Inter quos Dathan & Abiron: Hon quoque & Chore horribilibus ſunt plagati, quia cum tabernaculis ſuis à terra viui fuerunt abſorpti. Inſuper, in extirpatione & occiſione Chananæorum, fortiſſimorum & innumerabilium populorum Deus iuſtitiam ſuam, per filios Iſraël horrendè monſtrauit, in aliis quoque gentilibus tempore Iudicum. In Euangelica quoque lege, in improuiſa ac ſubitanea interfectione infi

Exod 32. *Exod.16.* *Exod. 15.* *Num.14. & 17.* *Deuter.1.* *Pſal.105.* *Num.16.* *Iudic.4.7* *Iud.11.15.*

Iſaiæ 14. infidelium tyrãnorum perſecutorum Ec-
*Ezec.*28. cleſiæ, imò in principio creationis rerum, in eiectione & condemnatione angelorum peccantium, quos pro vno peccato celerrimè facto æternaliter condemnauit & puniit. In quibus omnibus per iſta ſuæ æquitatis exempla nos terruit, ſalubritérque admonuit, vt diu'ni timeamus iudicij ineffabilem æquitatem, quę rigoroſius nimis iudicabit, ac vindicabit in futuro vitia hominum, quàm in ſeculo iſto. Itaque dicere poſſumus illud Iob:
Iob 26. *Ecce hæc ex parte dicta ſunt viarum* (id eſt, operum) *eius, & cum vix paruam ſtillam ſermonum eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri?* Etenim ſtillæ ſermonum Dei ſunt iudicia eius facta in mundo iſto tonitruum autem magnitudinis eius, eſt futurum eius iudicium, & ſententia eius cõtra iniquos, qua dicetur:
*Matt.*25. *Ite maledicti in ignem æternum.* Hinc beatiſſimus princeps Apoſtolorum Petrus in
1.*Pet.*2. ſua ſecunda ſcribit canonica: *Si Deus Angelis peccantibus & originali mundo non pepercit, diluuium mundo impiorum inducens,*
*Gene.*7. *& ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in*
19. *cinerem redigens euerſione damnauit, exemplum eorum qui impiè acturi ſunt ponens, velit dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in*

rò in diem iudicij cruciandos ſeruare.

De multis rebus, ex quarum conſideratione innoteſcit, quàm metuendum & rigoroſum ſit futurum Dei iudicium, tam generale in fine mundi, quàm particulare in ſingulorum hominum obitu.

ARTICVLVS III.

Ecce venit dominus in ſanctis millibus ſuis facere iudicium, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, & de omnibus duris quæ locuti ſunt contra dominum peccatores impij Hæc verba ſanctus Iudas Apoſtolus allegat in ſua epiſtola, eſſe prænunciata ab Enoch qui in paradiſum tranſlatus eſt. Multa ſunt, ex quibus docemur, quantum formidare debemus iudicium Dei tam particulare quàm generale: imo qui in die generalis iudicij cupit eſſe ſecurus, ſtudeat Deo indeſinenter placere, & ad mortem ſalubrem pertingere. Sic enim in particulari ſuo iudicio ſaluabitur, & idcirco in die nouiſſimo erit ſecurus. Quidam verò futurum in fine mundi iudicium minus verentur, quia adhuc longè abeſſe id opinantur. Qui penſent, quòd particulare

Iudæ 1.

Gene. 5.

Eccl. 44.

Probatæ vitæ ſecuritas in iudicio vtroque.

eorum iudicium non niſi paululum diſtet, in quo ſi imparati fuerint inuenti, tam nunc quàm in die nouiſſimo, in generali iudicio damnabuntur. Denique, vtrunque iſtud iudicium eſt ineffabiliter metuendum. Primò, ex parte iudicis ſummi, ſecundo ex parte iudicandi, tertio ex parte retributionis. Ex parte etiam iudicis metuendum eſt vtrunque iſtud

Iudicium vtrunque metuendũ multifariam.

I. iudicium multis modis. Primò, ratione altiſſimæ auctoritatis & excellentię eius,
II. à qua nullus poteſt appellare: ſecundò, ratione infinitæ ſapientiæ ſuæ, quam ni-
III. hil poteſt latere: tertiò ratione omnipotentiæ ſuæ, cui nullus poteſt reſiſtere, &
IIII. quam nemo valet effugere: quartò, ratione iuſtitiæ eius, quæ in tantum odit omne peccatum, quòd nullam culpam quantumlibet paruam deſerit indiſcuſ-
V. ſam aut impunitam. quintò, quoniam ipſe Deus omnipotens non ſolum eſt iudex, ſed etiam pars. Ipſe quippe in omni culpa offenditur, quia in omni peccato mortali præceptum ipſius violatur. Sícque cauſa vertitur inter ipſum & iudicandos. Valde autem metuendum eſt iudicari ab ipſo, in quem exceſſus commiſ-
VI. ſus eſt: Sextò: ratione beneficentiæ ſuæ. Quò enim in hac vita benignior & gra-

tioſior

tioſior fuit nobis, quò plura ac maiora beneficia nobis exhibuit, quò longanimius emendationem noſtram præſtolari dignatus eſt, quò frequentius & euidentius admonuit nos, eò ingratos & impios horribilius iudicabit. Præterea, ex parte iudicandorum terribile eſt vtrunque iudicium. Primò, quoniam infirmi & fragiles ſunt: ſecundo quia in multis offenderunt: tertiò, quia incerti ſunt an *Iacob. 3.*
digni ſint odio, & an placeant Deo. Amplius vtrunque iudicium metuendum eſt vehementer ex parte retributionis, quæ eſt æterna damnatio, cuius inflictio eſt maximè formidanda: aut ſalus perpetua, cuius carentia eſt potiſſimè metuenda. Inſuper, vltra hæc generale iudicium eſt præſertim verendum. Primò, ex parte I.
terribilium ſignorum quæ illud præcedent, quia (vt in Euangelio veritas pro- *Luc. 21.*
teſtatur.) *Erunt ſigna in ſole & luna*, &c. II.
Secundò ex parte diſpoſitionis in qua mundus tunc ſtabit. Nam ignis conflagrationis terram & aërem occupabit, & vniuerſæ creaturæ erunt quaſi commotæ contra iniquos, atque armatæ ac præpa- *Sapien. 5.*
ratæ ad vlciſcendum in iniquis iniuriam creatoris. Tertiò ex parte exercituum III.
iudicis, quia aderunt ibi vniuerſi Angeli
 ſancti

ſancti & ciues ſuperni, qui & tunc viſibi-
IIII. liter apparebunt. Quartò, ex parte potentiæ omnium rationalium & intellectualium creaturarum, in quarum conſpectu, confundi, reprobari & manifeſtari erit maxima pœna.

De terribilitate diuini iudicij, ratione ſummæ auctoritatis & extremæ excellentiæ iudicis Chriſti.

ARTICVLVS IIII.

Iob 6. D*Eus cuius iræ reſiſtere nemo poteſt, ſub quo curuantur qui portant orbem. Quis ei dicere poteſt cur ita facis?* Solent inferiorum iudicum iudicia minus timeri, quoniam etſi condemnent in cauſis quibuſdam, patet euaſio per appellationem ad

Aequiſsima iudicia Dei. iudicē ſuperiorem. Maximè ergo timendum eſt iudicis ſummi iudicium, à quo appellari non poteſt nec licet, cuius iudicia quamuis iniuſta eſſe non queant: ſunt tamen incomprehenſibilia, mirabilia, tâmque diſtricta & abdita ſeu occulta, vt multa quæ humano iudicio iuſta videntur & bona, ab ipſo reprobentur ac condemnentur. Propter quod ait in Pſalmo:

Pſal. 74. *Cùm accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo*, id eſt, examinabo an ſint veræ iuſtitiæ. Hu-

3. Reg. 13. ius exemplum patet 3. Reg. de Propheta quem

quem Dominus miſit ad increpandum idololatriam Ieroboam regis Iſraël, præcipiens ei, ne comederet neque biberet in terra regis illius. Qui cum ex deceptione cuiuſdam pſeudoprophetæ comediſſet in terra illa, in vltionem inobedientiæ ſuæ à leone mox fuit occiſus: qui tamen valde excuſabilis videbatur, quoniam callidiſsimum illum pſeudoprophetam putauit eſſe verum Dei prophetam, & peccare ſe credidit, niſi acquieſceret illi. Dixerat namque pſeudopropheta ad ipſum: *Et ego Propheta ſum ſimilis tui, & angelus locutus eſt mihi in ſermone Domini, dicens: Reduc eum in domum tuam, & comedat.* Vnde elicitur, quòd in multis credimus *Ibidem.* nos coram Deo excuſabiles eſſe, in quibus tamen ipſe incomprehenſibilis Deus non habet nos excuſatos. Quod etiam demonſtratur ex reprobatione trium amicorum beati Iob, qui videbantur ze- *Iob 18.* lo diuini honoris contra Iob diſputaſſe, quoniam ipſis apparuit, quòd Iob in verbis ſuis derogauit diuinæ iuſtitiæ: propter quod eum acriter arguerunt: & tamen dominus iudicauit eos male eſſe locutos, dicens ad principalem ipſorum: *Iratus eſt furor meus in te & in duos amicos tuos, quia non eſtis locuti rectum coram me, ſicut* *Iob 32.*

Iob 37. *ſeruus meus Iob.* Vehementiſſimè igitur formidemus iudicis ſummi iudicium, cui inexcuſabiliter, & ſine reſiſtentia ac appellatione ſtari oportet. Hoc ſanctus Iob

Iob 9. intuens dixit: *Quantus ego ſum, vt reſpondeam ei? Etiam ſi habuero quidpiam iuſtum, non reſpondebo ei, ſed vt meum iudicem deprecabor. Si fortitudo quæritur, robuſtiſsimus eſt. Si æquitas iudicij, nemo audet pro me teſtimonium dicere. Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me. Si me innocentem oſtendero,*

Luc.17. *prauum me comprobabit.* Itaque ſi fecerimus omnia quæ præcepta ſunt nobis, & cum omni diligentia nobis poſſibili examinauerimus conſcientias noſtras, atque confeſſi fuerimus, pro viribus quoque ſatisfecerimus pro peccatis, adhuc tamen oportet humiliari ſub omnipotēte, formīdare eius iudicium, ac orare: *Ab occultis*

1. Pet.5. Pſal.18. *meis munda me Domine,* quoniam certi non ſumus, an altiſſimus iudex ſatisfactionem noſtram acceptet, & vtrū veram habuerimus contritionem, atque an pœnitentia noſtra ex caritate proceſſerit. Ex horum conſideratione ſanctus Dauid orauit: *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.* Ecce ſi in vita præſenti iniuſtè diiudicemur ac puniamur, ſupereſt conſo

Nūquam de remiſſione peccatorum certi eſſe poſſumus.

Pſal.142.

conſolatio aliqua, quoniam cogitamus *Pſal.145.*
quòd Deus, qui malè iudicata reiudicabit, faciet nobis iuſtum iudicium, pro iniuriis nobis illatis retribuet nobis vicem,& recompenſam: ſed poſt iudicium Dei reprobantis, ac condemnãtis conſolatio nulla reſtat: quemadmodum ait ſcriptura. *Ecce Deus excelſus in fortitudine* *Iob.56.*
ſua, & nullus ei ſimilis eſt in legiſlatoribus. Quis poterit ſcrutari vias eius, aut quis ei dicere audet, Operatus es iniquitatem? Idcirco *Iac.3.*
hoc ſolum habemus reſidui, vt coram ipſo nos ſemper humiliemus, & fateamur nos in multis & magnis culpabiles, de quibus certam notitiam non habemus. Timeamus quoque ne forſan opera *Bonis noſtris operibus non omnino fidendum.*
noſtra (quæ bona & virtuoſa eſſe confidimus) non ſint meritoria coram Deo, vt puta ex caritate fortaſſis non facta. Quamuis enim iudicio hominum bona ſint, ignoramus tamen qua diſtinctione, qua ſubtilitate, qua abdita ratione iudicabuntur à Deo. Iugiter ergo diiudicemus ac vilipendamus noſmetipſos,& occulta Dei iudicia metuere non ceſſemus. Omnis præſumptio & vana ſecuritas lõgiſſimè abſint à nobis. Hinc cũ Patriarcha Alexandrinus veniſſet in eremum,& dixiſſet abbati fratrum: Quid amplius

inueni

inueniſti in loco hoc Abba? reſpondit: Indeſinenter culpare & diiudicare meipſum. Dixítque patriarcha: Non eſt alia
1. Cor. 11. via. Ideò ſanctus ait Apoſtolus: *Si noſipſos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.*

Quàm metuendum ſit Dei iudicium, propter infinitam ſapientiam eius.

ARTICVLVS V.

Hebr. 4. *Omnia nuda & aperta ſunt oculis eius.* Quantò quis ſapientior, ſanctior, atque honeſtior eſt, tantò pœnalius eſt coram eo turpem ac ſordidum apparere, atque ab ipſo redargui, & confundi, re-
Pſal. 146. probari, deſpici ac puniri. Cùm ergo *ſapientiæ Dei non ſit numerus*, & ſanctitatis, ac dignitatis eius nullus ſit finis, nec vlla ſit eius honeſtatis ac honorabilitatis mēſura, certum eſt, quòd ineffabiliter graue, confuſibile ac pœnale ſit animæ peccatrici coram diuinæ maieſtatis tribunali, cum ſuorum fœditate, vilitate ac turpitudine vitiorum apparere, conſpici, ac contemni, diſcuti quoque ac reprobari ab ipſo ſancto & ſapiētiſſimo Deo. Nónne videmus quòd homines acceſſuri magnos principes, aut excellentiores prælatos, pulchriora quæ habent & meliora

Iudicium tremendū ratione maieſtatis diuinæ.

Similitudo.

liora induunt veſtimenta, ne refutentur, & ne excellentiam illorum videantur inhonorare? Vnde legitur in libro Heſter, quòd non licuit indutum ſacco aulam regis intrare. In Apocalypſi quoque dominus loquitur peccatori: *Veſtimentis albis induaris, vt non appareat confuſio nuditatis tuæ.* Alba etenim veſtimenta, ſunt virtutes, & opera ſancta, quibus animæ ornantur ac veſtiuntur: quibus qui carent, confuſibiliter ac ſpiritualiter nudi, ac fœdi ſunt coram Deo. Inſuper in lib. Danielis narratur, quòd rex Babylonis Nabuchodonoſor iuſſit præpoſito eunuchorum ſuorum, vt introduceret de filiis Iſraël pueros natos ex ſemine regio, in quibus nulla eſſet macula, decoros forma, & eruditos in omni ſapientia, cautos ſcientia, & doctóſque diſciplina, vt poſſent ſtare & miniſtrare in præſentia regis. Ecce, ſi rex ille terrenus voluit coram ſe adduci, ſtare & obſequi pueros tam ornatos, facetos, immaculatos ac nobiles, quid mirum quòd *rex omnium ſeculorum, immortalis, inuiſibilis ac* infinitè perfectus, requirat in ſuis miniſtris ſplendorem virtutum, ſapientiæ lucem, morum venuſtatem, vitæ nobilitatem, atque ab omni peccato (præſertim

Heſter. 4.

Apoc. 5.

Daniel. 1.

1. Timo. 1.

tim mortali) immunitatem? Propterea intolerabilis confuſio, ac pœna grauiſſima eſt, coram ſapientiſſimo, atque ſanctiſſimo Deo, præſentari cum vitiorum ſquallore, cum prauæ conſuetudinis deformitate, cum putredine ignobiliſſimæ vitæ, id eſt, conuerſationis iniquæ. Præterea; quantò iudex cœleſtis clarius nouit vniuerſas noſtras tranſgreſſiones, omnéſque circunſtantias, origines & numerum culparum noſtrarum: tantò vehementius formidare debemus ipſius iudicium. Ipſe autem omnia clariſſimè intuetur, omnéſque noſtras commiſſiones & omiſſiones iniquas, etiam minimas diſtinctiſſimè contemplatur. Vehementiſſimè igitur nos oportet iudicis huius formidare iudicium, quia nullam penitus cogitationem illicitam, nullam affectionem, nullam locutionem, nec aliquem actum, imò nec aliquam omiſſionem, negligentiam aut torporem, indiſcuſſam, iniudicatam, impunitam relinquit. Hinc ad incutiendum nobis ſalubrem timorem, indeſinentem quoque cuſtodiam, ac timoratam in omnibus conuerſationem, Deus omnipotens in ſcripturis noui ac veteris teſtamenti, frequenter ac ſeriosè teſtatur ſe omnia intueri,

Immundũ corã Deo præſentari quã turpe.

Diuinæ maieſtati occultum nihil.

Indiſcuſſum nihil relinquẽdum.

tueri, conſiderare ac perſcrutari. Hinc equidem ait per Amos Prophetam: *Cognoui multa ſcelera veſtra. &: Viſitabo ſuper omnes iniquitates veſtras, nec obliuiſcar vſque ad finem omnia opera veſtra.* Et primo Regum teſtatur: *Non ſecundum hominis intuitum ego iudico. Homo enim videt quæ parent, Dominus autem intuetur cor.* Ideò Ieremias propheta loquitur Deo: *Domine Deus fortiſsime, magne, potens, magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu, cuius oculi aperti ſunt ſuper omnes filios Adam, vt reddas vnicuique ſecundum opera ſua.* Hoc perpendens etiam beatus Iob, dixit: *Nónne Deus conſiderat vias meas, & omnes greſſus meos dinumerat?* Itémque: *Obſeruaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti.* De quo etiam legitur in libro Sapientiæ: *Altiſsimus interrogabit opera veſtra, & cogitationes veſtras ſcrutabitur.* Magna ergo & verè ineffabiliter magna ratio, atque neceſſitas form dandi, ac timoratè viuendi nobis incumbit, quoniam ante oculos iudicis ſummi omnia intuentis, cuncta ſcientis ac iudicantis, eſt tota conuerſatio & exiſtentia noſtra.

Amos 5.
Amos 3.
Cap. 17.
Ierem. 32.
Iob 13.
Sap. 6.

Conſideremus pro poſſe, quantas quotidie habeamus cogitatiões inanes, imaginationes inutiles, affectiones illicitas, otioſa

Mala hominum.

otioſa prauáque verba, & opera mala. O quot diſtractiones cordis habem⁹, ac patimur omni die in orationibus, & in diuinis officiis. O quot bona omittimus omni hora, quam infructuosè, imò & vitiosè, deducimus tempus quantum quotidie in cibo, potu & ſomno excedimus, & quàm imperfecta ac defectuoſa ſunt opera noſtra bona. Et hæc omnia inſpicit Deus indeſinenter: & quoniam ipſe ſilet ac differt vindictam, nos obtenebrati, ingrati, infœlices, ac ſtolidi adiicimus peccata peccatis, ac ſine numero, ac menſura peccamus. Quid ergo dicemus, quid agemus, quò diuertemus, cùm præſentati eius tribunali fuerimus, cùm in momento, in ictu oculi obiecerit, & clarè oſtenderit nobis vniuerſa hæc vitia noſtra, magna ac parua, maiora ac maxima, minora ac minima? Certè reſpondere non quibimus vnum pro mille, niſi interim condignos pœnitentiæ fructus egerimus, & ſuper cuſtodiam noſtram inceſſabiliter ſtemus, diiudicantes, deſpicientes & caſtigantes nos ipſos. Hinc ait ſanctus Bernardus: *Quid tam vehementiſſime metuendum, quàm iudicandum aſtare tam diſtricti iudicis tribunali, qui teſte non indiget, & intentiones diſcutit cordis,*

Eccleſ. 3.

Iob 9.

Matt. 3.

Habac. 2.

Quã metuendũ ad ſtare Chriſti tribunali.

cordis, cuius inquiſitio vſque ad ſecreta mentis pertingit? Nempe tam acutiſſimè ſingulorum vitam conſiderat, vt nec minutiſſimæ cogitationes, nec tenuiſſima verba, quæ ipſo vſu apud nos viluerunt, in eius iudicio indiſcuſſa remaneant. Meritò ergo dixit Iſidorus: *Ad diſtricti* (inquit) *iudicis examen, nec iuſtitia iuſti ſecura eſt*: imò, vt abbas Agathon ait: *Si Deus nobis imputaret diſtractiones cordis, & negligentias quas in orationibus noſtris, & officio diuino incurrimus, ſalui eſſe nõn poſſemus.* Iugiter ergo penſemus, & ſollicitè formidemus, quòd beatiſſimus princeps Apoſtolorum in prima ſua ſcribit epi- 1.Pet. 4.
ſtola, dicens: *Si iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi manebunt?* Certè (vt glorioſus fatetur Hierony.) multi elingues, muti & balbutientes, fœliciores tunc erunt loquacibus, & facundis: multi paſtores & bubulci tunc præferentur Philoſophis, multi ruſticani principibus, multi obtuſi ſubtilibus. Hinc diſſeruit Leo Papa: *Iſta eſt iudicis ſummi ſcientia, iſte tremendus aſpectus ipſius, cui peruium eſt omne ſolidum, & apertum eſt ſecretum: cui obſcura clarent, muta reſpondent, ſilentium confitetur, & ſine voce mens loquitur.* Idcirco cùm talis ac tanta ſit ſapientia Dei,

contra eam nihil poterunt, nec valebunt allegationes aduocatorum, ſophiſmata ſogicorum, eloquentiæ oratorum, neque Ariſtotelicæ argumenta ſubtilitatis.

De horribilitate diuini iudicij, propter omnipotentiam iudicis ſummi.

ARTICVLVS VI.

Pſal.7. *DEus iudex iuſtus, fortis & patiens. Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrauit, arcum ſuum tetendit & parauit illum.* Quàm maximè metuendus ſit nobis iudex altiſſimus, ipſemet in Euangelio do-

Luc.14. cet in parabolis dicens. *Quis rex volens committere bellum aduerſum alium regem, non prius ſedens cogitat, an poßit cum decẽ millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad ſe? Alioquin illo adhuc longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis ſunt.* Per quæ verba Chriſtus deſignat, quòd homo iudicandus ab ipſo Chriſto rege cœlorum debet quotidie examinare, atque penſare, an in iudicio valeat reſpondere, & de cunctis actibus ſuis interioribus & exterioribus, de verbis & omiſſionibus Deo reddere rationẽ. Quòd ſi viderit facere ſe non poſſe, ſtudeat omnipotentem placare, & metuendiſſimum iudicem ſibi reconciliare per lachryma

Quibus muneribus conciliandus ſit Deus.

chrymarum effuſionem, per eleemoſynarum elargitionem, per celebrationem miſſarum, per exercitia ſacra vigiliarum, orationum, diſciplinarum, & ieiuniorum. Aduertamus ac formidemus comminationes, imo & cunctas prænunciationes omnipotentis, qui per ſanctos Apoſtolos & Prophetas, per Euangeliſtas & cæteros ſanctos patres, tam terribiliter ac frequenter prænunciauit diſtrictionem futuri iudicij, & ſempiterna comminatur tormenta, quatenus iterum per timorem Dei, per ſollicitudinem ſpiritalem, per feruentem cordis cuſtodiam, per ſatisfactionem quotidianam, per lachrymoſam contritionem, mereamur euadere tanti rigorem iudicij, tot pericula & preſſuras. Hinc per Moſen dixit: *Cùm acuero vt fulgur gladium* Deut. 32.
meum, & arripuerit iudicium manus meæ, reddam vltionē hoſtibus meis. Atque per Iſaiam: *Iſaiæ. 42.*
Tacui, patiens fui, vt parturiēs loquar. Diſſipabo & abſorbebo ſimul. Itemque: *Ecce nomen* *Iſaiæ. 30.*
Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum. Labia eius repleta ſunt indignatiōe, ſpiritus eius velut torrēs innūdans ad perdendas gētes in nihilum. Terrorem brachij ſui in cōmemoratiōe furoris & in flāma ignis deuorātis. Et: *Indignabitur Deus inimicis* *Iſaiæ. 66.*

 ſuis:

ſuis: quia ecce Dominus in igne veniet reddere in indignatione furorem ſuum, & increpatio-
Iere. 23. *nem ſuam in flamma ignis.* Inſuper Ieremias propheta prædixit: *Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur, & tempeſtas erumpens ſuper caput impiorum veniet. Non reuertetur furor Domini, vſquedum faciat, & vſquedum cõpleat cogitationes cordis ſui, & dabit iniquos in opprobrium ſempiternum, & in ignominiam*
Iob. 26. *æternam, quæ nũquam obliuione delebitur.* Ti-
Eccl. 16. meamus iudicium omnipotẽtis, ad cuius aſpectum columnæ cœli contremiſcunt & pauent, in cuius conſpectu cœlũ & cœli cœlorum, abyſſus, & vniuerſa terra, & omnia quæ in eis ſunt, commouentur: & cũ cõſpexerit ea Deus, terrore cõcutientur. Et tamen in omnibus his inſenſatum eſt cor hominis, quod talem ac tantum Dominum nõ veretur, ſed eius præcepta impudenter & irrefrænatè tráſgreditur, quod cæteræ creaturæ ſuſtinere vix poſſunt, imò ad vlciſcendũ creatoris ſui iniuriam excandeſcunt, quamuis ex pietate diuina differatur vindicta. Hinc ſuper il-
Iere. 2. lud Ieremiæ, *Obſtupeſcite cœli*, ſuper hoc ſcribit Hieron. *Cœlum videns præcepta Dei calcari, exhorreſcit, & ſtuporem diſsimulare nõ poteſt.* Omnis enim creatura congemiſcit, & dolet ſuper peccatis hominum.
De

De quibus in libr. Sapien. ſcriptum eſt: *Impij ſecundum ea quæ cogitauerunt, corruptionem habebunt: quoniam neglexerunt iuſtum, & à Domino receſſerunt. Mulieres eorum inſenſatæ ſunt, & nequiſſimi filij eorum. Et ſi lõgæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & ſine honore erit nouiſſima ſenectus illorum, & ſi celerius defuncti fuerint, non habebunt ſpem, quoniam Dominus Deus eos deridebit, & erũt poſt hæc decidentes ſine honore, & in contumelia erunt inter damnatos in perpetuum, & vſque ad ſupremum deſolabuntur, & erunt gementes. Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi*, hoc eſt, ex memoria & remorſu vitiorum ſuorum, venient ad finale Dei iudicium, cum grandi timore, *& traducent illos ex aduerſo iniquitates ipſorum*, id eſt propter ſcelera ſua ponentur ad ſiniſtram iudicis metuẽdi. Humiliemus igitur iudici omnipotenti animas noſtras, & quoniam non valemus effugere eius potentiam, confugiamus pœnitentes ac humiles ad eius clementiam: nec pro aliqua proſperitate adipiſcenda, neque pro aliqua aduerſitate euadẽda offendamus ipſius potentiam, attendentes, quod venerabilis ille martyr veteris teſtamenti ait in libro Macha. *Nam etſi in præſenti tẽpore ſuppliciis hominum eripiar, manum tamen*

Sapien. 6.

2. Mat. 6.

omnipotentis, neque viuens, neque defunctus effugiam.

De terribilitate & rigore diuini iudicij ex parte diuinæ iuſtitiæ.

ARTICVLVS VII.

Sap. 12. *CVm ſis iuſtus Domine, omnia iuſtè diſponis: virtus enim tua iuſtitiæ initium eſt.* Quemadmodum oculus corporalis quò fortioris eſt luminis & maioris acuminis, eò minora & plura ac perſpicacius videt. Sic oculus intellectualis, quantò clarior, ſapiẽtior ac iuſtior fuerit, eò culpas etiam minimas limpidius intuetur & odit. Idcirco iudex ille altiſſimus, cuius mens in infinitum præ omnibus iuſta & ſapiens eſt, vniuerſa & ſingula hominum peccata, quantumlibet modica, clariſſimè inſpicit. Videmus quoque quòd quãtò ſanctior ac iuſtior fuerit quis, tantò plus odit, abhorret & punit iniquitatem. Ideo iudex ſupernus, qui infinitæ eſt ſanctitatis & æquitatis, peccata inenarrabiliter odit, deteſtatur, ac vindicat. Hinc itaque metuendiſſimum eſt, à iudice illo increpari ac diſcuti, qui tam indignanter ac horribiliter inſpiciet peccatores, támque rigoroſiſſimè nos affabitur, ſicut ait

Deus cur grauiſſime peccata puniat.

pro

propheta: *Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo turbabit eos. Qui habitat in cœlis deridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.* Pſal. 2.
Itemque: *Odiſti domine omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum ſanguinum & doloſum abominabitur dominus.* Pſal. 5.
Hinc ait & per Amos: *Ecce ego ſtridebo ſuper vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno, & peribit fuga à veloce, & fortis non ſaluabit animam.* Amos 2.
Rectè igitur ait ſanctus Bernardus: *Quid tam pauendum, quid tam plenum anxietatis & vehementiſſimæ ſollicitudinis cogitari poteſt, quàm iudicandum ſtare ante tribunal iudicis ſummi, & ſub tam diſtricto iudice incertam expectare ſententiam?* Verendum eſt valde, cum ad hoc ventũ fuerit, ne in tam rigoroſo, ac ſubtili examine multæ noſtræ iuſtitiæ, vt putãtur, peccata appareãt. Sic etenim inter homines cernimus, quòd homines imperfecti, rudes ac ſimplices iudicãt multa verba & opera eſſe bona ac iuſta, quæ tamẽ homines illuminati, atq; in ſpiritalibus actibus exercitati, conſiderant eſſe illicita & iniqua. quantò magis Deus infinitę excellentiæ, in omni ſapientia, virtute ac ſanctitate, multa verba & opera noſtra, quæ putamus eſſe vera ac iuſta, iudicabit fuiſſe iniuſta, atque erronea?

Iuſtitiæ noſtræ ne peccata appareãt verendum.

Formidemus ergo iudicium iudicis huius, qui tunc nec gratia præuenitur, nec miſericordia flectitur, nec donis corrũpitur, nec pœnitentia mitigatur, cuius tunc tanta inflexibilitas erit: quòd quãuis beatiſſima virgo Maria, omnéſque Angeli ſancti, & vniuerſi electi rogarent pro ſaluatione vnius exiſtentis in peccato mortali, non tamen eos tunc exaudiret. Deniqne zelus iudicis illius tunc æſtuantiſſimus erit, & ſummè implacabiliterque ſuccenſus contra iniquos, aduerſus quos tunc ira eius in tantum deſæuiet, vt Euangeliſta Ioannes in Apocalypſi locutus ſit: *Dicent montibus & petris, Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni, quoniam venit dies magnus iræ eorum*, id eſt, iræ Dei aduerſus eos. Vnde & in Oſea legitur: *Dicent montibus, Operite nos: & collibus, Cadite ſuper nos*, vt enim aſſerit ſanctus Auguſtinus: *Mallent reprobi & iniqui omne ſupplicium ſuſtinere, quàm faciem iudicis irati videre.* De quo Daniel propheta prædixit: *Thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis ſuccenſus. Fluuius igneus rapidúſque egredietur à facie eius.* Per quæ omnia deſignantur feruor, & rigor, & zelus diuinæ iuſtitiæ cõtra malignos, acerbitas

Inflexibilitas diuini iudicij.

Zelus dei in peccatores.

Apoc. 6.

Oſeæ 10.

Danie. 7.

bitas

bitas quoque & abundantia tormentorum eis infligendorum, quæ per fluuium igneum,ac rabidum denotantur.Quemadmodum enim in flamma ſunt claritas luminis,& calor ignis,ita in iudice illo eſt ardentiſſimus zelus æquitatis,atque clariſſima notitia veritatis. Porrò per rotas iudicis ſignificatur expeditio ſuæ potentiæ,ac velocitas ſuæ iuſtitiæ, quibus inuehitur & procedit contra damnandos.
Hinc quoque Iſaias propheta loquitur *Iſaiæ* 59.
de Deo iudice adorando, quaſi de viro armato,ad vlciſcendum ſe feſtinante, ac feruido.*Indutus eſt* (inquiens) *iuſtitia vt lorica,& galea ſalutis in capite eius. Indutus eſt veſtimentis vltionis, & opertus eſt quaſi pallio Zeli ſicut ad vindictam, quaſi ad retributionẽ indignationis hoſtibus ſuis, & viciſſitudinem inimicis ſuis, cùm venerit quaſi fluuius violentus.* Tunc planè implebitur quod prædi- *Sap.* 5.
ctum eſt in libro Sapientiæ, *Accipiet armaturam Zelus illius, & armabit creaturã ad vltionem inimicorum.Induet pro thorace iuſtitiam, & accipiet pro galea iudicium certum. Sumet ſcutum inexpugnabile æquitatem, & acuet diram iram in lanceam.* Hinc ait Chryſoſtomus: *Tunc nec diuitiæ proderunt diuitibus,nec parẽtes intercedẽt pro filiis,nec angeli vt ſolebãt pro hominibus faciẽt, quia natura iudicij*

præſertim extremi non recipit miſericordiam.
Prou.11. Vnde & Salomon proteſtatur: *Non prodeſunt diuitiæ in die vltionis.* Tunc maximè
Ezec.14. adimplebitur, quod per Ezechielem locutus eſt Dominus: *Si Noe & Iob & Daniel fuerint coram me, filium & filiam non liberabunt, ſed in iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas.* Hinc rurſus per eundem prophetam
Ezec.22. Dominus loquitur peccatori: *Ecce complosi manus meas ſuper malitias tuas: nunquid ſuſtinebit cor tuum, aut præualebunt manus tuæ in diebus, quos faciam tibi?* Ecce quàm terribiliter loquitur iuſtus & omnipotens Deus contra iniquos. Nam & per Oſee
Oſeæ 3. dixit: *Occurram eis quaſi vrſa raptis catulis, dirumpam interiora eorum & conſumam eos vt leo.* Vt enim aſſerunt naturales, nihil ferocius eſt vrſa dum catulos ſuos amiſit, & eum, qui primo ei occurrit, crudeliſſimè mox inuadit. Cur ergo Deus cuius natura eſt bonitas, & cuius proprietas eſt pietas, comparat ſe crudeliſſimæ feræ, niſi ad inſinuãdum intolerabilem rigorem ſuæ iuſtitiæ? qui etiam per Moſem
Exodi.23 iuſſit: *In iudicio non miſereberis pauperis*, ſcilicet in derogationem iuſtitiæ, aut in detrimentum partis aduerſæ. Nihil enim tã glorioſè lucet in iudice, ſicut amare & exhibere iuſtitiam ſine perſonarum acceptio

ptione. Nam & Tullius ait: *Exuit perſonam iudicis quiſquis amici induit* Æquitas cui iudex obſequitur, ſiniſtram odij & amoris dexteram neſcit. Talis namque debet eſſe iuris miniſter & iudex, vt nullius auctoritate perſonæ titubet, aut vacillet in manu ſua libra iuſtitiæ.

Quòd diuinum iudicium ſit incomparabiliter metuendum, eò quòd ipſe iudex altiſſimus ſit iudex & pars.

ARTICVLVS VIII.

SI peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus: ſi autem in Dominum peccauerit, quis orabit pro eo? Quamuis quædam peccata dicuntur peccata in Deum, quia ſunt directè cōtra præcepta quibus præcipimur honorare & colere Deũ, vt ſunt tria prima præcepta decalogi: quædam verò dicuntur peccata in proximum, quę directè nociua aut iniuriatiua ſunt proximorum, vt ſunt tranſgreſſiones aliorũ ſeptem præceptorum decalogi: omnia tamen pecccata poſſunt dici peccata in Deum, quoniam ſunt contra aliqua eius præcepta, vt furtum, rapina, adulterium homicidium, & conſimilia. Præterea loquendo in generali, peccata in Deũ ſunt grauiora peccatis in proximum: ſicut

1. Reg. 2.

Peccata in Deum & proximum.

Peccata in Deum quænam grauiora peccatis in proximũ. ſicut odium Dei,infidelitas, blaſphemia, deſperatio , ſunt multò grauiora quàm rapina & furtum:loquendo tamẽ in ſpeciali , quædam peccata in proximũ ſunt enormiora , quàm quædam peccata in Deum:ſicut adulterium,& homicidium, grauiora ſunt,quàm violatio aliqua ſabbati, aut vana iuratio:& iuxta hũc modũ difficilius,aut facilius eſt ſatisfacere Deo pro peccatis commiſſis in ipſum , vel pro peccatis commiſſis in proximum.Itaque, quoniam omne peccatum mortale eſt contra aliquod Dei præceptum,& contra Deum , ipſe iudex altiſſimus in iudicio tam particulari, quàm vniuerſali non ſolùm eſt iudex , ſed etiam pars aduerſa rei iudicandi ab ipſo trangreſſionis diuini præcepti,ita quòd cauſa vertitur inter iudicem Deum,& inter reum.Eſt autem valde ſpecialiter metuendum,iudicari ab eo,qui eſt aduerſarius iudicandi,& ab illo præſtolari ſententiam , qui iniuriã paſſus eſt,& quem cauſa directè concernit : quemadmodum ſi homicida læſiſſet balliuum,aut eius filium occidiſſet.Quid ergo dicturus , quid acturus eſt infœlix peccator, cùm eius fuerit tribunali adductus , quem toties támque enormiter inhonorauit,offendit,contempſit , & cu-

Omne peccatũ mortale quomodo peccatum in Deum.

ius adoptiuos filios, aut filias, amicos, & minſtros, ſcilicet proximos ſuos toties ſpiritaliter interfecit, eos ſcandalizando, aut aliquo modo ad vitia pertrahendo? O quali vultu aſpiciet illum iudex, quàm horribiliter eum inuadet, increpabit, damnabit ac puniet? Certè (ſicut per Oſeæ Prophetiam prædixit) *iuxta deſiderium ſuum corripiet eos.* *Oſeæ 10.* Conſideremus enormitatem cuiuſlibet peccati mortalis, ſicque patebit quàm ineffabilem irreuerentiam, iniuriam, & offenſam faciat Deo peccator. Certè quò eminentior eſt præcipientis auctoritas, eò grauior culpa eſt violare ac tranſgredi eius præceptũ. Cùm itaque auctoritas Dei ſit ſumma, incomparabiliter magna ac penitus infinita, incomparabiliter graue & impium eſt, Dei mandatum præuaricari. *Offenſa grauior in auctoritatem maiorem.* Rurſus, quò maior eſt bonitas ac dignitas Dei, eò enormius eſt ei quidquam præferre. Cùm ergo in omni mortali peccato peccans præponat propriam volũtatem voluntati diuinæ, & bonum creatum, caducum, carnale, ſeu vanum, bono increato, incommutabili, immenſo, prorſus perfecto & infinitè digniſſimo, conſtat quòd peccans mortaliter, ineſtabiliter magnã & quaſi infinitam irreuerentiam, iniuriam *Peccatum quanta diuinæ bonitatis iniuria.*

riam

riam & offenſam inferat Deo, cui præ-
eligit & præponit iſta viliſſima, immun-
diſſima, carnalia & terrena. Amplius,
quò maior eſt ſanctitas atque iuſtitia
Dei, eò plus deteſtatur, odit ac reprobat
iniquitatem, & ita cum ſit interminabi-
liter ſanctus ac iuſtus, ita quòd ſuæ ſan-
ctitatis & æquitatis nullus eſt finis, nulla
menſura, & comparatio nulla, certum
eſt, quòd infinita deteſtatione & inæſti-
mabiliter magno odio abhorreat om-
nem culpam mortalem. Inſuper, quò
maior eſt ſapientia Dei & fidelitas eius
ad homines, eò ſtultius eſt eius præceptis
non obedire, eius documentis & conſi-
liis repugnare, indeſinenterque agere,
quæ ipſe prohibuit. Idcirco merentur
iniqui à iudice ſummo indignantiſſimè
inſpici, acerrimè increpari, totaliter de-
ſpici, maximeque confundi, vituperari, &
æternaliter reprobari. Et ſi pro vno mor
tali peccato, etiam minimo inter pecca-
ta mortalia merentur ita tractari, quàm
incomprehenſibiliter, durè, ac contem-
ptibiliſſimè tractabuntur ab ipſo, qui eũ
ſæpe & irrefrænatè offenderunt etiam in
enormioribus vitiis, imò frequentius,
quàm valeat numerari, & qui alias quó-
que perſonas traxerunt ad lapſum? O
quàm

Sanctitatis diuinæ iniuria mortale peccatum.

Iniuria Dei peccatum ratione ſapientiæ infinitæ.

quàm confuſibiliter ac tremebundè ante iudicem ſtabunt, redarguti à conſciẽtiis propriis, ad quem tam irreuerenter & intimoratè ſe habuerunt, quem tam enormiter,& ſæpiſſimè contempſerunt, cuius præcepta, documenta, monita, & conſilia imprudenter quotidie abiecerũt. O quam minaci, irato, horribili, indignantique vultu ipſos aſpiciet, alloquetur,reprobabit,ac condemnabit. De quibus apud Iſaiam Deus teſtatur: *Heu, ego conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Et apud Ezechielem: *Complebo furorem meum, & requieſcere faciam indignationem meam, & conſolabor.* In quibus verbis Deus loquitur per modum principis, propter iniurias ſibi illatas irati & contriſtati: qui cum iuxta deſiderium ſuum exercuerit vltionem in aduerſariis ſuis, conſolatur, lætatur, atque quieſcit. Præterea multum indignanter & ægrè ferunt ſuperiores, ſi præcepta eorum à ſubditis violentur in ipſorum præſentia & aſpectu. Cùm igitur conſtet omnibus, Deum omnia intueri, hoc valde auget tranſgreſſionem & contemptum culparum noſtrarum in Deum,quod Deo præſente ac intuente, audemus præcepta ipſius præuaricari. Itaque ſi deſideramus ab om

Iſa. 1.
Ezech. 4.

ab omnipotente in die particularis ac generalis iudicij miſericorditer recipi, benignè tractari, & fauorabilem obtinere ſententiam, ſtudeamus eum in omnibus honorare, & eius ſemper vitare offēſam.

De terribilitate ac diſtrictione diuini iudicij ex parte beneficentiæ Dei.

ARTICVLVS. IX.

Malac. 1. *FIlius honorat patrem ſuum, & ſeruus timet dominum ſuum. Si ergo ego pater ſum, vbi eſt honor meus? Et ſi Dominus ego ſum, vbi eſt* *Luc. 12.* *timor meus, dicit Dominus.* Dominus noſter Ieſus Chriſtus in Euangelio ait: *Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo, & cui multum commendatum eſt, plus requiretur ab eo.* Itaque quantò maior eſt dilectio, atque dignatio Dei ad nos, quò etiam maior eſt miſericordia eius in nobis, & quò plura, ac maiora beneficia contulit nobis, eò vitioſior eſt ingratitudo, inobedientia & tranſgreſſio noſtra, & eò grauius ac rigoroſius iudicium imminet nobis. Porrò tanta eſt caritas, ac dignatio Dei ad nos, quòd à nobis pauperrimis, & indignis pater appellari dignatur; idcirco tenemur eum filialiter reamare & honorare: quod eſſe non poteſt, niſi eius præcepta

Dignatio Dei ratione paternæ dilectionis quanta.

cepta in omnibus obſeruemus, ſicut ipſemet filius Dei teſtatur: *Qui ſeruat mandata mea, ille eſt qui diligit me.* Itemq́ue: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit.* Idcirco qui nec amore, nec timore à diuinorum tranſgreſſione præceptorum retrahitur, omnino ingratus eſt caritati,& dignationi Dei ad ſe, atque meretur odio haberi, ac indignanter repelli à Deo. Inſuper, tot & tanta ſunt beneficia Dei nobis ab ipſo exhibita,quòd nihil æquiualens aut condignum rependere ei valemus, etiam ſi totis viribus ſerui erimus ei,& honorauerimus eum. Nónne ergo inæſtimabiliter magna, peruerſa, atque damnabilis eſt ingratitudo,improbitas,inobedientia, ac rebellio iniquorum, qui creatorem ſuum non ſolùm non honorant, nec timent, nec diligunt totis viribus ſuis, imò potius quotidie inhonorant, contemnunt, relinquunt corde, ore & opere, multiplici quoque vitioſa omiſsione? Et ſi dicat, ſe non contemnere Deum, certum eſt, quòd intantum deſpiciant eum,quantùm eius mandata tranſgrediuntur, & quantùm ſuæ bonitati, ac dignitati immenſæ præferunt iſta carnalia ac terrena, nec debitam curam, diligentiamq́ue apponunt ad obediẽdum ei in cunctis.Inſuper,

Ioan.14.

Beneficia diuina.

Contemptus in Deũ quãdo fit.

quò Dominus maieſtatis diutius nobis pepercit,& gratioſius tolerauit nos in noſtris eceſſibus: eò ineffabiliter enormiora ſunt ſcelera noſtra, & eò intolerabilius iudicium nobis inſtat: ideò tantò formidoloſius vnuſquiſque expectet diuinum iudicium, quò ſe frequentius diutius, & enormius peccaſſe cognoſcit, & tum hucuſque clementer à Deo toleratum eſſe perpendit. Denique non tantum piè tolerat Deus iniquos, ſed etiam beneficia multa ipſis largitur, non ſinens eos à diabolo ſuffocari, ſicut merentur: ſed conſeruans eos in eſſe,& pręſtans neceſſaria vitæ, ad conuerſionem quoque & pœnitentiam multipliciter admonens eos, ſicque aſſiduè reddens eis bona pro malis. Quid reſponſuri ſunt iſti iudici ſummo cùm cœperit cum eis ponere rationem? Qualiter indignabitur eis? vbi miſerrimi ſe abſcondent? Quid reſpondebunt vnigenito filio Dei, *qui propter eos factus eſt homo, conuerſatus in mundo, affixus patibulo*, cui non ſolum ſubtraxerunt ſeipſos vitiosè viuendo, ſed alios quoque ipſos variis modis ad peccandum alliciendo, ſicque fructum paſſionis & ſanguinis Chriſti in ſeipſis ac aliis impediendo? Quod prorſus diabolicum eſt, & tranſ-

Ioan. 1. *Baruc.* 3. *Philip.* 2.

greſſio

greſſio contra Deum altiſſimum. Ex hoc ergo quòd Deus tam miſericorditer agit nobiſcum, vehementius formidemus eius iudicium, certi quòd tantò iuſtius ac rigoroſius aget nobiſcum poſt vitam præſentem, ſi ei ingrati fuerimus & rebelles. Non enim minor eſt eius iuſtitia, quàm miſericordia Rurſus, quò maiora ac plura beneficia præſtitit nobis, eò plus vereamur: quia de vniuerſis & ſingulis beneficiis ſuis exiget rationem, qualiter eis vſi ſumus quod lucrum de eis fecerimus, quem profectum attulerimus quàm grati & ſubiecti fuerimus ei. Hinc vnicuique iniquo ait Apoſtolus: *Exiſtimas ô homo qui talia agis, quòd tu effugies iudicium Dei? An diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis Dei contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam, & impœnitens cor tuum, theſaurizas tibi iram in die iuſti iudicij Dei.* Ex his eluceſcit, quòd impiis Chriſtianis tātò grauius inſtet iudicium, quàm cæteris gentibus, plura ac maiora beneficia deſuper ſunt ſortiti. Idcirco & acerbiora eis inſtant, & infligentur ſupplicia.

Ratio exigenda de beneficiis Dei.

Mat. 12.
Mat. 25.
Rom. 2.

Iudicium impiorum Chriſtianorū grauius quā gentium.

De terribilitate diuini iudicij ex parte iudicandorum.

ARTICVLVS X.

Iob 14. *HOmo quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Et dignum Domine ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in iudicium?* Si conſideremus incomprehenſibilem maieſtatem atque immenſam excellentiam Dei, magnam quoque defectuoſitatem inſtabilitatemque hominum, mirũ apparet, quòd Deus tam dignanter & gratioſè ſe habet ad homines, mirum etiam quòd tam diſtrictè iudicat eos. Hinc ſanctus Dauid admirans locutus eſt Deo: *Quid eſt homo,*
Pſal.8. *quòd memor es eius: aut filius hominis, quoniam viſitas eum!* Et rurſus: *Domine, quid eſt ho-*
Pſal.143. *mo quia innotuiſti ei: aut filius hominis quia reputas eum? Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt.* Itaque quo maior eſt defectuoſitas, debilitas atque fragilitas hominis, quò pluribus obnoxius eſt peccatis, quo incertior eſt, an ſua vita placeat Deo, & præſertim an de numero ſit electorum an reproborum, eò vehementius debet vereri rigorem, &
Iacob.3. examen diuini iudicij. Nam (vt Iacobus ait

ait Apoſtolus) *in multis offendimus omnes.*
Iſaias quoque Propheta : Omnes (inquit) *Iſa.53.*
nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam
ſuam declinauit Cùm ergo (teſte beato
Iob) *Non iuſtificetur homo compoſitus* Deo, *Iob 9.*
nónne maximè metuere nos oportet , ne
dum poſiti fuerimus coram Deo, vt iudicemur ab eo, inueniamur iniuſti, & condemnatione condigni , cùm certi ſimus
nos frequenter peccaſſe mortaliter , &
ignoremus an veram habuerimus contritionem? Attendamus ſollicitè, quod ait
ſcriptura: *Ecce qui ſeruiunt* Deo, *non ſunt ſtabiles , & in Angelis ſuis reperit prauitatem:* *Iob 4.*
quantò magis hi qui habitant domos luteas , qui
terrenum habent fundamentum , conſumentur
velut à tinea ? Itemque. *Quid eſt homo vt immaculatus ſit , & iuſtus appareat natus de muliere ? Ecce inter ſanctos Dei nemo immutabilis , & cœli non ſunt mundi in conſpectu eius:* *Iob 13.*
quanto magis abominabilis , & inutilis homo,
qui bibit quaſi aquam iniquitatem ? Vnde &
beatiſſimus Iſaias fatetur : *Facti ſumus vt* *Iſa.64.*
immundi omnes nos , quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ. Hæc ergo propriæ defectuoſitatis , & culpabilitatis intenta conſideratio, debet quemlibet noſtrũ valde formidoloſum efficere, ne fortè à iudice diſtrictiſſimo, omnia acutiſſi-

mè conſideraturo,exquiſitiſſimè iudicaturo, atque acerrimè punituro reprobetur.Inſuper maximè perterrere nos debet quod iudex ipſe teſtatur : *Multi ſunt vocati,pauci verò electi.* Cùm enim æterna damnatio tam vehementiſsimè ſit timenda, vt quamuis certiſſimè nobis conſtaret, quòd de vniuerſis hominibus , qui vmquam fuerunt, ſunt,aut erunt,non niſi vnus eſſet damnandus , & ignotum omnibus eſſet,quis ille exiſteret,meritò vnuſquiſque valde metueret, ne forſitan ipſe eſſet ille damnandus. Quemadmodum enim ſi multi eſſent ituri per pontem , & ſcirent quòd vnus ruiturus eſſet ex eis de ponte, ac ſubmergẽdus,omnes valde ſuo timerent periculo : quantò magis nunc cùm ex infallibili veritatis ſummæ teſtimonio agnoſcamus , quòd reſpectu eorum qui condemnantur,pauci ſaluentur, omnia oſſa noſtra tremere debent,& totum cor noſtrum ingenti formidine concuti , ne (quod abſit) contingat nos in infœliciſſimo damnãdorum numero computari. Aperi oculos cordis tui ad intuendam hanc veritatem , ad formidandum tam immenſum ac æternale periculum, ad euadendam tantam damnationem, per conuerſationem iuſtam , timoratam,

Mat. 20.

Damnatio æterna quàm vehementer metuẽda.

humi

humilem,feruentem , & perſeuerantem. Non enim qui incipit ; *ſed qui perſeuerauerit vſque in finem , hic ſaluus erit.* *Mat.24.* Ecce,ſi vrbem aliquam princeps, & iudex iuſtus,ac præpotens ingrediatur , cui communitas reſiſtere nequeat , & ſedeat pro tribunali quotidie , ac certum ſit ciuibus , quòd non niſi pauci eorum euaſuri ſint mortem , eò quòd iudex nec prece,nec pretio poſsit flecti : ô quantus dolor , timor,anguſtia , & preſſura penetrarent ciuium corda , quanta deſolatio eſſet in vrbe illa, ita vt vix manducare,& bibere quempiam delectaret. Si ergo tantum formidatur mors temporalis , ac breuis , quid eſt, quòd mentes noſtræ inſenſatæ , ac miſeræ ſic obtenebrantur , cœcantur ac indurantur, quòd iudicium Dei , æternam mortem , infernalemque pœnam infligentis non expaueſcant , nec iugiter illud conſiderant , ſed vanitate & periculoſiſsima ſecuritate torpent ac reſoluuntur ? *Cæcitas mentis humanæ.* Merito dixit propheta : *Filij hominum vſquequo graui corde ? vt quid diligitis vanitatem , & quæritis mendacium?* *Pſal.4.* Certè tunc ſero timebunt ac diſperibunt, qui modò non timent. Ideò ait ſcriptura : *Anguſtia vallabit impium , ſicut regem , qui paratur ad prælium : tendit enim* *Iob 15.*

contra Deum manum ſuam. Non credat fruſtra quod aliquo pretio redimendus ſit. Antequam dies eius impleantur, peribit. Poſtremo, hoc nos inducere debet ad ſapientialem, aſſiduúmque iudicij diuini tremorem, quòd ſancti & electi Dei ab origine mundi tam vehementer expaueſcunt Dei iudicium, de quo (vt allegatum eſt ſupra) ſanctus Enoch ante diluuium prophetauit: *Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere iudicium, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum.* Vnde ſanctus Iob, cui tempore ſuo ſimilis non erat in terra, perhibuit: *Semper quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Et denuo: *Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti.* Hinc iterum dixit: *Quid faciam cùm ſurrexerit ad iudicandum Deus, & cùm quæſierit, quid reſpondebo ei?* Sanctus quoque Dauid orauit: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* Et Ieremias: *Corripe me domine, veruntamen non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me.* Denique, quàm vehementer ſanctus Hieronymus formidauit iudicium Dei, ſuprà oſtenſum eſt ex verbis ipſius dicentis: Quoties diem illum conſidero, toto corpore contremiſco. Quòd autem ſanctus Grego

Metus de iudicio antiquorum patrum.

Iudæ 1. *Iob 1.* *Iob 31.* *Iob 9.* Iob 13. *Pſal 6.37* *Ierem.10.*

Gregorius iudicium Dei valde pertimuit, ex verbis eius in pluribus locis clariſſimè innoteſcit. Nam & inter cætera loquitur: *Præſentis temporis ita eſt agenda lætitia, vt ſequentis iudicij amaritudo nunquam recedat à memoria.* Hinc abbas Euagrius hortabatur: *Diuinum illud horrendum imaginare iudicium, atque in medio repoſitam peccatoribus confuſionem, quam paſſuri ſunt in conſpectu Dei, & Chriſti eius, & coram angelis vniuerſis, ac cunctis hominibus, & ſuper immunditia peccatorum tuorum ingemiſce & plora Veſtire luctu ex imaginatione iudicij, metuens ne & tu incidas in illud.* Vnde & abbas Elias, *Ego* (inquit) *tres res timeo. Vnam quando egreſſura eſt anima mea de corpore: aliã, quando repræſentandus ſum* Deo: *tertiam quando de me proferetur ſententia.* Si ergo viri virtuoſi ac ſancti tam ineffabiliter extimuerunt iudicium Dei, quantum & quam indeſinenter oportet nos defectuoſos ac miſeros peccatores illud timere?

Quòd diuinum iudicium ſit ineffabiliter metuendum ex parte ſententiæ iudicis & retributionis finalis, quæ eſt æterna damnatio, aut perfecta beatitudo.

ARTICVLVS XI.

TVnc dicet rex his qui à dextris eius erunt Venite benedicti patris mei, poßidete pa- Mat. 25.

ratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Tunc dicet & his qui à ſiniſtris eius erunt, Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Iſta ſunt verba regis, ac iudicis noſtri Ieſu Chriſti, *cui data eſt omnis poteſtas in cœlo &*
Mat. 28 *in terra*, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, & ſeculum per ignem. Præterea, ſicut ſanctus aſſerit Auguſtinus, *timor ex amore procedit: Non enim timemus malum, niſi quia amamus bonum malo contrarium.* Hinc cæleſtis illa, & æterna fœlicitas eſt amplius appetenda, ac diligenda, quam infernalis atque perpetua damnatio ſic timenda ac fugienda. Idcirco & carentia fœlicitatis æternæ magis eſt abhorrenda ac euitanda, quam quæcunque inferni pœna ſenſibilis. Vehemētiſsimè ergo metuendum eſt Dei iudicium, propter vtrunque iſtorum: quia iniqui non ſolum priuabuntur beatifica viſione atque fruitione omnipotentis, ſed etiam ſenſibili-

Iudicium timēdum propter duo.

I. bus pœnis inferni irreuocabiliter im-
II. mergentur. Denique, ſicut nulla eſt comparatio finiti ad infinitum. ſic nulla eſt comparatio temporis ad æternitatem, temporaliſque pœnę ac tranſitoriæ mortis, ad pœnam perpetuam infernalémque mortem. De qua in Apocalypſi
Apoc. 21.
habetur:

habetur: *Pars iniquorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda.* Itaque pœna illa infernalis, ac ſempiterna infinitè & incomparabiliter horribilior, ac fugibilior eſt omni pœna, & morte præſentis vitæ: ideò iudicium Dei irrogantis pœnam huiuſcemodi iniquis, infinitè & incomparabiliter durius, pœnalius, horribiliúſque conſiſtit omni humano iudicio, quo pœna infligitur temporalis, ſiue mors corporalis. Ecce quantum homines timent temporalia damna, corporalem læſionem, tranſitoriam mortem, quantum litigant & laborant, quantum ſollicitantur ac pugnant pro vitandis temporalibus damnis, corporalibus incommodis, præſertim pro morte vitanda ac differenda? Cur ergo ſic excæcamur, atque ad ea quæ noſtram concernunt ſalutem, tam inſenſibiles reddimur, quod in cunctis tam peruersè habemus nos, quòd temporalia damna, corporalia incommoda, tranſitoriam mortem magis veremur, fugimus & vitamus, quàm æterna ſupplicia, ſpiritalia damna, infernalémque mortem? *Expergiſcimini ebrij vitiis, & flete, & vlulate omnes qui bibitis vinum in iucunditate, qui gloriamini in veſtris peccatis*, qui inſtar brutorum

Pœna infernalis grauior omni pœna temporali.

Ioelis 1.

rum computruiſtis in immũditia & fœ-
Iaco.5. tore veſtræ carnalitatis: *Lugete in miſeriis, quæ adueniẽt vobis, qui theſaurizatis vobis vindictam & pœnam perpetuam in diebus nouiſſimis.* Nunc dum adhuc tempus eſt pœnitendi, & flendi præteritas culpas, emendandi vitam, euadendi æternam damnationem: nunc inquam perpendite, quàm intolerabile, aſperum, ac pauendum erit iniquis, audire ſeueriſſimam illam ſen-
Matt.25. tentiam: *Ite maledicti in ignem æternum.* Si abierunt retrorſum & corruerunt in terram, qui à Chriſto capiendo, iudicando, crucifigendo audierunt vocem, qua pa-
Ioan.18. tienter, ac mititer dixit: *Ego ſum:* qualiter caſuri, præcipitandi, ac perituri ſunt, qui à Chriſto glorificato, iudicante, atque in ſua maieſtate & gloria apparente audient vocem, qua indignanter ac impla-
Matt.25. cabiliter dicet: *Ite maledicti in ignem æternum.* O quàm horribiliter, penetratiuè, ac deſolatoriè perſonabit tonitruum illud. Denique ſæpe leguntur ſancti prophetæ corruiſſe in faciem ſuam ſuper terram ex debilitatione naturæ, atque formidine, cùm audiſſent Dominum ſibi loquentem, & vidiſſent magna, quæ Deus eis oſtendit: & tamen viſio & allocutio illa fiebat miniſterio angelorum, qui apparebant

parebant & loquebantur, non autem ipſe Deus in propria perſona. Si ergo ſancti viri ſic debilitabantur, metuebant, & cadebant ex angelica allocutione & viſione & ex ſimilitudinibus viſis: qualiter cadent, affligentur, deficient iniqui ac reprobi ex viſione & apparitione iudicis, qui eſt verus Deus, qui in propria perſona apparebit, & minaciſſimo ac iratiſſimo vultu inſpiciet, atque indignantiſſimè affabitur impios, eorum vitia eis obiiciendo, ac contra ipſos prętactam ſententiam proferendo? Inſuper in Exodo *Exod.20.* recitatur, quòd filij Iſrael cùm vidiſſent montem Sinai fumigantem, & audiſſent vocem Dei per angelum loquentis de medio ignis, perterriti, ac pauore concuſſi, dixerunt ad Moſem: *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Vnde in Deutero- *Deuter.5.* no. leguntur dixiſſe: *Si vltrà audierimus vocem domini Dei noſtri, moriemur. Quid enim eſt omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur, ſicut nos audiuimus?* Si itaque filiis Iſraël fuit tam intolerabile, audire verba angeli, in perſona Dei loquentis gratiosè, ac piè, non comminatoriè: quàm intolerabile erit iniquis audire ſententiam veri Dei, metuendiſ-

tuendiſſimi iudicis in propria perſona loquentis de medio ignis conflagrationis, in quo tunc(vt infrà dicetur) mundus ſta-
Apoc. 1. bit? Amplius Ioannes apoſtolus in Apocalypſi teſtatur: *Cùm vidiſſem eum* (videlicet angelum in perſona Chriſti apparentem & loquentem)*cecidi ad pedes eius tam-*
Iſaiæ. 21. *quā mortuus*. Iſaias quoque propheta,cum vidiſſet in ſpiritu deſtructionem Babylonis, & interfectionem habitantium in ea, præ pauore defecit, ſecundum quod ipſe ait: *Repleti ſunt lumbi mei dolore, anguſtia poſſedit me,ſicut anguſtia parturientis. Corrui cùm audirem, conturbatus ſum cùm viderem, emarcuit cor meum, tenebræ ſtupefecerunt me.* Si tantam afflictionem incurrit ſanctus propheta ex imaginaria viſione, & futuræ ac tranſitoriæ calamitatis Babyloniorum compaſſione,quàm inexcogitabiliter grauis ac magna erit impiorum afflictio in die nouiſſimo, inſtante finali iudicio,ex præſentibus & futuris,ac ſempiternis eorum calamitatibus ac tormentis? *Tunc erit dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum & excelſum & ſuper omnem arrogantem, & humiliabitur*, vt Iſaias præ-
Iſaiæ. 41. dixit. Et ſicut in Eccleſiaſtico legitur,tūc
Eccleſ. 30. ſapientia Dei præſens Chriſtus *Dominus ſuperborum & excellentium colla propria vir-*

tute

tute calcabit. Tunc venient ad eum, & confundentur omnes, qui modò repugnant ei, qui nec præcipienti obediunt, nec conſolanti obtemperant, nec exhortantem aduertunt, imò ſalubres, & pias exhortationes vertent in riſum & iocum, charitatiuas & iuſtas correptiones indignanter & ingratanter accipiunt, ac odiunt corrigentem, quibus clamat diuina ſcriptura, *Quid facietis in die calamitatis* *Iſaiæ.* 10.
de longè venientis? ad cuius confugietis conſilium, & vbi derelinquetis gloriam veſtram? Certè, vt Ieremias prædixit: *Tunc con-* *Iere.* 20.
fundentur vehementer, quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum, atque (vt ſcriptum eſt ab Iſaia) *tunc auditam faciet Dominus* *Iſa.* 30.
gloriam vocis ſuæ, & terrorem brachij ſui oſtendet in conſummatione furoris, & in flamma ignis deuorantis (vt in Pſamo ſcriptum eſt) *Sicut ignis qui comburit ſyluam, &* *Pſal.* 82.
ſicut flamma comburens montes, ita perſequetur eos in tempeſtate ſua, & in furore ſuo turbabit eos.

De terribilitate generalis iudicij ex parte ſignorum, quæ illud præcedent.

ARTICVLVS XII.

Conturbētur omnes habitatores terræ, quo- *Ioel.* 2.
niam veniet dies Domini, dies tenebra-

rum

rum & caliginis. Similis ſi non fuit à principio, & poſt eum non erit, ante faciem eius ignis vorans, & poſt eum vrens flamma. A facie eius cruciabuntur populi, à facie eius contremiſcet terra, mouebuntur cœli, ſol & luna obtenebreſcent, & ſtellæ retrahent ſuum ſplendorem.

Lucæ 21. His verbis propheticis conſonat quod in Euangelio ait Saluator: *Erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis & in terris preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi: nam virtutes cœlorum mouebuntur.* Porrò apud *Marc.* 13. Marcum legitur: *Sic ſol contenebrabitur, & luna non dabit ſplendorem ſuum, & erunt ſtellæ decidentes, & virtutes quæ ſunt in cœlis mouebuntur.* Quocirca ait Chryſoſtomus: *Sicut rege terreno proceſſuro ad prælium, totum territorium regni eius mouetur, exercitus concitatur, communitas feruet: ſic* CHRISTO *rege cœlorum ad iudicandum deſcenſuro, totus mundus turbatur, cœleſtis exercitus progreditur, atque vniuerſum genus humanum concutitur.* Itaque ad præſignãdum quàm ineffabiliter, ac ſingulariter rigoroſum, metuendum, magnum, & afflictiuum erit vltimum, ac generale illud iudicium prætacta horribilia ſigna illud præcedent: quæ qualiter intelligenda ſint, in expoſi

Cur vniuerſitas in Chriſti aduentu turbanda ſit.

expoſitione Euangeliſtarum, & in ſermonibus de tempore diligenter, ac diffusè expoſui. Inſuper ſanctus Hieronymus refert ſe in libris Hebræorum inueniſſe quindecim ſigna præceſſura per quindecim dies finale iudicium, quæ tamen ſigna Hieronymus deſcribit recitatiuè magis quàm aſſertiuè. Primo die omnia maria commouebuntur, quindecim cubitis ſuper montes, ſtantia in alto vt murus. Aliqui verò narrãt, quòd quadraginta cubitis eriget ſe mare ſuper montes. Secundo die maria deſcendent, & proſternentur tam profundè, vt videri vix poſſint. Tertio die ad priorem ſitum, & locũ redibunt. Quarto die belluæ marinæ, & omnia animalia, quæ morantur in aquis, congregabuntur, & ſuper aquas
ſtabunt, ac dabunt mugitus vſque in cœ- I
lum. Quinto die omnia volatilia in cã- II
pis conuenient quaſi plorantia, nec quid- III
quam guſtãtia. Sexto ignea flumina ſur- IIII.
gent ab occidente vſque ad orientem, V
contra faciem firmamenti fluentia. Sep- VI
timo die omnia ſydera errantia & fixa, VII
ſpargent ac fundent ex ſe igneas comas
ſicut cometæ. Octauo die erit maximus
terræmotus, ita vt animalia & homines VIII
proſternantur. Nono omnes lapides ma- IX

Quindecim ſupra iudicij diẽ præceſſura ex Annalibus Hebræorũ libris. de quibus vide D. Th. in ſuppl. qu. 73. a.

tillationes producentur in aëre, quòd illis deficientibus ac deſcendentibus, ſtellæ cadere videbuntur. Aſſerunt etiã ſancti, quòd terra tunc fiet plana: vnde apparet quòd montes, & colles, ac ædificia in puluerem redigentur. Porrò quod de apertionibus ſepulchrorum dicitur, ſatis credibile eſſe videtur, ſicut & tempore paſſionis Chriſti monumẽta aperta ſunt, *Luc.* 23
quod & ex terræ motu partim fieri poterit. Communiter quoque affirmãt doctores, quod vltimo die viui ſint morituri, vt debitum carnis ſoluant, protinus reſurrecturi cum aliis. Item quia tũc inſtabit finalis deſtructio & æterna deſitio auium, piſcium, ac brutorum, herbarum, plantarum & arborum, credibile puto, quod magnæ & incõſuetæ deſolationes, diſcurſus, alterationes, & motus tunc apparebunt in eis, & hoc ex occulto inſtinctu & quoniam (Chriſto teſtante) tunc e- *Luc.* 25
rit *preſſura & anguſtia gentium præ cõfuſione ſonitus maris & fluctuũ*, ſatis probabile eſt quòd tunc erunt inſolitæ eleuationes ac depreſſiones maris ac fluminum. Et item probabile, quòd ex prætactis horribilibus ſignis, tantus timor, ſtupor, deſolatio, anguſtia, atque turbatio corde hominũ penetrabit, quòd ibunt tamquam amentes.

Quod verò de emanatione igneorum fluminum fertur, magis incertum videtur: niſi forſan ad hoc pertineat quod in Daniele legitur: *Fluuius rabidus igneúſque à facie eius egrediebatur.* Quod tamen & aliter poteſt exponi. Si ergo tam terribilia erunt ſigna atque præambula finalis iudicij, quàm terribile erit ipſum iudicium? Hinc ſanctus Gregorius cauſas præceſſionis tam horrendorum ſignorum exponens ait: *Vltima tribulatio multis tribulationibus preuenitur, & per crebra mala quæ preueniunt,* indicantur mala perpetua quę ſequuntur. Alia cauſa eſt, vt ſicut iniqui creaturis abuſi ſunt, & malè delectati in eis, ita puniantur per eas: iuxta illud Sapientiæ: *Per quæ quis peccat, per hæc & punitur* Ideo ait Gregorius: *Omnia quæ ad vſum accepimus vitæ, ad vſum conuertimus culpæ: propterea cuncta quæ ad vſum prauitatis inflexímus, ad vſum nobis vertuntur vltionis, & qui in cunctis deliquimus, in cũctis ferimur.*

Daniel. 7.

Greg. homil. 2.

Sapien. 11.

De terribilitate diuini iudicij ex parte diſpoſitionis, in qua mundus tunc ſtabit.

ARTICVLVS XXIII.

2. Pet. 3.

ADueniet dies domini tamquam fur, in quo cœli magno impetu tranſient, elementa verò calore ſoluentur: terra autem & quæ

& quæ in ea ſunt opera exurentur. Cum ergo hæc omnia diſſoluenda ſint, quales oportet nos eſſe in ſanctis cōuerſationibus & pietatibus, expectantes & properantes in occurſum diei Domini Ieſu Chriſti, per quem cæli ardentes ſoluentur, elementa verò ignis calore tabeſcent? Hæc ſunt verba beatiſſimi Petri principis Apoſtolorum in ſecunda ſua canonica, & loquitur de cœlis aëreis, qui purgabuntur igni conflagrationis. Quēadmodum autem ex ſacris ſcripturis colligitur, antequá Chriſtus ad iudicandum deſcē-det ac reſidebit, maximus ignis diuina poteſtate accendetur, & terram, aquam, ac aërem implebit & expurgabit: ſicut in Pſalmo prædictū eſt: *Ignis ante ipſum præcedet:* Qui etiam ignis durabit, atque in ſuo vigore ſtabit, cùm Chriſtus ad iudicandum ſedebit, & inflammabit, ac puniet reprobos, non autem electos. Idcirco in Pſalmo prætacto ſubiungitur, *Et inflammabit in circuitu inimicos eius.* Vnde rurſus Pſalmiſta fatetur: *Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida.* Hinc in Malachia legitur: *Ecce dies veniet ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi & omnes facientes impietatem ſtipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit dominus, quæ non relinquet eis radicem.* Aſcē-

Pſal. 96.

Ibidem.

Pſal. 49.

Mal. 3.

det quoque ignis ille tam altè in aëre, ſicut olim aqua diluuij, vt puta qu ndecim cubitis ſuper montes altiſſimos. Ex hoc ergo pateſcit, quam horribile erit illud iudicium, quoniam mundus tunc ſtabit in tam metuendo & maximo gne impios exurente: & quocunque ſe verterint, quocunque aſpexerint maledicti, non niſi deſolationem concipient, triſtitiam haurient, terrorem & anguſtiam ſibi augebunt. Nempe (vt ait deuotus Anſelmus) *ſupra ſe videbunt iudicem eis iratum & indignantem, cuius aſpectus erit eis ſuper omnia intolerabilis ac pœnoſus, ſubtus ſe videbunt horrendum chaos tartareum, ad eorum deuorationem apertum, intus erit conſcientia remordens & vrens, foris mundus ardens, à dextris ſancti & electi, quorum beatitudo & gloria augebit impiorum miſeriam, à ſiniſtris dæmones accuſantes. Infœlix peccator ſic deprehenſus quo fugiet? Impoſsibile erit latere, intolerabile apparere.* Inſuper tunc apparebant in aëre electis ac reprobis inſignia Dominicæ paſſionis, arma videlicet Chriſti, crux, claui & lancea eius, ſicut in Euangelio proteſtatur: *Tunc apparebit ſignum filij hominis in cœlo:* vt impij videant ingratitudinem ſuã, quibus iudex improperabit & exprobrabit

Gene. 7.

Impij quã to cum timore iudicio finali adſtabũt.

Mat. 24.

bit ſuam, quã pro eis ſuſtinuit, amariſſimã paſſionẽ, & ignominioſiſſimã mortem, cuius cicatrices patebunt in corpore ſuo, nec vlla tunc erit apparentia excuſationis, cum viderint arma ſaluatoris, in ſuo corpore oſtendentis teſtimonia paſſionis. Inſuper ſicut rex proceſſurus ad pugnã, armat ſubditos ſuos ad faciendum de aduerſariis ſuis vindictam: ſic dominus & ſaluator rex ſæculorum tũc armabit vniuerſitatem creaturarum ad pugnandum pro ſe contra ingratos & inſenſatos: quemadmodum in libro Sapiẽtiæ ſcriptum eſt: *Creatura tibi creatori deſerviens, excandeſcit in tormentum aduerſus iniuſtos*. Et rurſus: *Vindex eſt orbis iuſtorum*, id eſt, mundus vlciſcetur iuſtorum iniuriam ab iniuſtis ipſis illatã, & multò plus vindicabit creatoris offenſam: quemadmodum in eodem ſcriptum eſt libro: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos*. Inſtante etenim bello fit armorum oſtenſio, diſponúntque principes vt ſubditi armati conueniant: ſic inſtante mundi exterminio, & expugnatione prauorum, Chriſtus rex regum imminente iudicio armabit cuncta creata ad deiectionem aduerſariorum ſuorum.

Sapien. 5.
Sapiẽ 16.
Sapien.5.
Apo. 19.

De horribilitate extremi iudicij ex parte exercituum iudicis ſummi qui aderunt ibi.

ARTICVLVS XI.

Iſaiæ 3. D*Ominus ad iudicium veniet cum ſenibus populi ſui & principibus eius.* Chriſtus dominus, rex, iudex ac legifer noſter apud Matthæum ait: *Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli eius cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ ad iudicandum.* Ex quibus verbis cognoſcimus, quòd omnes angeli ſancti, vniuerſi vtique ordines ſupernorum ſpirituum, cum Chriſto ad iudicium venient, atque (vt dicit Gregorius) cunctis hominibus viſibiliter apparebunt, & ſicut iudex apparebit terribilis impiis, ita & angeli ſancti, tanquam parati ad executionem ſententiæ iudicis contra iniquos. *Si ergo terribilis eſt caſtrorum acies ordinata*, & copioſus hominum armatorum exercitus, quàm metuendus erit exercitus ille innumerabilium angelorum, quorum vnus poſſet innumerabilia milia hominum proſternere ſimul: quemadmodum angelus vnus occidit in caſtris Aſsyriorũ centum octoginta quinque millia hominum in momento? Denique ſcriptura

Omnes angeli Chriſto iudicaturo aderunt.

Canoic. 6.

4. *Reg.* 19
2. *Par.* 32.
Iſaiæ 37.

ſacra nos inſtruit, quãtum terreat hominẽ apparitio angeli, præſertim dũ vult in forma apparere terribili. Vnde legitur Daniel ſanctus dixiſſe, cũ angelum ſanctum vidiſſet, *Domine in viſione tua diſſolutæ ſunt compages meæ, & nihil in me remanſit virium: ſed & halitus meus intercluditur, & ſpecies mea immutata eſt, & emarcuit.* Denique in Euan. recitatur, quòd cuſtodes ſepulchri Chriſti præ timore angeli *quem viderunt exterriti ſunt, & facti ſunt veluti mortui.* Si vnius angeli viſio ſic proſtrauit & debilitauit videntes, quid faciet, & qualiter reprobos perterrebit aſpectus innumerabilium millium angelorum? Cum enim quilibet homo in hoc mũdo habeat angelum proprium pro cuſtode, & quilibet angelus talis ſit de infimo ordine angelorum, conſtat quòd ad minus ſint tot angeli ſancti de infimo choro, quot ſunt homines in mundo vniuerſo. Cúmque (ſecundum doctrinam diuini & magni Dionyſij) vnuſquiſque ordo & chorus angelorum habeat in ſe tantò plures angelos, quantò ipſe ordo ſuperior eſt, certũ eſt quòd inæſtimabiliter multa atque innumerabilia ſint millia angelorum, quos omnes viſibiliter intueri, erit reprobis ineffabiliter grauis pœna: pręſertim

Dan. 10.

Mat. 28.

Angelus eſt cuilibet hominis cuſtodiæ deputatus.

ſertim quoniã angeli ſancti aſſuũnt formas ſecundũ exigẽtiã cõmiſſi ſibi à Deo officii magis aut minus terribiles. Et quoniam tunc habebunt rigoroſiſſimum officium circa iniquos, *quoniam ſeparabunt eos de medio iuſtorum, mitténtque eos in caminum ignis infernalis*: certum eſt quòd tunc in formis terribiliſsimis apparebũt damnandis. Inſuper angeli ſancti tunc iuſto zelo indignabuntur peruerſis hominibus, qui ipſorum inſtinctibus acquieſcere noluerunt, & ipſorum obſequiis beneficiiſque fuerũt ingrati, & cõtra eos teſtimonium perhibebũt: ſimiliter homines ſancti, qui aſſeſſoria dignitate & approbatione ſententiæ iudicabũt cum Chriſto, contra impios erunt commoti: ſicq; ex omni parte augebitur eorũ calamitas, & nulla conſolatio erit eis. Quemadmodum enim iam eſt tempus ineffabilis pietatis & gratiæ, ita tunc erit dies incomprehẽſibilis ſeueritatis ac iræ. Hinc quidam ſanctorum patrum dixit: Si poſſibile eſſet in aduentu Dei poſt reſurrectionem mortuorum, animas eorum rurſus exire à ſuis corporibus, præ timore omnis mundus, id eſt, vniuerſitas hominum iniquorum, moreretur à timore atq; formidine. Quid enim eſt

Ira angelorum circa malos.

Sapien. 3.

Ira ſanctorũ ac Chriſti circa malos.

vide

videre cœlos ſciſſos, & Deum reuelatum cum ira & indignatione, innumerabiles quoque Angelorum militias, & totum ſimul genus humanum aſpicere? Idcirco debemus ſic viuere, vt qui de ſingulis motibus noſtris rationem exigendi ſumus à Deo. Alius quoque ſenior ſanctus dixit: In omni actione & re increpare debet homo animam ſuam dicendo: Memor eſto quòd oporteat te occurrere Deo.

Quòd diuinum illud generale iudiciũ erit valde horrendum, propter omnium intellectualium & rationalium creaturarum præſentiam.

ARTICVLVS XV.

TVnc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt. Videntes iniqui turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, (id eſt ex ſubitanea celerrimáque ſaluatione & glorificatione iuſtorum) *gementes præ anguſtia ſpiritus ſui, & dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes: Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus infamiam, & finem illorum ſine honore. Quomodo ergo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt?* Sapien. 5. Matt. 25.
Sicut ait ſaluator & iudex noſter, in die

die nouiſſimo cum ſederit in ſolio maieſtatis ſuæ ad iudicandum, congregabuntur ad eum omnes gentes tunc reſuſcitatæ à mortuis & angelorum miniſteriis illuc adductæ, & ſeparabit eos abinuicem, ſicut ſegregat paſtor oues ab hœdis. Et ſtatuet oues à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris. Inſuper, ſicut ſancti patres edocuerunt, virtute omnipotentis Dei erunt tunc peccata ſingulorũ ſingulis manifeſta, vt vniuerſis innoteſcat iuſtiſſimum eſſe Dei iudicium. Itaque attẽdamus pro poſſe, qualis & quanta erit illa confuſio, coram tota vniuerſitate angelorũ, & hominum, ac dæmonum à iudice ſummo confundi, accuſari, & propalari de omni peccato, cui corã Deo quiſque obnoxius fuerit. Ponderet vnuſquiſque & ſæpe perpendat, quanta ſibi ineſſet confuſio, quanta afflictio, ſi vniuerſa & ſingula vitia ſua cũ cunctis circunſtãtiis, radicibus, & aggrauationibus ſuis clarè obiicerẽtur ſibi in præſentia paucorum proximorũ ſuorum: imò forſan tolerare nõ poſſet, ſi duo aut tria de grauioribus & cõfuſibilioribus ſuis exceſſibus corã ipſo, & paucis proximis panderẽtur. Quã intolerabilis igitur & extrema erit confuſio atque afflictio, de vniuerſis & ſingu

Omnibus ſingulorũ peccata patebunt.

Confuſio iudicãdorum.

Comparatio.

ſingulis culpis coram tota vniuerſitate intellectualium creaturarũ accuſari, innoteſcere,& confundi? De hoc in vita patrũ narratur exẽplum de fratre quodã, qui volebat conuerti. Et cum retraheretur à matre ſua,non acquieuit matri, ſed dixit: Saluare volo animam meam. Sicq; tandem effectus eſt monachus, ſed in monachatu conuerſatus eſt negligenter. Cumq; poſt obitum matris ſuæ ipſe in graui ægritudine cõſtitutus, factus eſſet quadam die in mentis exceſſu, raptus eſt ad iudicium Dei, inuenitq; matrem ſuã cum his qui iudicabantur. Quæ viſo filio ſuo obſtupuit dicens, Quid eſt hoc fili, quòd & tu in locum hunc condemnatus veniſti? Vbi ſunt verba quæ protuliſti, Saluare volo animam meam? Qui confuſus ex verbis matris, præ dolore ſtupidus factus ſtetit confuſus, non habens quod matri propriæ reſponderet. Poſtea Deo miſerante, à ſua infirmitate curatus, cogitauit factam ſibi eſſe diuinitus illam viſitationem ac viſionem. Idcirco de cætero ſe incluſit, ſedens & ſollicitè cogitans de ſua ſalute: de priori ſua negligẽtia pœnitẽs, ac eam deplorans. Tanta autem ſerioſitas & compunctio eius fuit, vt multi eum rogarent quatenus paululum *Exemplũ*

lum de rigore ſuo laxaret, ne ex nimio fletu, quem ſibi indixit, aliquam incurreret læſionem. Ille autem nullo modo voluit conſolari, ſed dixit: Si improperiũ matris meæ non potui ſuſtinere, qualiter
Coloſſ. 1. in die iudicii potero confuſionem Chriſti & Angelorum ſanctorum aduerſum me tolerare? Vt ergo & nos mereamur tantam confuſionem euadere, ſatagamus conuerſari digne Deo ſecundum exigentiam noſtræ vocationis cũ omni ſpiritali ſollicitudine ac indeſinenti feruore, & increpemus ac humiliemus omni hora noſipſos, dicẽtes ſinguli ſibimetipſis: Aduerte quòd à Deo ſis iudicandus, & vide quam ei de tota vita tua reddere poteris rationem. Poſtremò, *quia nõ iudi-*
Naum 1. *cabit Dominus bis in idipſum*, deſideremus
ſecundum & gratanter accipiamus in vita hac re-
70. prehendi & caſtigari à ſuperioribus noſtris, imò & à proximis vniuerſis. Et quãuis forſan cõſcij nobis non ſimus de culpa obiecta, tamen propter occulta noſtra peccata nobiſipſis ignota, æquanimiter patiamur, quatenus deſuper miſericordiam conſequamur.

De metuenda ſeueritate extremi iudicij, ex parte eorum qui accuſabunt iniquos.

ARTICVLVS XVI.

R*Euelabunt cæli iniquitatem impij, & terra aduerſus eum conſurget, & detrahetur in die furoris Domini.* Vehementer terrentur impotentes & pauperes, inferiores ac ſubditi, quando perſonæ multum authenticæ ac ſublimes contra ipſos teſtimonium dare incipiunt, omneſque rei dum multitudine veracium teſtium obruũtur, deſperant ſe poſſe effugere, ac animo penitus conſternantur. Sic autem in die iudicij maximè continget iniquis. In primis etenim ipſemet omnium iudex Chriſtus eos accuſabit, & teſtimonium feret aduerſus miſerrimos: quemadmodum per Ieremiam locutus eſt: *Ego ſum iudex & teſtis*, & per Malachiam: *Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis, adulteris, & periuris.* Hinc ait in Pſalmo: *Exiſtimaſti inique, quòd ero tui ſimilis, arguam te, & ſtatuam te contra faciem tuam.* Et rurſus aſſerit per Naum Prophetam: *Reuelabo pudenda tua in facie tua.* Denique ipſe dicet iniuſtis: *Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare.* Secundo, accuſabuntur reprobi ab Angelis ſanctis, præſertim eorum cuſtodibus, quorum directionibus acquieſcere renuerunt. Et hoc erit grauiſſimũ & omni deſolatione pleniſſimum,

Iob.20.

Accuſatio damnãdorum ab homine Chriſto.

Chriſtus iudex & teſtis.

Iere.29.

Malac.3.

Pſal. 49.

Naum 3.

Matt.25.

Accuſatio malorũ ab angelis cuſtodibus.

mum, accuſari ab illis, qui in hac vita ſemper auxiliari conſueuerunt, & fideliſſimè aſtiterunt, atque præcipui fuerunt amici.

Accuſatio à diabolo. Tertiò, accuſabuntur à dæmonibus, qui tam in particulari, quàm in generali iudicio ſunt accuſatores improbiſſimi & maligni, obiicientes iudicandis quicquid impietatis & culpæ de ipſis cognouerũt: & qui iam incitant & alliciunt ad peccandum, tunc importunè ac malitioſiſſimè deceptos accuſant, dicentes: Iuſtiſſimè iudex, adiudica iſtos nobis. Tui ſunt per creationem, ſed noſtri per tranſgreſſionem. Tui fuerũt per gratiam quam amiſerunt, noſtri ſunt per culpam, in qua deceſſerunt. Tui merito tuæ paſſionis & mortis, noſtri vitio ſuæ ingratitudinis. A te ornatum acceperũt virtutum, à ſeipſis autem, & à nobis induti ſunt veſtes has ſordidas vitiorum. Nobis ergo aſſocientur in pœnis, qui confirmati ſunt nobis in culpis.

Accuſatrix conſcientia propria. Quartò accuſabuntur à conſcientiis propriis, quæ ſunt libri tunc aperiendi, de quibus in Apocalypſi habetur: *Iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris.* *Apoc. 20.* De quibus & in Daniele ſcriptum eſt: *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.* *Danie. 7.*

Quintò.

Quintò accuſabuntur à propriis actibus, & peccatis, quemadmodum in Ieremia Dominus loquitur: *Arguet te malitia tua & auerſio tua increpabit te.* Opera nam que eorum ſequuntur eos, & tacitè ſuſurrabunt: Vos perpetraſtis nos, opera veſtra ſumus: non vos relinquemus: ſed ad iudicium vobiſcum pergemus. *Iniquitates enim ſuæ capient eum, & peccatorum ſuorum funibus conſtringetur.* *Mala acta accuſantia reum.* *Ierem. 2.* *Apoc. 14.* *Prou. 5.*

Sextò accuſabuntur ab omnibus creaturis, quæ ſua commotione oſtendent ſe impiis indignari, qui ipſis abuſi ſunt, & propter facinora ſua indigni fuerũt creaturarum vſu atque obſequio: imò, quoniã creatori ſuo fuerunt rebelles, indigni erãt terram calcare, aërem reſpirare, luce ſolis perfundi, paneque veſci. *Accuſabũt reum omnes creaturæ.* *Inſignia Chriſti accuſantia impium.*

Septimò accuſabuntur ex repræſentatione armorum Chriſti, ac venerãdarum cicatricum. Ex quibus patebit impiorum ingratitudo, negligentia, & abuſus: quia defectus ſaluationis impiorum non fuit ex parte Chriſti, ſed ex peruerſitate eorum, ſicut de hoc dictum eſt.

Octauò accuſabũtur ab his, quibus fuerũt damnationis cauſa, ſiue occaſio, quos ſcandalizando, aut negligenter regendo, aut non corripiendo, aut alio modo de- *Accuſatio reorũ ab neglectis ſcandalizatis.*

 bitum

bitum caritatis & æquitatis non impendendo, ad perditionem traxerunt: ideo vltionem expetent contra eos.

De maxima horribilitate extremi iudicij, eò quòd de ſingulis fiet diſtrictiſsima exactio à iudice ſummo.

ARTICVLVS XVII.

Ioel. 3. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat, & diſceptabo ibi*
Mat. 25. *cum eis.* Omnia noſtra bona ſunt beneficia Dei, ac dona, & quaſi quædam talenta nobis ab ipſo conceſſa, vt eis ad laudem creatoris, atque datoris fructuosè vtamur. Idcirco de omnibus illis exiget rationem. Et quia compoſiti ſumus ex anima & corpore, ſicut ex ſubſtantialibus partibus, de his duobus tamquam de primis donis nobis collatis, rationem exquiret: & primò de anima noſtra, an ea vſi ſumus ad id propter quod vnita eſt corpori noſtro. Vnita nanque eſt corpori, vt per illud, & per corporeos ſenſus proficiat in ſciẽtiis, atque virtutibus, ex viſibilium ac corporalium rerum notitia ad inuiſibilium, ac ſpiritualium rerum cognitionem progrediendo, & maximè ad agnitionem & amorem ſummi, & inuariabilis Dei,

Homo cõſtat ex anima & corpore.

Anima quare data eſt corpori.

quæ

quatenus cognito eo per fidem & ratio-nem,diligamus,vereremúrque eum obe-diendo,ac ſeruiẽdo ei in omnibus. Quod ſi non fecerimus, reprobabit nos iudex, eo quod in vanum acceperimus animas noſtras,& inſtar brutorum vixerimus,nõ penſantes dignitatem, & finẽ animarum noſtrarum. Et conuenit nobis, quod ait Pſalmiſta. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus.* Exigitur ergo à nobis quod per Moſem Dominus iuſſit: *Cuſtodi animam tuam ſollicitè:*Den que Deus ex ſua pietate immenſa,per gratiarum ſuarum chariſmata fecit animas noſtras eſſe ſponſas, amicas & filias ſuas.: Illuſtriſſimè ergo ac vehementiſſimè indignabitur nobis,ſi animas noſtras fecerimus adulteras,dæmonũ filias, ac miniſtras diaboli, inimicasque Dei. Quod vtique faciũt, quicunq; mortaliter peccant, quicunque carnaliter viuunt, & omnes qui rebus creatis, carnalibus, vanis ac tranſitoris magis quàm Deo ęterno,perfecto,immenſo & incircumſcriptibili bono adhærent: quoniam animam ſuam faciunt ſenſualitati ſubiectam, & carni inſtar ancillæ deſeruientem. Tales ergo adiudicabuntur dæmonibus, atque in pœnis æternis aſſociabuntur tenebra-

Ratio reddẽda propter collatam animam.

Pſal. 48.

Deut. 4.

Anima ſponſa filia & amica Chriſti.

Quando anima diaboli adultera.

rum principibus: quoniam opera tenebrarum, paſſiones, errores ac vitia dile-
Ioan.3. xerunt, quemadmodum apud Ioannem Chriſtus teſtatur: *Hoc eſt* (inquiens) *iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem. Om-*
Prou.4. *nis enim qui male agit, odit lucem.* Vnde & Salomon loquitur: *Via impiorum tenebroſa,*
Corpus neſciunt vbi corruunt. Iuſtorum autem ſemita,
quare da- quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit vſque
tum ani- ad perfectum diem.
mæ. Prætereà corpus noſtrum à Deo accepimus, tanquam inſtrumentum & miniſtrum, ac habitaculum animæ. Idcirco tenemur illud ſubijcere animæ noſtræ, vt rationi obediat, atque ab ea debitè gubernetur, & in virtuoſis exercitiis occupetur, non in actibus vitiorum, nec in fœditatibus deſideriorum carnalium, ſicut beatiſſimus princeps Apoſtolorum hor-
1.Pet.2. tatur: *Obſecro vos abſtinere à carnalibus deſi-*
Rom.6. *deriis quæ militant aduerſus animam.* Et Paulus Apoſtolus ait: *Nõ regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis*
Rom.8. *eius. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini,* morte vtique æternæ damnationis: *ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis,* vita gratiæ ac virtutũ in ſæculo iſto, deinde vita gloriæ in futuro. Domanda ergo

ergo eſt caro, vt in ſanctis vigiliis, ieiuniis abſtinentiis, diſciplinis, ac fructuoſis laboribus obſequatur ad nutum dominæ ſuæ, videlicet animę. Quòd & ſi ita egerimus, caro hęc defectuoſa tandem glorificabitur ſimul cum anima: eritque particeps conſolationis, & gloriæ in æternum, quæ nunc particeps eſt afflictionis, & triſtitiæ ſalutaris ad tempus per modicum. Alioquin reprobabimur à iudice ſummo, atq; in corpore & anima ſimul peribimus. *Carnis domandæ inſtrumenta quæ.* *2.Cor.1.*

Inſuper de ſingulis viribus animæ, & de membris corporis rationem reddere exigemur, qualiter ſcilicet vſi ſimus exterioribus, & interioribus ſenſibus, appetituque ſenſitiuo, & potiſſimè ratione, voluntate, & memoria, an exteriores ſenſus & interiores, & ſenſitiuum appetitum per rationem debitè refrænauimus, ac laudabiliter vſi ſimus eiſdem ad proficiendum in bonis: qualiter etiam vſi ſimus ratione, intellectu, voluntate, ac memoria intellectiua, prauas & vanas cogitationes, ſtultas imaginationes, illicitas affectiones ſtatim ac penitus abijciendo, atque ſalubribus meditationibus, vtilibus cogitationibus, virtuoſis affectionibus inſiſtendo. *Exigēda ratio de donis naturalibus.* *Ratio exigenda de inſtrumētis corporis.*

Conformiter ratio requiretur à nobis,

qualiter vſi ſimus corporalibus membris, an per linguã, & os in verbis exceſſimus, an per membra effecimus opera vitioſa, quibus omnibus vti tenemur ad exercen-
Rom.6. dum opera bona. Propterea iubet Apoſtolus: *Neque exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed arma iuſtitiæ* Deo. Itẽ-
Ibidem. que: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem*

Dãda itẽ ratio de bonis exterioribus. Inſuper, de omnibus naturalibus donis, de exterioribus poſſeſſionibus ratio exigetur, qualitet vſi ſimus eiſdem, præſertim de Eccleſiaſticis reditibus. Tunc
Ratio red denda à prelatis, parẽtibus & prædicatoribus diſtrictiſſima ratio exigetur à principibus, ac prælatis, & ab vniuerſis qui præſunt, qualiter debitum officij ſui impleuerunt: à parentibus quoque, qualiter ſuam direxerint prolem, & à prædicatoribus, an ea quæ docuerunt perſonaliter
Actuũ 1. executi ſint opere, & an cœperunt facere, ac deinde docere. O quàm diſtrictum ac metuendum erit illud iudicium, & quid reſponſuri, imò quid paſſuri ſunt, qui magnis inuoluti, ac inquinati ſunt
Miche.2. vitiis? cùm per Micheam prophetam loquutus ſit Dominus: *Væ vobis, qui cogitatis inutile* Et per ſeipſum in Euangelio:
De

De omni verbo otioſo, quod loquuti fuerint homines reddent rationem in die iudicij. Nec ſolum de malis operibus, ſed de omiſſionibus quoque actuum virtuoſorum, & de omni tempore nobis impenſo, exigetur ratio rigoroſa. O quanta peccata & vitia, de quibus non eramus ſuſpecti, tunc quaſi ex inſidiis contra nos improuiſè erumpent, atque conſurgent? Certè (vt ſanctus ait Hieronymus) *iudicaturo domino, lugubre mundus immugiet, & tribus ad tribum pecto-ra ferient, potentiſsimi quondam reges nudo latere palpitabunt. Tunc Ariſtotelis argumenta non proderunt, cum venerit filius illius paupercule quaeſtuariae iudicare orbem terrae.* O cum quanta deſolatione, mœrore & obſtupefactione infœliciſſimi, reprobi & iniqui aſpicient ſemetipſos, atque ſe inuicem. Quemadmodum enim corpora ſanctorum erunt pulcherrima, ſic corpora impiorum erunt turpiſſima, luto & plumbo grauiora, & magis deformia, quàm dū in ſepulchris fuerunt à vermibus pro media parte corroſa: ita quòd ipſimet de tanta, támque horribili corporum ſuorum deformitate, fœditate, & obſcuritate ſtupebunt. Diſcutiamus ergo quotidie totam vitam noſtram, & interim Deo reconciliari conemur, & cum Anſelmo

Mat. 12

Hier. ep. 1. ad Aeliod.

Turpitudo corporū damnandorum.

dicat quilibet ſibimetipſi: O *lignum aridum, lignum inutile, æternis ignibus dignum, quid reſpondebis in illo die, cùm exigetur à te vſque ad ictum oculi, omne tempus vitæ tuæ tibi impenſum qualiter ſit expenſum?* Hinc in Vita patrum narratur: Contigit vnum ex ſenibus mori, & poſt longam horam iterum ad vitam reuerit. Et interrogauimus eum: Quid vidiſti ibi abba? Et retulit nobis plorans: Audiui vocem lugubrem ſine ceſſatione dicentem, Væ mihi, væ mihi. Sic & nos ſemper dicere debemus.

Exemplũ.

De ordine, proceſſu & conſummatione extremi iudicij.

ARTICVLVS XVIII.

Deut. 12. IN *tempore illo conſurget Michael princeps magnus, & veniet tempus quale non fuit ex eo, ex quo gentes eſſe cœperunt, vſque ad tempus illud.* Huic teſtimonio prophetico conſonat quod apud Matthæum Christus prædixit: *Erit tunc tribulatio magna, qualis numquam fuit à principio mundi vſque modo, neque fiet.* Itaque aduertendũ, quòd quamuis iuxta doctrinam Chriſti, tempus finalis iudicij ſit ignotum aliqua tamen fient circa finem mundi, quibus euenientibus certum erit, quòd dies iudicij ſit propinquus.

Mat. 14.

Actuũ 1.

quus. Verumtamen quia ignotũ eſt, quando ſigna illa euenire incipient, & quamdiu quædam eorum durabunt, veriſſimè dicitur, quòd dies iudicij ſit ignotus. Itaque iuxta doctrinam Chriſti, diem iudicij præcedet aduentus Antichriſti, qui cum ſatellitibus ſuis Chriſtianos acerrimè proſequetur: & plurimos variis modis fallet, videlicet, per falſa miracula, per armorum potentiam, per diuitiarum donationem, per allegationem deceptoriam ſcripturarum, per ſermocinationes fallaces, & per ſanctitatem confictam. Tunc erit ergo grauiſſima perſecutio conſtantium Chriſtianorum. Sed quia omnipotens ac ſapientiſsimus Deus *non permittet ſuos fideles vltra eorum vires tentari*, ideò tempore illo in conſolationem magnam fidelium mittet duos viros ſanctiſſimos ex paradiſo terreſtri, vt puta Enoch, & Eliam ad prædicandum contra nequitiam, atque perfidiam Antichriſti: quemadmodum de hoc ſanctus Euangeliſta Ioannes in Apocalypſi multa cõſcripſit: & de aduentu Eliæ Dominus ſpecialiter ait: *Ecce, ego mittam vobis Eliam prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* De quo & in Euangelio veritas proteſtatur: *Elias cum venerit reſtituet omnia.* Et quoniam

Dies iudicij quomodo ignotus.

Mat. 17.

Antichriſtus adueniet.

1. *Cor.* 10.

Apoc. 11.

Mala. 4.

Mat. 17.

niam Enoch & Elias nondum ſoluerunt debitum mortalis naturæ, tandem Deo permittente ab Antichriſto interficientur, & non diu poſt hoc ipſe ſceleratiſſimus Antichriſtus homo peccati, filius perditionis, diuina occidetur virtute. Quo facto falſitas eius cunctis patebit, & penè omnes infideles cõuertentur ad Chriſtum, atque (vt ex Daniele propheta doctores eliciunt) tunc dabuntur quadragintaquinque dies ad pœnitendum his, qui ab Antichriſto fuerunt decepti. Veruntamen quidam obſtinatiſſimi ex ſatellitibus Antichriſti, in ſua permanebunt duritia, infidelitate ac prauitate, qui videntes finem mundi non ſtatim venire, dicturi ſunt: Quamuis iam mortuus ſit princeps noſter, nos tamen pacem habemus. De quibus intelligendum eſt, quod

1. Theſ. 5. ait Apoſtolus: ***Cùm dixerint, Pax & ſecuritas, tunc repentinus ſuperueniet eis interitus.***

Mat. 24. Et apud Matthæum loquitur Chriſtus:

Gen. 6. 7. ***Sicut erant in diebus Noe, edentes & bibentes, donec venit diluuiũ, ita erit aduentus filij hominis.*** Porrò poſt dies quadragintaquinque præfatos, citò erit tempus iudicij,

Mat. 24. ſecundum quod aſſerit Chriſtus: ***Statim poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcu***

obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum. Adueniente autem die nouiſſimo generalis iudicij, ignis conflagrationis præcedet aduĕtum iudicis, & durabit vſque ad completionem iudicij, vt dictum eſt plenius. Mortui quoque reſurgẽt antequam Chriſtus ad iudicãdum reſideat, qui cùm protulerit ſententiam; primò pro electis, dicendo: *Venite benedicti patris mei*, deinde contra iniuſtos, dicendo: *Ite maledicti in ignem æternum:* ſtatim ipſe iudex cum vniuerſis electis aſcendet (videntibus reprobis) in regnum cœlorum. Tunc ignis ille conflagrationis inuoluet iniquos, & ſimul cum ipſis deſcendet ad profunda inferorum. Terra namque os ſuum horribiliſſimè & latiſſimè apĕriens ipſos deglutiet, & corruent viui in infernum operti humo. Et quãuis aliqui dicant, quòd prolata à Chriſto ſententia contra iniquos, diaboli rapient impios homines ſecum ad inferos, melius tamen dicendum videtur, quòd angeli ſancti totam illam maledictam ſocietatem hominum reproborum, ac dæmonum impellent, ac præcipitabunt in carcerem infernalem: quia apud Matthæum Chriſtus affirmat: *In conſummatione ſeculi, mittet filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcanda*

Pſal. 96.

Mortuorum reſurrectio.

Matt. 25.

Ibidem.

Matt. 13.

ſcandala, & eos qui operantur iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Et rurſus ait: *In conſummatione ſeculi exibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio iuſtorum, & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Denique proiectis reprobis in infernum, mox innouabitur mundus, & complanabitur terra, & fulgebit de cætero ſicut aurum, aqua ſicut chryſtallus, aër vt cœlum, ignis vt ſtellæ: luna de cætero erit tam clara, ſicut modò eſt ſol, & iugiter plena: ſol verò ſepties clarior erit quã modò, ſidera quoque, & cœli proportionabiliter clarificabuntur. Stabítque ſol perpetuè fixus in oriẽte, luna in occidente, & ceſſabunt motus cœlorum. His conſonat quod ſanctus ait Bernar. *Prius vocabuntur electi in regnum, quàm maledicti deijciantur in caminum ignis æterni, quatenus maledicti illi acrius doleant, videntes quid amiſerunt, iuſti verò lætentur, videntes quid euaſerunt.* In illa ergo ſeparatione extrema, conſideratio reproborum erit electis immenſa materia gratiarum actionis & laudis. O qualis & quanta mœſtitia erit, quæ deſolatio, quàm acerbiſſima deſperatio, ineffabilíſque anguſtia & preſſura iniquorum, cùm ſe viderint taliter reprobari, præcipitari, atque æterno incendio tra

Ibidem.

Diſpoſitio mundi poſt iudicium.

Damnatorum miſeria ineffabilis.

dio tradi: imò hoc erit eis amariſſima pœna, quòd omni gaudio electorum & tanta beatitudine priuabuntur. Inſuper, quia in finali illo iudicio Chriſtus perhibet ſe damnaturum iniquos, ſpecialiter propter hoc, quod opera miſericordiæ non fecerunt, qui cupit tunc iudicem habere propitium, non omittat nunc opera miſericordiæ liberaliter exercere ex vera caritate & pietate pro poſſe, & qui nõ poteſt in effectu, agat deuotè affectu: nec ſolũ corporalia miſericordiæ opera ſunt proximis impendenda, ſed etiam ſpiritales miſericordiæ actus, qui vtique corporalibus miſericordiæ operibus præſtantiores ſunt, ac Deo placentiores.

Matt. 25.

Miſericordiæ opera duplicia impartiẽdà proximis.

Recitatio exempli terribilis, ex quo patet veritas horum quæ dicta ſunt de terribilitate ac rigore diuini iudicij.

ARTICVLVS XVIIII.

M*Emor eſto iudicij mei. Sic enim erit & tuum. Mihi heri, tibi hodie*: Sicut ait ſcriptura, *Sapiẽs in omnibus metuit*, & quod proximo ſuo percipit cõtigiſſe, ſibi quoque poſſe accidere penſat. Itaque ad formidandum rigorem diuini iudicij multum valet exemplum, quod ſanctus vir Climachus recitat, dicens: Fuit in monte hoc Sinai habitans monachus, nomine Stepha

Eccleſ. 38.

Eccl. 18.

Stephanus, ſolitariam & tranquillam diligens vitam, qui multis annis in monaſterio ſub obedientia vixit, ieiuniis & lachrymis maximè decoratus, & aliis multis bonis abundans. Qui tandem deſiderio pœnitentiæ arctioris anachoreticam vitam, (id eſt, omnino ſolitariam & abſtractam ac contemplatiuam) aſſumpſit, habitans in loco valde remoto à clauſtro, in quo ſolitario loco vixit per aliquot annos in anguſtiſſima & ſuperardua vita, quia & locus ille omni conſolatione humana carebat, & ferè inacceſſibilis fuit cunctis hominibus. Poſtmodum verò iam ſenex circa finem vitæ ſuæ rediit ad cellam ſuam in monte hoc Sinai ſitam, & habuit duos diſcipulos multum religioſos. Habitans autem in cella ſua paucis diebus, infirmatus eſt infirmitate qua obiit. Qui ante vnum diem mortis ſuæ factus in ecſtaſi mentis, apertis oculis aſpiciebat ad dexteram, & ad ſiniſtrã lectuli ſui, & quaſi ad reddendum rationem à quibuſdam exactus, dixit aſtantibus quos ipſe videbat, audientibus cunctis, qui aderant. Interdum namque dixit ſic: Vtique verum eſt, quòd in hoc culpabilis fui, ſed confeſſus ſum, & tanto tempore ieiunaui pro remiſſione cul

ne cul

ne culpæ iſtius. Aliquãdo verò dixit: Nequaquam, ſed mentimini, iſtud non feci. Et rurſus quandoque ait: Ita verè iſtud ſic eſt, ſed defleui, & Deo miniſtraui. Aliquando quoque reſpõdit: Calumnioſè me accuſatis. Ad aliqua autem dicebat: Verè ſic eſt, & ad hòc reſpondere nõ poſſum ſed Deus miſericors eſt. Et erat horribile & horrendum, inuiſibile & diſtrictum illud executorium rationis exactę, quoniam etiam in his, quæ non fecerat accuſabant eum inuiſibiles hoſtes. O eia vir quieſcens, ſolitarius, & anachoreta, qui per annos quadraginta circiter fuit monachus & lachrymarum gratiam habens, de aliquibus culpis dixit: Ad hoc non ſcio, nec poſſum aliquid dicere: qui tamen in deſerto habitans, leopardum ad ſe venientem paſcebat. Et hic tantus ita poſitus ſub exactione rationis receſſit à corpore, certum non faciens, quod fuerit eius iudicium, aut quæ ſententia eius, vel quis finis exactæ, ac poſitæ rationis ipſius. Ecce ex hoc exemplo nos puſilli & imperfecti meritò perterreri debemus: & quamuis omnino ſperandum ſit, quòd tantus vir fœliciter migrauit ad Dominum, omnipotẽs tamen ad noſtram informationem & cautelam

talia diſpenſatiuè exhibuit, & fieri voluit circa illum, quatenus nos qui quaſi infinitè diſtamus à conuerſatione illius, iugiter timeamus, penſantes quàm vehementer deficiamus à reddenda ratione de ſingulis, cum vir ille tam altiſſimæ conuerſationis faſſus fuerit ſe non poſſe ad aliqua reſpondere, ſed ad ſolam miſericordiam Dei cōfugerit. Faciamus igi-

Lucæ 17. tur quicquid boni valemus. *Cúmque fecerimus vniuerſa quæ præcepta ſunt nobis, dicamus ex corde quòd ſerui inutiles ſimus, quia quod debuimus facere, fecimus.* Imò pro acceptis beneficiis Dei nihil dignum rependimus ei, omníſque honor & cultus, quos ei offerimus, in infinitum minores ſunt cultu, ac reuerentia, quo ipſe di-

Deus honore dignus infinito.

gniſſimus eſt. Quemadmodū enim eius maieſtas, virtus, ac dignitas eſt intenſiuè & perfectionaliter infinita, ſic ipſe dignus eſt honore & cultu immenſo. Poſtremo de finali iudicio multa difficilia quæri poſſent ac introduci, quę doctores ſuper quartum Sententiarum monent ac tractant: ſed non eſt propoſiti mei in iſto tractatulo talia ſcholaſtica, atque ſubtilia determinare, ſed ſimpliciter ac deuotionáliter tantùm procedere.

FINIS SECVNDAE PARTIS.

TERTIA PARS HVIVS LIBRI IN QVA AGITVR

De tertio nouiſsimorum, quod eſt pœna inferni.

ARTICVLVS I.

Ventilabrum Chriſti eſt in manu eius, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili. *Matth. 3.* Per ventilabrum Domini noſtri Ieſu Chriſti intelligitur iudiciaria eius poteſtas ac iuſtũ iudicium: *Explicatio huius loci.* per aream verò, genus humanum, ſeu ipſa Eccleſia: per triticũ autem intelliguntur electi, per paleas reprobi, per horreũ regnum cœleſte. Eſt itaque ſenſus verborum iſtorum, quòd ſicut per ventilabrum frumenta purgantur: ita quòd paleæ excutiuntur, & grana manent: ſic filius Dei mundabit eccleſiam, in qua modo cum electis & iuſtis reprobi & iniqui ſunt mixti, ſed in die iudicij ſeparabuntur ab inuicem loco & præmio, ſicut nũc abinuicem ſeparantur conuerſatione ac merito: Impij autẽ rectè vocantur paleæ, quoniam modici aut nullius extant valoris, nec aliqua morum grauitate complacent Deo: ſed vani & leues ſunt, ſua- *Impij quare paleæ dicti. Viri virtutis quare triticũ.*

rúmque paſſionum motibus agitantur. Virtuoſi verò tritico comparantur, quia ſunt fructus Chriſti nati in agro Eccleſiæ, hoc eſt, regenerati ex aqua & Spiritu ſpiritualiter quoque viuentes per caritatem, atque diuinis chariſmatibus decorati: idcirco de area Eccleſiæ militãtis transferũtur ad horreum Eccleſię triumphantis. Iniqui autem cùm ſint filij Babylonis, id eſt, confuſionis, præcipitantur in fornacem inextinguibilis ignis & æternæ damnationis. Cùm ergo iam antè tractatum ſit de morte & iudicio ſupereſt nunc aliquid ſcribere de infernali ſupplicio.

Quòd acerbitas infernalis pœnæ attendi poteſt ex eiſdem, ex quibus conſideratur grauitas vitiorum, ac diſtrictio diuini iudicij.

ARTICVLVS II.

Iudæ I. P*Rocella tenebrarum conſeruata eſt impijs in æternum.* Diuina requirit iuſtitia, vt pœna culpæ proportionetur, ita quòd quantò plura, ac grauiora ſunt peccata, tantò acerbior pœna infligatur pro eis. Ideo ex eiſdem cauſis ex quibus penſatur enormitas vitiorum, perpenditur magnitudo ſuppliciorum. Itaque quemadmodum (iuxta præhabita) omne mortale

tale peccatum tantò eſt enormius, quò maior eſt auctoritas ac dignitas Dei pręcipientis,& ita quò maior eſt iuſtitia Dei vitia prohibẽtis,quò etiam maior eſt ſapientia Dei ad bona atque ſalubria dirigentis,& quò maior eſt bonitas,honorabilitas, ac amabilitas Dei, cui in omni mortali peccato præfertur res creata, vilis, caduca & vana, itémque quò maior eſt dignatio,fidelitas & beneficentia Dei circa nos: ſic & infernalia ſupplicia debentur iniquis tantò vehementiora. quò melior,dignior,ſapientior,iuſtior,liberalior, & fidelior eſt Deus, quem offenderunt: quemadmodũ etiam ſecũdum iura humana maior nfligitur pœna peccanti in principem ſeu prælatum, præſertim in regem,ac ſummũ pontificem,quàm peccanti in inferiores. Qui ergo miratur, quòd DEVS naturaliter bonus & pius,tã dirè ac æternaliter punit ac vindicat peccatũ breue,celeriter factũ & finitum,diligenter conſideret, quàm ſumma & infinita, & incomparabiliter magna & excellens ſit dignitas & auctoritas, ſapiẽtia & iuſtitia,beneficentia,bonitas atque dignatio Dei: ſicque intelliget enormitatẽ peccati, & ſciet quòd De⁹ iuſtiſſimè perpetua exerceat vltionem pro culpis, imò

Cur Deus peccatum breue æternaliter puniat.

Deus punit citra condignũ.

m 2 quòd

quòd & citra condignum puniat peccatores etiã in inferno, id eſt, minus quam meruerunt. Inſuper ſicut (iuxta præhabita) terribilitas ac diſtrictio diuini iudicij tantò erunt maiores, quò maior eſt ſapientia, iuſtitia, auctoritas, bonitas, liberalitas, & miſericordia Dei in vita præſenti: ſic vtique tantò intenſior, ac intolerabilior eſt pœna inferni & vltio Dei ibi, quò dignior, excellentior, ſapientior, iuſtior, melior, ac munificẽtior eſt Deus, quem offendunt iniqui. Et quoniam iſta ex præinductis faciliter poſſunt elici ac perpendi, idcirco non immoror. Certum eſt namque, quòd quantò iuſtior ac ſanctior Deus eſt, tantò plus deteſtatur ac odit iniquitatem: & quantò plus deteſtatur & odit peccatum, tantò diſtrictius vlciſcitur illud.

Deus quò iuſtior & ſanctior, eò & peccatum in ipſum cõmiſſũ omni pœna dignius.

Conformiter, quia certiſſimè ſcit vniuerſa ac ſingula vitia cum cunctis circũſtantiis, radicibus atque effectibus eorumdem, ideo cũcta & ſingula nimis diſtrictè ac horribiliter punit. Et quia omnipotens eſt, non eſt qui ei queat reſiſtere. Quantò etiam in hac vita benignius ac liberalius agit cum impiis, tantò rigoroſius puniet impœnitentes, ingratos, atque peruerſos, prout hæc ex præhabitis con

Iob. 9.

tis conſiderationibus faciliter queunt inſpici & inferri. Ideo dixit Apoſtol. *Deus noſter ignis conſumens eſt.* Moſes quoque: *Caue ne obliuiſcaris pacti Domini Dei, quoniã Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt. Deus æmulator.* Et iterum *Moſes proteſtatur: Niſi timueris nomen* Domini *glorioſum atque terribile, augebit plagas tuas: & ſicut antè lætabatur ſuper te benefaciens tibi, ſic lætabitur te diſperdens atque ſubuertens.* Hinc per Ezechielem prophetam diſſeruit: *Ecce in igne Zeli mei locutus ſum, quia conflabo vos & ſuccendam vos in igne furoris mei, & ſufflabimini in medio eius, ſicut conflatur argentum in medio fornacis.*

Heb. 12. Deut. 4. Deut. 28. Ezech. 5.

De multis quæ circa pœnas inferni ſunt conſideranda.

ARTICVLVS II.

L*Vet iniquus quæ fecit omnia, nec tamen conſumetur. Iuxta multitudinem adinuentionum ſuarum; ſic & ſuſtinebit.* Quemadmodum trãſgreſſores variis & innumerabilibus modis peccant in creatorem, cui præferunt creaturas, in quibus multipliciter delectantur inordinatè: ſic infinita ſapientia diuinæ iuſtitiæ, atque immenſa iuſtitia diuinæ ſapientiæ infligit eis vindictam, culpis ipſorum correſpondẽtem, ac proportionatam, vt puta valde

Iob. 20.

multiplicem ac diuerſam, & tantò acerbiorem, quantò intenſius ac vitioſius delectati ſunt in creaturis. Cuius rei manifeſta figura præceſſit in Pharaone rege Ægypti, ac populo eius: qui quoniã multipliciter ac grauiter in filios Iſraël peccauerunt, multipliciter & grauiter propter peccata ſua in filios Iſraël commiſſa fuerunt puniti, ſicut in Exodo Moſes recitauit. Plagauit autem omnipotẽs Pharaonem ſuos, conuertendo aquas eorum in ſanguinem, & piſces eorum per hoc occidendo in ſanguine illo, quoniam Pharao infantulos Hebræorum crudeliſſimè ſubmerſit in aquis propter quam etiam iniquitatem ipſemet Pharao cum exercitu ſuo poſteà fuit ſubmerſus in mari rubro, quod & propter alia eius ſcelera factum fuit. Inſuper Deus induxit per Ægyptos innumerabiles atque turpiſſimas ranas, quæ impleuerunt domos, furnos, cibos ac lectos Ægyptiorũ, quia Ægyptii dirè afflixerunt filios Iſraël in vilibus operibus luti & lateris. Et quoniam verbis pungitiuis, ac flagellis afflixerant Iſraëlitas, miſit dominus in ipſos Ægyptios innumerabiles cyniphes, id eſt, muſcas tam paruas, vt videri vix queant, & tamen acutiſſimè pungunt & per

Ægypt⁹ cur variis ac diuerſis plagis afflictus ſit.

Exo 1. 6. 7. & ſeq.

Exod. 8.

Exod. 1.

perforãt pellem, cui inſederint, vt aſſerit Origenes. Ioſephus tamen & Hebræi affirmant, quòd erant deformes valde pediculi, in tanta multitudine ex corporibus Ægyptiorũ erumpentes, q nullo medicamine valebant auelli. Et hoc iuſtiſſimè fieri potuit, quia Ægyptij cõpulerunt Hebræos multoties laborare vſque ad magnos ſuos ſudores, ex quibus poterãt eis tales vermiculi generari. Cõformiter plagati fuerunt Ægyptij aliis diris, ac variis plagis, in ſeipſis & ſuis pecoribus ac terræ naſcẽtibus, atq; in elementis terræ, aquæ, & aëris, ſecundum quod diuerſimodè peccaue[r]ũt in filios Iſraël. Nam & tandem primogenita Ægyptiorum fuerunt occiſa in qualibet domo eorũ, quia occiderant infantes Iſraëlitarum. Sic igitur in inferno puniuntur iniqui magis ac minus, multipliciter & acerbè, ſecundum quod frequentius aut rarius, feruẽtius, aut minus feruenter, enormius, aut minus enormiter peccauerunt. Itáque circa pœnas inferni primò conſiderãda eſt earũ æternitas, quæ ſuper omnia grauat, premit, contriſtat & torquet damnatos, imò (vt ſuper Apoca. ſcribit Albertus) infernale incendium non affligit tam grauiter infœliciſſimos illos,

Ioſeph. lib. 2. antiqui Iuda. c. 13.

Exod. 1. 8. & 10.

Exod. 12.

Diuerſitas pœnarũ inferni.

Pœnarũ inferni æternitas.

quantum affligit eos conſideratio, qua attendunt & cogitant ſe in tot & tantis tormentis perpetuè permanſuros: ex qua cōſideratione oritur intolerabilis deſperatio omnis boni.

Acerbitas pœnarum infernalium. Secundò conſideranda eſt circa pœnas inferni earum acerbitas. Pœna etenim ignis acerbiſſima eſt. Ignis quoq; infernalis omni igne apud nos exiſtente ineffabiliter calidior, pœnaliórque conſiſtit. Et ſicut ignis ille eſt calidiſſimus; ſic frigus infernale eſt vehementiſſimum. Et idem dicēdum eſt de cæteris inferni tormentis.

Et diuerſitas. Tertiò conſideranda eſt infernalium tormentorū diuerſitas, de qua tactum eſt modò, quoniam iuxta multitudinē, magnitudinémque culparū, vnuſquiſque reprobus variis pœnis torquebitur, de quibus infrà in ſpeciali tractabitur.

Vniuerſalitas pœnarū inferni. Quartò circa pœnas inferni penſanda eſt earum vniuerſalitas, quia in toto corpore, & in ſingulis membris corporis affligentur iniqui, ſimiliter in tota anima, atque in ſingulis viribus eius.

Societas infernalium. *Locus inferni.* Quintò, attēdenda eſt circa pœnas inferni deſolata ac pœnoſa ſocietas. Sextò penſanda eſt diſpoſitio loci. Septimò, irrecuperabilitas negligētiæ & amiſſionis

tempo

temporis huius vitæ,ac damni inde ſecuti. Octauò, puritas mala pœnarum illarũ, quibus nulla conſolatio eſt admixta. Nonò, conſideranda eſt pœna damni damnatorum. Decimò, conſideranda eſt grauitas infernalium tormentorum ex parte patientium ea. De his per ordinem diſſeretur.

Deſolatio in inferno.

Grauitas pœnarũ.

De æternitate infernalium tormentorum.

ARTICVLVS III.

D*Ominus omnipotens iudicabit iniquos, in die iudicij viſitabit eos: dabit ignem & vermes in carnem ipſorum, vt vrantur & ſentiant vſque in ſempiternum.* Quia peccator in omni peccato mortali præponit bonũ creatum, caducum, & vanum Deo bonitatis perfectæ, incomparabilis & immẽſæ, meritò perpetuam recipit pœnã pro tanta creatoris irreuerentia, iniuria, & contemptu. Et quia iniquus decedit à corpore in affectu peccati mortalis, atq; in auerſione mentis à Deo, nec vnquam veraciter pœnitet, imò inconuertibiliter manet in ea affectione diſpoſitioneque mentis, in qua finit hanc vitam, poſtquã non eſt ei tempus, locus aut ſtatus merẽdi, aut demerẽdi, iuſtè infligitur ei à Deo æterno æterna damnatio. De hac autem

Iudit. 16.

Quàm iuſte dãnatur iniquus.

materia, cur ſcil cet pro tēporali peccato infligatur pœna ęterna, plenè ſcribũt doctores ſuper quartum Sententiarum, & ſpecialiter Gulielmus Pariſienſis in libro de fide & legibus. Denique, his qui conſtituti ſunt in aduerſis & in magnis miſeriis ac tormentis, hoc vnica cōſolatio eſt & releuamen præcipuum, ſi conſiderent, aut ſciant ſe tandem aliquando à ſuis afflictionibus liberandos: imò & his qui incurabiles habent infirmitates, aut vſque ad mortem adiudicati ſunt certis ſuppliciis, hoc ipſum eſt cōſolatio aliqua, quòd ſciunt hanc vitam terminandam, atque in fine vitæ ſuæ præſentis finiendas eſſe ſuas quas hìc ſuſtinent afflictiones. Hoc itaque in dānatis inæſtimabiliter auget eorum calamitatē, deſolationē, ac pœnā, quòd ſciunt intolerabiles ſuas ærũnas nũquam penitus terminādas, nec breuiandas, nec imminuendas. Sed poſtquam arſerint in inferno per innumerabilia millia annorum, ſic erit acſi tunc primò inciperet ipſorum punitio. Inſuper, cùm nulla ſit comparatio infiniti ad infinitum, cōſtat, quòd pœna infernalis ſit incomparabiliter abhorrenda, metuenda ac fugienda, præ omnibus aliis pœnis, quantumlibet diuturnis. Si ergo

Pœnarum augmentũ æternitas miſeriæ.

nemo

nemo vellet in ſeculo ſto per vnum annum, imo nec per vnum diem, & forſan nec per vnam horam iacere & ardere in ardente fornace pro omnibus mũdi deliciis atque diuitiis: qualiter audet quis peccare mortaliter, ac per hoc ſeipſum exponere æternæ damnationis periculo, obligationi, iuri, ac debito ſuſtinendi tãtam calamitatem? O quanta inſipientia, imo quanta amentia, quanta obtenebratio ac ſubuerſio miſericordis. Præterea quia æternitatem comprehendere non valemus, niſi per quaſdam circumlocutiones & exemplares declarationes, ad incutiendum cordi ſalubrem timorem infernalis ſupplicij, retrahentem à vitiis, imaginemur ante oculos noſtros ſtare ardentiſſimum calidiſſimúmque fornacem, atque iacere in eo hominem nudum, à tali ſupplicio numquam eripiendum: nónne intollerabile nobis videbitur hoc tormẽtum, imo & inſpicere ipsũ? quàm miſerrimum iudicaremus hominẽ illum: penſemus qualiter homo ille ſeipſum hinc inde iactaret in clibano illo, qualiter clamitaret, vlularet, dum videret quanta anguſtia premeret eum, quãtum ipſum afflictio penetraret, præſertim quando aduerteret tam intolerabi-

Durities cordis humani.

Ab exẽplo.

rabi

rabilem pœnam ſuam nunquam terminandam. Cõſideremus quid cordis,quid animi eſſet nobis, ſi in tali incendio iaceremus, aut ſi nos in illud proiiciendos ſciremus.Et certè dubitare nõ poſſumus, quin infernale incendiũ valde excedat omnem ignem ſæculi huius.Cur ergo nõ vehementiſſimè formidamus æternum illud tormẽtum, præſertim cùm ſciamus quòd tam pauci illud euadant, & quòd frequenter meruimus illud, nec certi ſimus, quòd veram contritionem habuimus? Cur vnquam audemus per vnum momentum ſcienter manere in mortali peccato, cùm ignoremus diem & horã, & multi tam ſubitaneè moriantur, quòd item innumerabiles paſſim decipiantur, ac pereant in æternum, per hoc quòd ad tẽpus permanent in peccatis,cogitãtes ꝙ poſteà pœnitentiam ſint acturi?Amplius, cùm ſimus ad vitia tam procliues, atque in fine vitæ noſtræ acerrimè multipliciterque tentandi, cur non indeſinẽter veremur,ne tandem in tantam pœnam, & deſperationem æternam labamur? Prætereà ad augendum hunc ſalubrem timorem, expedit imaginari mõtem arenoſum tam grandem, ſicut eſt totũ vniuerſum, atque poſt decem aut centum millia

Matt.25.

Comparatio.

millia annorum, vnam minutiſſimã arenam de monte illo auferri; certè mõs ille tandem quamuis poſt inexcogitabilẽ diuturnitatem conſumeretur, quoniam omne finitum per ablationem finiti tandem conſumetur:ſed poſt tam inæſtimabilem durationẽ & protractionem pœna inferni non eſſet minuta, nec fini propinquior, quàm dum prima arenula à monte illo auferebatur: & vtique ſi ſcirent damnati ſe liberandos poſt cõſumptionem huiuſmodi montis, conſolationem grandem conciperent. Ex his ergo ſalubribus conſiderationibus diſcamus infernales pœnas metuere, vitia fugere, atque in Dei timore, ac ſtabili cordis cuſtodia permanere.

De acerbitate pœnarum inferni.

ARTICVLVS V.

Quodcunque poteſt facere manus tua, inſtanter operare: quia nec opes, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos. *Eccleſ. 9.* Sicut in hac vita incomprehenſibilem pietatẽ peccatoribus exhibet Deus, diſſimulãs de die in diẽ, de mẽſe in mẽſẽ de anno in annum, peccata eorum ac ſcelera, quatenus pœnitentiam agant, atque ad pœnitendum eos exhortans, & per ſuos miniſtros tam inuiſibiles (puta per An- *Longanimitas Dei in peccatores.*

gelos

gelos ſanctos) quàm viſibiles (ſcilicet homines bonos) inuitans & rogans eos, vt conuertantur: ad quod item admonet eos occulto inſtinctu diuino: multa quoque beneficia ipſis impendens. Ita poſt vitam præſentem inenarrabilem exercet rigorem iuſtitiæ in ingratos ac impios, tantis Dei miſericordiis abutentes, qui (ſicut ad Hebræos ſcribit Apoſtolus) *filium Dei conculcant, & ſanguinem teſtamenti pollutum ducunt, atque ſpiritui gratiæ contumeliam faciunt, rurſus crucifigentes ſibi filium Dei, oſtentuique habentes.* Hi quippe (vt Climachus ait) plus timent canem quam creatorem: quoniam ne canis latratu pandantur, crimina quædam omittunt, quæ ex diuini timore iudicij, & infernalis pœnæ formidine non vitarent.

Hebr. 10.

Animaduerſio Dei iuſta in peccatores.

Iuſtiſſimè ergo debacchatur in eos omnipotens, & ſuæ immẽſitatem iuſtitiæ manifeſtat in ipſis, acerbiſſimis pœnis ipſos affligens. Ipſe etenim ignis infernalis miro, & ineffabili modo eſt æſtuans, penetratiuus, & afflictiuus, qui & ſolo aſpectu vltrà quàm dici queat terribilis eſt, & deformis, fæculentus, immundus, ac fœtidus tanquam ſulphureus: imò inſtar ſulphurei feruentiſſimi ignis, intẽſiſſimum ac fortiſſimum habet calorem

Qualis ignis in inferno.

gra

grauiſſimum intolerabilemque odorem: atque (vt fertur) ſicut ignis iſte terrenus excedit in calore ignem depictum , ſic ignis tartareus excedit , & vincit in calore ignem apud nos exiſtentem. Ad quod allegant aliqui Auguſtinũ, alii verò ſanctum martyrem Sebaſtianum,qui ex inſtructione Angelica loquebatur. Id quoque per reuelationes fide dignas , & per mirabiles quoſdam effectus interdum oſtẽſum eſt.Nam quidam defuncti viuentibus apparẽtes locuti ſunt hoc , quidam etiam defuncti pœnis purgatorij deputati , ad oſtendendum vehementiſſimum ignis calorem , quo torquebantur , ſcintillulam ſui incendij ſtillare fecerunt ſuper manum , aut ſuper aliud ali uid eorum , quibus apparuerunt , & verbo celerius perforabatur id , ſuper quod incidit ſcintillula ignis illius. Idem teſtati ſunt quidam reſuſcitati à mortuis , qui ipſas inferni,aut purgatorij pœnas viderunt : imò & quidam eorum eas ſenſerunt,prout infra narrabitur.Quibuſdam etiam religioſis & electis perſonis in viſione & raptu , frequenter & euidenter monſtratum eſt iſtud, vt infrà tangetur: ſed & tres viri , qui in obitu ſancti Hieronymi leguntur reſuſcitati , de hac re

recitaue

recitauerunt mira, & quaſi incredibilia quædam, qui cùm poſt ſuam reſuſcitationem indeſinenter, & amariſſimè atque inconſolabiliter flerent, beatus Cyrillus epiſcopus acceſſit vnum ex ipſis, qui inter cætera dixit epiſcopo, tantam eſſe vim infernalis incendij, quòd homo eam expertus, mallet vſque ad finem mundi iacere in igne ex omnibus mundi huius ignibus congregato, quàm vno die iacere in igne illo tartareo. Legitur quoque in libro de Actibus mirabilibus ſancti Franciſci, quòd quidam vir ordinis beati Franciſci, homo magni feruoris, atque arctiſſimæ conuerſationis, quadam nocte poſt matutinas raptus in ſpiritu, vidit & ſenſit purgatorij ignem, qui ante pulſum ad primam rediens ad ſeipſum, putauit ſe annis cẽtum & quinquaginta fuiſſe in illis ſuppliciis: tam acerba fuerunt, quæ ſenſit tormenta. Ecce, ſi vir electus & virtuoſus factus in ecſtaſi mentis, tam grauiter torquebatur in ſpiritu purgatorij igne, ita quòd pœnam quæ vix duabus durauerat horis, putauit centum & quinquaginta annis duraſſe, qualis & quanta eſt damnatorum, imò & exiſtentium in purgatorio pœna, qui igne illo ſæuiſſimo puniuntur realiter,

Vis infernalis incẽdij.

im-

immediatè ac rigoroſiſſimè, non imaginariè tantùm.

Præterea diligẽtius attendamus, quam vehementer calidi ignes poſſint produci in ſæculo iſto. Certè in Daniele legitur, qualiter Nabuchodonoſor Rex Babylonis iratus tribus ſanctis iuuenibus, vt puta Ananiæ, Azariæ ac Miſaëli, fecit fornacem ſepties plus ſuccendi quàm ſolitum fuit, ſuccenderuntque ſerui regis fornacẽ naphtha & ſtupa, & pice, atque malleolis, in tantum quod flamma ex fornace erumpens, diffundebatur ſuper fornacẽ cubitis quadraginta nouẽ. Ecce quàm terribilis & intenſus fuit ardor ignis illius, quàm intolerabile ac horrendum eſſet iacere, & inflammari in clibano tam æſtuantiſſimè calefacto. Quis pro omnibus opibus, gaudiis & honoribus mundi iſtius vellet per vnum diem puniri in ipſo? Quanta ergo inſania eſt, propter fœda & breuia huius incertiſſimæ vitæ oblectamenta, propter perituras diuitias & fallaces tranſitorioſq; honores ſeipſum exponere æternis illis inferorum incendiis? *Daniel. 3* *Inſania impiorũ.*

Inſuper, quantum ignis gehennalis ſuo calore excedit omnem ignium terrenorum calorem, tantum quoque frigus infernale ſua vi & auſteritate excedit, ac *Frigus inferni.*

ſuperat omnia frigora mundi huius. Penſemus ergo, quàm intolerabile nobis eſſet vna nocte frigidiſſimæ hyemis nudo corpore ſtare in aëre, aut congelari in aquis: quàm acerbiſſima igitur pœna eſt infernalibus affligi, penetrari, & congelari frigoribus, nec tantæ punitionis finẽ
Interruptio pœnarum inferni qualis. confidere, aut habere? Nam etſi tormenta illa infernalium calorum, ac frigorum quandoque interrumpuntur, nunquam tamen totaliter auferuntur: nec interruptio illa eſt ad releuamen, aut ſolatium miſerorum, ſed ad acerbiorem & intolerabiliorem afflictionem ipſorum, quia (vt ait ſcriptura) à nimio illo calore trãſeunt ad niuiũ aquas, hoc eſt, ad intenſiſſimum frigus: quæ alteratio tormẽtorum auget miſeriam: præſertim quoniam tranſeunt de vno extremo contrario ad aliud extremum contrarium: hoc eſt, de vehemẽtiſſimo calore, ad maximum frigus, abſque temperamento, & reductione ad medium.

Poſtremò, ſicut iam dictum eſt de extrema & maxima acerbitate infernalium tormentorũ ex parte ignis & frigoris, qui ſunt ibi, ſic quoq; intelligendum eſt de re-
Fœtor infernalis. liquis ſuppliciis Acherõtis. Quantũ enim ardor & frigus gehennæ excedunt omnẽ calorem,

calorem, & cauina vitæ præſentis,tãtum fœtor inferni maior & grauior eſt omni fœtore ſeculi huius. Et idem dicendum eſt de tenebris, de fame ac ſiti,de horrore,timore, clamore, & vlulatu, aliisq́ue miſeriis ac tormentis, quæ ibi exiſtunt, quorum minima omnibus præſentis vitæ tribulationibus, & pœnis ſunt grauiora. Et breuiter,ſicut nec oculus vidit,nec auris audiuit, nec cor humanum concipere poteſt,quæ,quanta,& qualia,quàm ſumma & glorioſa ſint gaudia beatorum in cœlis: ita nec æſtimare valemus, quæ, quanta & qualia, quàm maxima, atque duriſſima ſint ſupplicia reproborum. Veruntamen ab igne,fœtore,& frigore,cæterisq́ue inferni ſuppliciis reprobi puniuntur non vniformiter, neque æqualiter, ſed acerbius & minus acerbe, ſecundum quod magis & minus extant culpabiles, ſicut & ſancti in cœlo eundem ſemper beatiſſimi Dei conſpiciunt vultum, ſed non æqualiter delectantur in illo, verùm magis, aut minus ſecundum ſuorum exigentiam meritorum.

Miſeria inferni.

Iſaiæ 64. 1. Cor. 2.

Pœnæ in inferno pro meritis cuiuſque.

De diuerſitate & varietate tormẽtorũ inferni.

ARTICVLVS VI.

PAnis iniqui in vtero eius vertetur in fel aſpidũ: Diuitias, quas deuorauit, euomet, et *Iob 20.*

caput aſpidum ſuget: lædet eum lingua viperæ, & omnis dolor irruet in eum. Vadent & venient ſuper eum horrores, omnes tenebræ abſconditæ ſunt in occultis eius, deuorabítque eũ ignis, qui non ſuccenditur. Quemadmodum enim in eodem peccato mortali ſunt diuerſæ ac multæ deformitates, atque conditiones culpam grauantes, imò in omni peccato mortali eſt quædam ingratitudo & irreuerentia Dei, negligentia ſui, excœcatio cordis, pigritia, ac acedia mentis, ſtultitia, inobedientia, peruerſitas, improbus amor, & complacentia vana: ſic eidem peccato diuerſæ, ac variæ pœnæ infernales debentur, & infliguntur. Inſuper ſicut idem peccator diuerſa exercet peccata mortalia, ſic & diuerſis, ac variis torquetur infernalibus pœnis, quarum quaſdam ſuſtinet ſucceſſiuè, vt ignem & frigus: aliquas verò ſimul, vt ignis calorem, moleſtiſſimúmque fœtorem, dæmonum quoque aſpectum, famem & ſitim, tenebras & horrores, deſperationem mœſtiſſimam, preſſuram, & anguſtiam mentis doloroſiſſimam: ſed & pœnam damni cunctis ſuppliciis grauiorem, de qua infrà tractabitur.

Deformitates peccati mortis.

Succeſſio pœnarum inferni.

Sunt itaque diuerſa genera tormentorum inferis, quorum primum (vt tactum eſt)

eſt) ignis eſt, qui vnumquemque iuxta ſua torquebit demerita:& quò peccatum ex feruentiori procedit affectu inordinato, tantò acerbius punietur, & intenſiore vindicabitur intenſione caloris tartarei:quò etiam quis in peccato vehementius delectatur,eò igne infernali doloroſius & acrius affligetur:quemadmodum in Apocalypſi Dominus loquitur: *Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Et quoniam in vitiis carnis ſunt ardor cõcupiſcentiæ, immunditiæ fœtor, & delectatio maior, ideò vitia illa infernali incendio ſpecialiter æſtuante ac fœtido, vt puta igne ſulphureo, acerrimè puniuntur. Vnde aſſerit Auguſtinus: *Quantum hæſit amor, tantum affliget dolor.* Denique, ſi pro vno peccato mortali infligitur tanta punitio, quàm ineffabiliter puniuntur infernali incendio, ac cæteris pœnis gehennæ qui multis & magnis mortalibus peccatis inquinantur, ac ſordent:præſertim qui vitioſis conſuetudinibus ſunt oppreſſi? Et quamuis dictum ſit ſuprà, quòd omnes damnati vno igne torquentur, videtur tamen rationabiliter dici poſſe, quòd in diuerſis locis inferni ſint ignes particulares impares in calore, & quòd grauiora peccata in

Diuerſa generatorũ motorum infernaliũt & ignis.

Apoc. 18

Vitia carnis.

Diuerſitas ignis infernalis.

in calidioribus ignibus puniantur.

II. *frig⁹.* Secũdum genus infernalium tormentorum, eſt acutiſſimum & vehementiſſimum frigus: quod etiã reprobos magis, aut minus punit, penetrat, & conſtringit, ſecundum quod magis, aut minus vitioſi exiſtunt. Specialiter quoque hoc frigore cruciantur acedioſi, ac pigri, qui tarditatis ſuæ torpore à diuino retrahuntur obſequio, ideò conſtringuntur gehennali algore, indicibiliter cremunt, & dentibus grauiſsimè ſtrident.

Puniendi frigore qui.

III. *vermes.* Tertia pœna inferni, eſt morſus, turpitudo, & horror vermium edaciſsimorum, iuxta illud Iſaiæ: *Vermis eorum non morietur.* Et in Eccleſiaſt. *Vindicta carnis impij, ignis & vermis.* Iudith quoque ait: *Dominus omnipotens dabit vermes in carnes eorum.* Et quantò quis in vita præſenti turpioribus, & innaturalioribus, aut enormioribus inquinatur ſceleribus, tantò illic à monſtruoſioribus, turpioribus, crudelioribus, ac horribilioribus vermibus affligetur, mordebitur & operietur. Et quæ hic de vermibus allegantur, Haymo, & alij quidam de corporalibus intelligunt vermibus, alij verò dicunt eſſe ea ſpiritaliter intelligenda.

Iſaie 66. *Eccle. 7.* *Iudith 16.*

IIII. *Fœtor.* Quarta pœna inferni, eſt pœnaliſſimus fœtor

fœtor, quo odoratus damnatorum amariſſimè affligetur, & ſpecialiter nominatur fœtor ſulphureus, qui lamentabiliter cruciat. Vnde in Apocal. aſſeritur: *Pars iniquorum erit in ſtagno ardenti, igne & ſulphure.* Vna autem cauſa quòd ignis & frigus, ac fœtor inferni ſunt tanti vigoris, & tantæ pœnalitatis eſt, quoniam non exhalant, ſed iugiter manēt clauſi in ſuis locis anguſtis, quemadmodum ardor clibani igniti, & clauſi eſt fortior. Aduertamus igitur quam grauiter affligeremur fœtore cloacæ, & ignis ſulphurei atque cadauerum, ſi talibus rebus alligaremur: atque ex hoc perpēdere poſſumus, quàm ineffabiliter crucientur damnati fœtoribus tartari. Nam & corpora damnatorum fœtidiſſima erunt, quemadmodum corpora electorum ſuauiſſimè redolebūt. Idcirco ex tam innumerabilibus corporibus miſerorum, intolerabiliſsimus fœtor conſurget.

Apoc. 21

Ratio vigoris infernaliũ pœnarum.

Fœtor infernalis vnde.

Quinta pœna inferni, eſt horrendus aſpectus dæmoniorum, & omnium damnatorum, quorum animæ dæmonibus in turpitudine, & deformitate aſſimilantur, & quorum corpora poſt diem iudicij erunt deformiora, & ad intuendum horribilio- v.

Dãnatorũ corpora quomodo dæmonum ſimilia.

ribiliora, quàm quando erant in monumentis à vermibus pro media parte corroſa, & ſerpentibus bufonibúſque operta.

Aſpectus dæmonũ horribilis. Denique, ſi tam ineffabiliter horribile & pœnale eſt, dæmonem vnum in ſua deformitate conſpicere, ita vt aliqui hoc experti, teſtati ſint ſe malle ardẽtem fornacem intrare, quam diabolum ſic videre: quàm inopinabiliter erit pœnoſum, tot maligniſſimos, turpiſſimos, ac furioſiſſimos ſpiritus perpetuè intueri? Nam (vt diuinus Dionyſius conteſtatur) ſunt in dæmonibus proteruiſſima phantaſia, améńſque furor.

VI. *Delicatorũ fames in inferno.* Sexta inferni pœna, eſt feruentiſſima fames, & quantò quis in vita hac guloſior eſt, & delicatius, atque intemperantius viuit, ieiunia quoque Eccleſiæ frangit, & aliorum bona conſumit, aut eccleſiaſticos reditus indignè deuorat, & expendit, tantò intolerabiliori fame cruciabitur in inferno. Propter quod in Euangelio loquitur filius Dei: *Væ vobis qui ſaturati eſtis,* *Luc. 6.* *quia eſurietis.* In Iſaia quoq; loquitur Deus *Iſaiæ. 65.* iniquis & condemnatis: *Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis: Ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis: Ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini: Ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore*

lore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis. Hinc in Eccleſiaſtico ſapienter conſulitur: *Ante obitum tuum operare iuſtitiam, quoniam non eſt apud inferos inuenire cibos.* Eccle. 14.

Veruntamẽ eſt in inferno quædam damnatorum refectio, quæ potius dici poteſt infectio, atque afflictio quam refectio: quoniam nullum præbet ſolatium, nec minuit famem, ſed moleſtiſſimum inducit ſupplicium. Scriptum eſt enim in Pſalmo: *Sicut oues in inferno poſiti ſunt: mors depaſcet eos.* Et per Ieremiam prophetam, Dominus loquitur: *Ecce ego cibabo eos abſinthio, & potabo eos felle.*

Damnatorum refectio qualis.

Pſal. 48.

Iere. 23.

Septima pœna inferni, eſt ardentiſſima ſitis, ſicut iam tactum eſt, qua cruciabatur diues epulo, qui petiuit ſibi guttam aquæ pro refrigerio ſuæ ſitis præſtari. Hac ſiti præcipuè torquebuntur potatores, & ebrioſi, ac vinolenti, quibus dicitur per Iſaiam: *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam, & ad potandum vſque ad veſperam.* Vnde in Prouerbiis Salomon dixit: *Noli eſſe in conuiuiis potatorum, nec in comeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcẽdum conferunt: quia vacantes potibus, & dantes ſymbola conſumentur.* Denique, præfata fame & ſiti potiſſimè affligentur immiſericordes, qui eſurientes non paſcunt pro poſſe,

VII. *Fames.*

Luca 16.

Fame & ſiti qui cruciãdi.

Iſaiæ 5.

Prou. 23.

nec ſitientibus poculum præbent. Hinc diuiti qui non contulit inopi Lazaro micam, denegauit Dominus aquæ guttam.

Indeuoratores eccleſiaſticorũ beneficiorum. O quã inæſtimabiliter torquebuntur hac fame & ſiti, qui variis generibus pretioſorum ciborum ac potuum replent corpora ſua: quod aliqui faciũt etiam ex eccleſiaſticis bonis, nec compatiuntur pauperibus, & vix ſiccum panẽ aut hauſtum ceruiſiæ tribuunt eis. Porrò quam pœnale ſit magna ſiti affligi, cõſtat ex eo quòd filij Iſraël circumuallati leguntur dixiſſe:

Iudith 7. *Sit finis noſter breuis in ore gladij, qui longior ſit ariditate ſitis.* De afflictione quoque famis ait Ieremias in Threnis: *Melius fuit occiſis gladio, quam attenuatis fame.* *Thren. 4.* Cumque ſitis oriatur ex calore atq; labore, maxima & pœnaliſſima eſt ſitis damnatorũ, cũ æſtuantiſsimo torqueantur calore, inceſſabiliq; labore: quemadmodũ in Apocalypſi legitur: *Fumus tormentorũ eorum aſcendet in ſecula ſeculorũ, & requiem non habebunt die ac nocte.* *Sitis dãnatorum ineffabilis.* *Apoc. 14.* In Pſalmo quoq; ſcriptũ eſt de

Pſal. 48. iniquo. *Laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.* Octaua pœna inferni eſt ligatio & vinculatio dãnatorũ, prout in Euãgelio

VIII. ligatio. *Mat. 22.* Dominus loquitur de damnando: *Ligatis manibus & pedibus, proijcite eũ in tenebras exteriores.* In inferno nãq; potiſsimè adimplebitur

bitur quod Salomõ dixit: *Iniquitates ſuæ ca piẽt impium, & funibus peccatorũ ſuorũ cõſtrin getur.* Hinc Iſaias propheta aſſeruit de ini quis: *Congregabũtur cõgregatione vnius faſcis, & claudẽtur in carcere.* De quib⁹ apud Mat. Chriſtus perhibet ſe dicturum: *Alligate ea* (puta zizania, per quæ reprobi deſignantur) *in faſciculos ad comburendum.*

Prou.5. *Iſaie. 24.* *Matt. 13.*

Nona eſt horrenda caligo, cuius figura in Ægyptiis præceſſit, apud quos fuerunt tribus diebus tenebræ tam denſæ, quòd palpari valebant: quibus tenebris infernalis caligo mirabiliter horribilior eſt: propter quod à Iob infernus vocatur *terra operta mortis caligine, terra miſeriæ & tenebrarum.* Verumtamen quia dãnati iuxta præhabita ſe inuicem ad miſeriarum & pœnarum ſuarum argumentũ conſpicient ignis infernalis tantum de luce triſti habebit, vt ſe mutuo poſſint inſpicere. Nec obſtat quod ſuper prædicta verba beati Iob ſanctus Gregorius ſcribit: Ignis infernalis concremationem habet, ſed lumen non habet: flãma illa comburit, ſed tenebras non expellit. Nam ſubdit ibidem: Quãuis ignis illic ad conſolationem non lucet, tamẽ vt magis torqueat, ad aliquid lucet, quia ſequaces ſuos ſecũ in tormentis flamma illuſtrante reprobi

IX. Tenebræ. *Exod. 10.* *Iob 10.* *Lux qualis in inferno.* *Greg. lib. 9. moral. cap. 46.*

ſunt

ſunt viſuri. Ignis itaque qui in obſcuritate cruciat, lumen ad tormētum ſeruat.

x. *Locus.* Decima pœna inferni, eſt turpiſſima, horribiliſſima, ac fœdiſſima diſpoſitio loci, cuius turpitudini & fœtori, immunditiæ & horrori nulla cloaca, nulla putredo, nullum deſertum, nullum cadauer poterit comparari, prout de hoc infrà plenius diſſeretur.

x. *Damnum.* Vndecima pœna inferni, eſt pœna damni, videlicet carentia beatificæ viſionis, & priuatio omnis ſalutis, inopia maxima deſperatióque extrema, de quibus infrà dicetur. Aliæ quoque plurimæ pœnę ſunt in damnatis, videlicet mœror, dolor, & pauor: mœror de bonis omiſſis, dolor de tormentis ſemper præſentibus, pauor de malis futuris, & numquam terminum habituris. Inſuper, ineffabiliter odiunt Deum, & inuident beatitudini eius, ac omnium electorum.

Octa genera pœnarum. Amplius, ſicut Tullius ſcribit, octo genera pœnarum erant in legibus humanis, & in iure ciuili: Damnum, vincula, verbera, talio, ignominia, exilium, mors, & ſeruitus: quæ omnia in damnatis exiſtunt.

1. Eſt namque in eis damnum, quoniam perdiderunt ſummum, infinitum & incommutabile bonum, videlicet Deum,

& vni

& vniuerſa ſpiritalia dona eius, gratiam & virtutes, gloriam & ſalutem. De pœna II. verborum dictum eſt, de quibus & Salomon in Prouerbiis ait: *Mallei percutientes* *Prou. 19.* *parati ſunt ſtultorum corporibus*. De pœna talionis in Apoc. habetur: III.
Quantum glorifi- *Apoc. 18.* *cauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Quod non eſt intelligendum, quaſi in inferno aut etiam in purgatorio non ſit maior afflictio pro peccato, quam in vita hac fuit delectatio in peccando, ſed comparatio illa intelligenda eſt in genere: quia quò maior eſt in peccando voluptas, eò pœnalior infligitur pro peccato calamitas. De pœna IIII. verò ignominiæ ſcriptum eſt in Prouer- *Prou. 16.* biis: *Turpitudinem & ignominiam congregat ſibi iniquus, & opprobrium illius non delebitur.* Vnde per Ieremiam dominus pro- *Ierem. 23.* teſtatur: *Dabo eos in opprobriũ ſempiternum, & in ignominiam æternam, quæ numquam obliuione delebitur.* De pœna exilij exponi- V. tur illud: *Et clauſa eſt ianua.* Et quod iudex *Matt. 25.* dicturus eſt: *Proijcite eum in tenebras exte-* *Mat. 22.* *riores.* Atque quod loquitur Iſaias, *Tolla-* *Iſaiæ. 26.* *tur impius ne videat gloriam Dei.* De pœna VI. mortis infernalis fertur in Apocalypſi: *Pars eorum* (id eſt, retributio & merces *Apoc. 21.* omnium iniquorum) *erit in ſtagno ardenti*

VII. *igne & ſulphure, quod eſt mors, ſecunda.* De
pœna ſeruitutis ait beatiſſimus princeps
2. Pet. 2. Apoſtolorum: *Iniqui ſunt ſerui corruptionis.*
Ioan. 8. Chriſtus quoque apud Ioannē: *Omnis qui
facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Poſtremò,
prædictis cōſonat quod in Legenda ſancti Ioannis apoſtoli recitatur, quemadmodum iuuenis quidam à ſancto Ioanne Apoſtolo reſuſcitatus à morte: multa narrauit de gloria paradiſi,& de tormētis inferni. De quibus ſpecialiter octo narrauit, quæ continentur his metris:

Vermes & tenebræ, flagellum, frigus, & ignis,
Dæmonum aſpectus, ſcelerum confuſio, luctus.

Ecce quæ & quanta, quàm incomparabilis & immēſa atque perpetua eſt miſeria, pœna, infœlicitas damnatorum. Et certè qui ex prædictis deſcriptionibus earum non perterretur, obtenebratus & obſtinatus eſt corde: nec ſpiritaliter ſentit,ſed mortuus eſt. Verumtamen reſipiſcat & de vitiorum profundo emergat, atque ad iſta conſideranda erigat oculos cordis. Et omnis, quem adhuc peccatum delectat, horum conſiderationem & timorem imprimat ſuæ menti, vt ſaltem tantorum horrore ſuppliciorum retrahatur à vitiis, & ad ſalutaria dirigatur. Qui autem iam cœpit introire viam virtutū,

ex ho

ex horum conſideratione omnem inſtabilitatem & torporem abiiciat: imò cunctis credentibus vertantur in nauſeam & horrorem cuncta oblectamenta carnalia, vanitatéſque ſæculi, per quæ ad tantas peruenitur calamitates inferni.

De vniuerſitate infernalium tormentorum.

ARTICVLVS VII.

DAbo eos in vexationem, & maledictionem & in ſtuporem, & ſibilum, & in opprobrium ſempiternum, eò quòd non audierunt verba mea (id eſt præcepta mea non impleuerunt) *dicit Dominus.* Ier. 29. Hoc requirit diuina iuſtitia, quòd ſicut peccator toto corpore & anima, & omnibus mēbris corporis ac viribus animę Deum offendit, ſic in inferno puniatur in omnibus iſtis. Illáque membra ac vires, in quibus plus viguit impia delectatio, & quæ magis ſeruierūt peccatis, horribilius atque acerbius punientur: vt luxurioſi in pudendis, guloſi & garruli in lingua & ventre. Tunc ergo ſinguli ſenſus exteriores, ac interiores, & aliæ vires ſingulis ac propriis affligentur ſuppliciis. Erit in appetitu ſenſitiuo inſenſatiſſimus furor, phantaſia proterua, inuidia mordax, rancor amarus, triſtitia opprimens, timor penetrans, dolor abſorbens. Peccator *Appetitiuus ſenſus damnatorum qualis.*
enim

enim videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet. Erit quoque in eis irrationibilis concupiſcentia: quia ad carnalia terrena, & vana, in quorum vitioſis affectibus obierũt, actu vel habitu afficiẽtur. Erit itẽ in eis pœnitentia de peccatis, non inquantum peccata ſunt inhonoratiua, offenſiuáque Dei, & vilia ac turpia in ſeipſis, ſed inquãtum per peccata meruerunt, ac inciderunt tot & tantas miſerias. Tunc penetrabant eos torſiones & dolores incomparabiliter pœnali⁹ quàm parturiẽtes. Denigrata erit facies eorum ſuper carbones, & vultus cõbuſti vultus eorum. *Tunc leuabuntur in cõtis, & recludentur in ollis feruentibus.* Habebunt miſerrimi conturbationem & cõpreſſionem in cerebro, planctum in oculis, ſtridorem in dẽtibus, fœtorem in naribus, clamorum & vlulatuum reſultationes in auribus, ſitim in lingua, famẽ in ſtomacho, vincula in manibus ac pedibus: & nunc infernalis incendij ardorem, nunc intolerabilia frigora in omnibus membris. Intellectus erit plenus errore & falſitate, excæcatione erroneiſque iudiciis, (vt S. ait Hiero.) nihil poterit cogitare, niſi ad quod eum impulerit vis doloris, ita quòd nihil poterit conſiderare, ex cuius cõſideratione

Concupiſcentia dãnatorum.

Damnatorum pœnitentia qualis.

Iſaiæ. 13.

Amos 4.

Damnatorum miſeriæ.

Intellectus damnatorum.

poſſet

poſſet aliquo modo mitigari acerbitas afflictionis. Ea verò quæ augent miſeriam bene attendet: vt quòd damnatio erit æterna, quòd omnipotenti reſiſtere nequit, quòd electi ſunt pleni omni fœlicitate & gloria: ex quibus conſiderationibus concipient damnati grauiſſimam deſperationem & odium Dei, atque inuidiam beatorum: ſicque voluntas damnatorum erit odio Dei plena de beatitudine electorum inuida, & obſtinata in omni malitia. Memores quoque erunt præteritarum deliciarum & vanitatum, quas amauerunt & habuerunt, & triſtabūtur quòd eis amplius frui non poterunt. Hinc ait Gregorius: Miro & horrendo modo erunt in miſeris dolor cum timore, ardor cum obſcuritate, & in eorum afflictione ipſa tormēta à ſuis qualitatibus diſcordabunt, eò quòd à creatoris voluntate miſeri diſcordes fuerunt. Et in eis mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu: quia eorum mors perpetuè viuit, finis eorum inceſſabiliter incipit, & defectus deficere neſcit. Mors perimit, nec extinguit: dolor cruciat, & pauorem non fugat. Denique qui nunc ad libitum ſuum liberius euagantur, diſcurrunt, ſaltant, *Mors infernalis.* *In homines mundanos.*

chorizant plaudunt, equitant,& ad vitia properant, tunc arctius & violentius æternis vinculis conſtringentur, & in anguſtiſſimis foueis,ac caminis tenebuntur concluſi Et quantò quis nunc in ſenſibus ac ſenſibilibus abundantius ac vitioſius delectatur, tantò tunc in ſenſibus ſuis acerbius æternaliter affligetur. O qualiter tunc affligentur in viſu, qui modò in aſpectu mulierum, ſpectaculorum, chorearum, & conſimilium vanitatum impiè gloriantur. Qualiter tunc affligetur auditus eorum, qui in cantilenis & muſicis,in verbis vitioſis & vanis, in fabulis & ſcurrilitatibus modo lætantur? Qualiter tunc in tactu & guſtu affligentur lubrici & guloſi? Qualiter ab infernalibus, monſtroſiſſimis ac turpiſſimis ſerpentibus, bufonibus & draconibus amplexabuntur,transfodientur, & torquebuntur, & maximè hi qui vitiis contra naturam ſceleratiſſimè inquinantur? Penſemus quàm ineffabilis pœna eſſet in magno dracone capi,conſtringi pedibus eius,inuolui ſpiris, & venenis eius trāsfigi,& in tali ſupplicio permanere. Quale ergo erit tormentum ab infernalibus feris ac belluis,ſerpentibus, baſiliſcis, bufonibus & draconibus in ſempiternũ excruciari?

Pœna à viſu.

Pœna ab auditu.

Pœna à tactu & guſtu.

Erunt

Erunt enim hæc omnia in inferno, ſiue per veritatẽ naturæ, ſiue per æquiualentiam pœnæ. Aduertãt hæc homines molles & delicati, deliciis aſſueti ac teneri, qui nunc morsũ pulicis ferre non queũt, qui flãmam candelæ in digito quaſi gladium horrẽt ac fugiunt, qualiter ſuſtinebunt pœnas præfatas: imò cum reuera vnicuique noſtrum moleſtiſſimũ eſſet, per vnum annũ indeſinenter & ſine corporis reuolutiõe iacere in lecto molli, qualiter præfata poterimus ſuſtinere tormenta? Deſpiciamus ergo viriliter & conſtanter *Matth.7.* mundana ſolatia, carnalia oblectamenta, *Lucæ. 3.* vniuerſaque vana ac impia, & arctã viam ſalutis, pœnitẽtiæ opera, exercitia ſancta virtutum feruenter aggrediamur, confidentes in Domino, & eius implorantes auxiliũ, nec denegabit nobis adiutorium ſuum. Sicut enim veraciter dixit: *Arcta* *Matth.7.* *eſt via ſalutis*, & rurſus: *Niſi pœnitentiam e-* *Lucæ.14.* *geritis, omnes ſimul peribitis:* ita verè locutus eſt: *Omnis qui petit, accipit.* Itémque, *Iugum* *Lucæ. 11.* *meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* *Matt. o*

Ex his cõſiderationibus quidam com- *Exempla* puncti ſunt & conuerſi, quemadmodum *religioſo-* nobiles quidam pueri religionem in- *rum nobi-* greſſi, qui cum à deceptoribus amicis *lium &* rogarentur exire, quia delicatè nutriti *piorum.*

non poſſent rigorem clauſtralis vitæ ſufferre, ſagaciter reſponderunt. Nam vnus talium dixit: Si rigorem religionis ac pœnitentię nequeo tolerare, inferni ſupplicia qualiter tolerabo? Alter reſpondit, Quia delicatè nutritus ſum, & grauia ferre nequeo, potius elegi & volo modicum iſtum rigorem perpeti propter Deum, quàm poſt vitam præſentem incomparabiliter grauiora pati tormenta. Tertius dixit, Quod in viribus meis portare non valeo, auxiliante gratia Dei hilariter adimplebo. Sic & Fulco ioculator, perpendens ſibi intolerabile eſſe iugiter iacere in lecto molliſſimo, ex infernalium timore tormentorum, intrauit cœnobium, in quo tam laudabiliter vixit, quod ſublimatus fuit ad Epiſcopale faſtigium. Hinc quidam ſanctorum patrum dixit fratri, cui moleſtum erat ſedere ſolum in cella: Si futura ſupplicia ritè attenderes, libenter in cella ſolus ſederes, quamuis cella tua vermibus eſſet repleta vſque ad collum tuum. His itaque exemplis ac documentis ædificemur.

De grauitate pœnarum inferni ex parte magnæ miſeriæ & deſolatiſſimæ ſocietatis damnatorum.

ARTIC. V.

ARTICVLVS VIII.

V*Lulabit Moab ad Moab vniuerſus vlulabit.* Verbum illud commune, ſolatium eſt miſero habere ſocium in ſua miſeria, in damnatis locum non habet: imò qui in vita præſenti ſunt familiarius ſibi coniuncti in vitiis, magis ſe mutuo odio habebunt in tormentis, eo quod vnus fuerit alteri cauſa, aut occaſio maioris damnationis. Similiter, qui hic carnalius amant ſe inuicem, ibi grauiorem contra ſe inuicem habebunt rancorem, quia ſe inuicem traxerunt ad tantam calamitatem. Inſuper, tanta eſt deformitas damnatorum, quòd mutuus aſpectus auget in eis dolorem magis quàm præſtet ſolatium: ſuis quoque clamoribus, vlulatibus, ac horribilibus apparitionibus augent miſeriam mutuam: quamuis etiã ex inuidia vni complaceat damnatio & ærumna alterius: tamen hoc ipſum cedit eis in maius grauamen, quibus omnibus cooperantur in malum. Veruntamen his obiici poteſt, quod Ezech. ait: *Vidit eos Pharao & conſolatus eſt ſuper vniuerſa multitudine ſua.* Et loquitur ibi propheta ad literam de Pharaone, ac populo ſuo damnati, aliiſque regibus, & eorum exercitibus cõdemnatis: ex quorum damnatione

Dãnatorum pœna in conſpectu mutuo.

Ezec. 32.

dicit Ezechiel Pharaonem eſſe conſolatum de ſua ac plebis ſuæ damnatione. Vnde & Hierony. ait ibidem: *Leuiora ſua æſtimauit tormenta conſortio plurimorum.* Ad hoc reſpondendum, quòd in inferno nulla eſt conſolatio fixa & reputanda, quoniã ex vehemẽtia & acerbitate infernalium tormentorum mox taliter abſorbetur, vt nullius exiſtat momẽti: & quamuis ex vna parte aliquantulum conſolationis proueniret damnatis ex aliorum damnatione, tamen ex alia parte atque ex aliis multis cauſis, multo amplius augetur & aggrauatur eorũ miſeria ex aliorum dãnatione: quemadmodũ etiam pœna dæmonum augmentatur ex dãnatione eorum quos trahunt ad vitia & tormenta, quamuis illorum damnationẽ ex inuidia ac malitia cupiant ac procurent. Hinc legitur de quodam parente, qui vna cũ filio ſuo fuit dãnatus: & oſtenſum erat cuidã fideli in viſione, quòd pater ille & filius ſuus ſe inuicẽ grauiſsimè afflixerunt & maledixerũt. Nam pater dixit ad filiũ: Tu mihi es cauſa tantæ damnationis, quia vt te ditarem & exaltarem, temporalia cõgregaui, & cupidus fui. Filius verò dixit ad patrem. Tu mihi es cauſa huius miſeriæ: quia à Dei ſeruitute me retraxi

Hiero. lib. 7. ſuper. Ezec. cap. 22.

Pater & filius in inferno quid ſibi exprobrent.

traxiſti, & ne te offenderem, manſi in ſæculo. Hoc aduertant parentes ac ſoboles, qui ſe mutuò amant carnaliter, atque in mundo quærunt ſe exaltare.

De diſpoſitione loci infernalis.

ARTICVLVS IX.

Dimitte me Domine vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine? Terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Iuxta ſanctorum patrum doctrinam credendum eſt, infernum eſſe in medio terræ, vbi etiam ex natura loci eſt vehemētiſſimum frigus. Et quoniam infinita atque iuſtiſsima ſapientia Dei collocat vnumquemque in loco ſibi proportionato, tenendum eſt, quòd ſicut peccator in mortalibus vitiis iacens, vilior eſt omni creatura inanimata, & decies millies brutis deterior, ac cōram Deo immundior, turpior, abominabilior, atque fœtidior omni bufone, baſiliſco, ac cadauere quantumlibet putrefacto, & (vt ait Gulielmus Pariſienſis) nō eſt in mundo tam fœda cloaca, ſicut peccator, in quo ſpurcitia vitiorum, fœtor ſcelerum, putredo impiorū affectuū ſunt collecti.

Iob 10.

Locus inferni.

Homo peccator quid

Ita damnatis à ſummo & infinito bonc, à vero Deo, ab omni puritate virtutum, inconuertibiliter & extremè auerſis, in odio Dei, ac omni malitia obſtinatis debetur viliſſimus, ſordidiſſimus, fœtidiſſimus, obſcuriſſimus, infimus, ac ſolo aſpectu horribiliſsimus locus. Et iſte locus rectè vocatur infernus, qui eſt omni luto, & fæce, omni cadauere & cloaca, omni pice, bufone & baſiliſco immundior, intolerabilior, atque fœtentior, qui ab inferendo vocatur infernus, quia inferuntur & præcipitantur in eum reprobi & iniqui, inde numquam aſcenſuri, vt liberentur: iuxta illud Iob, *Sicut conſumitur nubes, & pertranſit, ſic qui deſcendit ad inferos, non aſcendet.* Hic eſt rapaciſsimus & inſatiabilis locus, de quo loquitur Iſaias: *Dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque vllo termino.* Dicitur quoque locus ille auernus, id eſt, abſque vere & temperatura, cum ibi ſit maxima intemperantia tormentorum, ſummúſque gradus miſeriarum, & omnium refrigeriorum defectus. Hinc & Plato in Phædone, infernum vocat auernum. Vocatur etiam tartarus, quod interpretatur turbatus, quoniam eſt inquietiſsimus locus, in quo nulla eſt requies, ſed clamor, vexa

Infernus vnde dictus.

Iſa. 5.

vexatio,fletus & vlulatus, vbi Altiſsimus pluit ſuper peccatores laqueos, vbi ignis, ſulphur,& ſpiritus procellarum ſunt pars calicis(id eſt,afflictionis)prauorum. Denique,ſicut ſanctus ait Bernardus, ibi piloſus clamitat ad piloſum , vnus ad alterum,dæmon ad dæmonem:Percute dilacera, interfice, velociter ſpolia detrahe, citò prædare. De quo loco aſſerit Hugo : Infernus locus eſt ſine menſura, profundus ſine fundo, plenus ardore incomparabili , dolore innumerabili , ac pœna interminabili. Rurſus infernus appellatus eſt Acheron , quia deſolatiſsimus locus eſt,ab a quod eſt ſine, & cheron,quod eſt gaudens. Ad quod quidam deuotus , in ſuo tractatu de quatuor nouiſsimis , allegat Auẽ Rois commentatorem dicentem:In inferno continua eſt triſtitia , & mœror ſine cõſolatione.Veruntamen benè eruditis in Philoſophia conſtat , quòd Auen Rois hoc non dicat. Fuit enim primò de lege Mahumeti, quemadmodum Auicenna , & Algazel: poſtmodum verò legem impiiſsimi Mahumeti reliquit,propter apertiſsimas falſitates , quæ in Alchorano continentur. Spreuit quoque legem CHRISTI, propter multa incomprehenſibilia & ſuper-

Iſaiæ 8.

Sarraceni cæcitas.

Auẽ Rois errores.

naturalia, quæ in Euangelica lege habẽtur. Similiter vituperauit & Moſis legẽ, volens eſſe naturali lege contentus: ſicque iuſto Dei iudicio permiſſus eſt cadere in multos errores grauiſſimos. Nã & prouidentiam omnipotentis negauit, aſſerens Deum inferiora iſta, & actus humanos neſcire. Animam quoque humanam mendoſiſſimè dixit eſſe mortalem, quamuis intellectum dixerit immortalem, quem aſſeruit eſſe ſubſtãtiam ſeparatam, & vnum in cunctis hominibus. Aſſeruit item non eſſe dæmones, quia in intelligentiis, ſeu angelis dixit non poſſe cadere culpam. Hinc negauit eſſe infernũ, negauitque eſſe futurum Dei iudicium: ſicq; dedit hominibus peccãdi audaciam abſque fræno, & errauit grauiſſimè. Si autem alicubi dixit verba prȩallegata, dicit ea non aſſerendo, ſed forſitã recitando. Hæc autem quæ dixi, poſſum ex ſcripturis ſancti Thomæ, Alberti, Ægidij, & aliorum multorum probare: imò & in commentariis Auen Rois legi hos eius errores. Prætereà quàm horrendus

Gehenna. ſit locus infernalis qui & gehenna vocatur, quaſi ſine annis perpetuè durans, perpendere poſſumus ex diſpoſitionibus carcerum aliquorum, & aliorum turpiſ-

ſim e

ſimorum locorum,in quibus diu cõſiſtere eſſet intollerabilius ipſa morte. Imaginemur ergo longiſſimum atque latiſſimum campum prorſus infructuoſum, arefactum, & incẽdiis multis combuſtũ, profundiſſimis foueis, & anguſtiſsimis puteis plenum, qui putei, ac foueæ ſulphureis ignibus ſint repleti. Imaginemur quoque campum illum ignitiſsimis plenũ eſſe caminis, ſpiritibusque malignis, & ferociſsimis, ac venenatiſsimis brutis, bufonibus, draconibus, omniq́ue ſerpentium genere, omni fœtore, caligine, & horrore, atque innumerabilibus peccatoribus deputatis tot & tantis ſuppliciis, in medio igneorum, & ſulphureorum puteorum, fouearum & caminorum iacentibus: ſuper quos ſedeant monſtruoſiſsimi bufones, & venenoſi dracones, ac edaciſsimi vermes, qui miſeros illos trãsfigãt, deoſculẽtur, cõſtringãt, corrodãt, ac lacerẽt. Ecce, ex hac imaginatiõe aliqualiter capere poſſumus, qualiter diſpoſitus ſit infernus, qui indubitãter multò horribilius, pœnaliusq; diſpoſitus eſt, quã excogitare poſſumus. Quẽadmodũ enim patria beatorũ paradiſus cęleſtis inæſtimabilẽ habet decorẽ, amœnitatẽ, dulcedinẽ: ſic infernus inopinabilem & incom

Imaginatio per exemplum.

Decor patria beatorum.

incomprehenſibilem habet turpitudinē, deſolationē, & fœtorem. Aduertant hęc qui ſpecioſa, precioſa, & amœna tabernacula amant, atque inhabitant, qui dormiunt in lectis eburneis, & in ſuis laſciuiunt ſtratis, qualiter erit eis, cùm iniecti fuerint infernalibus ac ſulphureis puteis & caminis, & operti beſtiis illis, vermibúſque tartareis, qui nec fumum pati volunt in domo ſua.

De grauitate pœnarum inferni, propter irrecuperabilitatem temporis hic amiſsi, & damni inde ſecuti, & de mala puritate infernalium tormentorum.

ARTICVLVS X.

Iere.30. *INſanabilis dolor meus, peßima plaga mea.* Hæc verba Ieremiæ Prophetæ dicere poteſt vnuſquiſque damnatus. Quamuis enim damnati veram non habeant contritionem de ſuis peccatis, de hoc tamen vehementiſsimè, & inconſolabiliter dolent, quòd tempus huius vitæ, tam infructuosè, & vitiosè expenderunt, inquantum per hoc tantam promeruerunt, ac receperunt pœnarum acerbitatem, & ꝙ negligentiam hanc recuperare non valent: & quòd in tam breuiſſimo tempore tantam ſibi mercati ſunt calamitatem, in

quo

quo promereri poterant ſummam felicitatem. Hinc etenim (ſicut in libro Sapientiæ legitur) dicunt: *Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ, lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.* *Sap. 5.* Hinc dolent ſe eſſe natos: & eſſe, ac viuere quod omnibus naturaliter appetibile eſt, factum eſt eis odibile. Cupiunt nanque nõ eſſe: & ſi poſſent, ſeipſos occiderent. Atque in Apocalypſi ſcriptum eſt. blaſphemant Deum, qui poteſtatem habet ſuper plagas eorũ, *Apo. 16.* quòd inde non eripit eos, ac præ doloribus ſuis linguas ſuas manducant. Cúmque animus inordinatus etiã in hac vita ſit ſibiipſi pœnalis & grauis, animi dãnatorum ſunt ſibiipſis pœnaliſſimi ad portandum, & ipſi ſibimetipſis grauiores ſunt tenebræ, quia in corde eorum eſt confuſio maxima, ac deordinatio ſumma. Nam odiunt omne bonum ac honeſtum & omni rancore, odio, horrore, triſtitia, deſperatione, maledictione, ac blaſphemia creatoris ſui ſunt pleni. Sicque vitiis ſuis cruciant & fatigant, rodunt ac perſo ant ſemetipſos, & ſibiipſis grauiſſimi facti ſunt. *Malitia damnatorum.*

Inſuper, quoniam purum vno modo

voca

vocatur, quod de ſuo contrario, aut de re alienæ naturæ, nihil habet admixtum, ſicut purum vocatur aurum, cui nihil de alieno metallo eſt mixtum: Hinc pœna damnatorum dicitur pura, eo quòd nulla conſolatio, nulla ſpes, nulla vtilitas pro ipſis damnatis ſit pœnæ eorum adiũcta. Pœnæ autem vitæ præſentis, quantũlibet magnæ, tolerabiles ſunt, quoniam ſunt multipliciter fructuoſæ, ac medicinales patienti, ſi eas patienter ferat. Valent enim ad remiſſionem culparum, ad impetrandum chariſmata gratiarum, ad euadendum futura ſupplicia, atque ad promerendum gaudia ſempiterna. Faciunt quoque hominem cautiorem ne peccet, & per eas aſſimilamur Domino Ieſu Chriſto, propter nos paſſo.

Purum bifariam accipi.

Pœnæ vitæ præſentis quorſum tolerabiles.

De pœna damni damnatorum.

ARTICVLVS XI.

Baruc. 2.

Bonũ hominis quod.

NON *mortui, qui ſunt in inferno, quorum ſpiritus acceptus eſt à viſceribus eorum dabunt honorem Domino: ſed anima quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali, & incedit curua & infirma, dat gloriam tibi Domine.* Quemadmodum ſummum hominis bonum, & vera, ac plena eius fælicitas eſt Deo bonitatis immenſæ frui, & eũ clarè

per ſpeciem intueri:ita priuari hac fruitiua, ac beatifica viſione Dei, eſt maxima miſeria hominis, & ſummum damnum ipſius. Hinc carentia beatificæ, ac beatæ viſionis Dei, vocatur pœna damni in damnatis: cruciatus verò ignis ac frigoris, & aliorum infernalium tormentorum, dicitur pœna ſenſus. Quãuis autem damnati non diligant, ſed odio habeant Deum verùm, ſanctum, & adorandum, atque ob hoc non cupiant ei vniri, nec eo frui ſecundum quod hoc eſſet aliquo modo ad Dei honorem, laudem, & gloriam: cupiunt tamen beatitudinem, & vellent eſſe in regno cœlorum, in quantum hoc eſſet vtile eis & euaſio ſuæ damnationis, à qua maximè eripi cupiunt, aut cuperent, ſi eſſet poſſibile. Hinc Gregorius ait in Homilia 40. Dubium non eſt, quin hi, qui in inferno ſunt, ad ſortem beatorum tranſire deſiderent. Vnde & dictum eſt antè, quòd in die generalis iudicij, primò vocabuntur electi ad regnum cœlorum, & in cõſpectu reproborum aſcẽdent cum gloria ad æternorum plenitudinem gaudiorum, vt videant reprobi, quid neglexerunt, ac perdiderunt, & inde perpetuò contriſtentur. Denique in omni peccato mortali duo conſiderantur.

Malũ hominis q̀? *Quid pœna dãni, quid pœna ſenſus.* *Duo conſideranda in omni peccato mortali.*

rantur. Vnum eſt auerſio mentis à ſum-
11. mo, & incommutabili bono: & huic a-
uerſioni debetur, correſpondet, atque
infligitur pœna damni, videlicet diuinæ
viſionis carentia. Aliud eſt inordinata
cõuerſio mentis ad bonum creatum, ca-
ducum, ac vanum, & huic conuerſioni
iniquæ correſpondet pœna ſenſus. Sed
pœna dãni peior ac fugibilior eſt, quàm
pœna ſenſus. Ideò ait Chryſoſtomus:
Sunt quidam inſipientes, qui ſibi ſuffi-
cere arbitrantur, ſi à ſenſibilibus infer-
ni ſuppliciis eruantur. Ego autem om-
ni pœna grauius reor à vultu Dei repelli,
ac fœlici eius fruitione priuari. Et ite-
rum: Si mille gehennas mihi proponas,
non tantùm has reputo, neque abhor-
reo, ſicut à glorioſæ illius ſocietatis iu-
cũditate repelli, atque exoſum fieri crea-
tori. Terribilis eſt gehenna, ſed terribi-
lior facies iudicis ſummi irata: ſed quod
omnem vincit terrorem, eſt elongatio
ſempiterna à contemplatione ſuperbea-
tiſſimæ Trinitatis. Hinc ait & Proſper:
*Attende quàm malum, quàm miſerum ſit à
facie Dei ſeparari*, à gaudio æternæ con-
tẽplationis excludi, beatiſſima omnium
ſanctorum ſocietate priuari, ſempiter-
neque morti profundè fluctuantis ge-
hennæ.

Pœna dãni pœnalior quam pœna ſenſus.

hennæ immergi,ab edaciſſimis vermibus æternaliter laniari,ęſtuantis incendij flã-mas ferre, atque fumantis barathri obcæcari caligine. De hoc rurſus ſcribit Chryſoſtomus: Excludi à bonis æternis, & alienum effici ab his quæ Deus præparauit diligẽtibus ſe, tam grauem generat cruciatũ,vt quamuis exterius nulla flamma torqueret, hoc ſolũ ſufficeret, & melius eſſet mille flammas tolerare, quàm manſuetiſſimam Chriſti faciem iratam conſpicere,atque ab ea in æternum recedere. Abhorreamus ergo hoc maximum damnum, hoc incomparabile malum, tam immenſum diſpendium: & ne in illud incidamus, ſolliciti ſimus, ne in vita præſenti à diuino ſeparemur amore, per peccatum mortale.

De acerbitate infernalium ſupplicio-rum ex parte patientium.

ARTICVLVS XII.

IN *ignem deijcies eos, in miſeriis non ſubſiſtent.* Pſal. 139. Tam in inferno, quam in purgatorio duplex eſt pœna, videlicet pœna damni,& pœna ſenſus.Et de vtraque aſſerit ſanctus Thomas, & alij multi doctores,ac patres,quòd minima pœna purgatorij,ſeu inferni,maior eſt maxima pœna

 huius

Minima pœna inferni excedit omnes pœnas huius mũdi.

huius mundi. Imprimamus hoc cordi, & formidemus iudicium Dei. Ecce quàm graues ſunt multæ pœnæ mundi iſtius. Et ſi pro vno minimo peccato mortali tam dura infligitur pœna, qualis, & quàm acerbiſſima eſt eorum punitio, qui multis & grauioribus ſunt inquinati peccatis? Prætereà conſideremus paſſibilitatem, teneritudinem, mollitiem carnis humanæ, quã citò lædatur, quàm grauiter ex modica læſione affligatur, & quantò ad maiorem complexionis æqualitatem redacta eſt, tantò grauiorem habet afflictionem in rebus læſiuis, præſertim ex igne.

Pœna vnde cauſetur in corpore.

Cum enim pœna cauſetur in corpore, & in ſenſibus eius, ex excellẽtia qualitatum ſenſibilium rerum, & ex cõtrarietate earum ad ſenſus humanos, conſtat quòd corpus humanum in ſingulis ſenſibus ſuis ineffabiliter torqueatur ex igne ac frigore infernali, & ex cæteris inferni tormẽtis, ſæpe prænominatis, intantum quòd quamuis pro multis, ac magnis peccatis mortalibus non infligeretur poſt vitam hanc pœna inferni niſi per vnũ diem, mirum quòd aliquis auderet peccare. Quanta eſt ergo iniquorum amentia, qui pro breuibus vanitatibus, ac voluptatibus ſeipſos exponunt ſuppliciis ſempiternis? H-

at

aic Chryſoſt. Dic quanta tempora voluptatum vis comparare pœnis perpetuis. Centum (ſi placet) annos demus deliciis, adde & alios centum, adde & decies centum: quæ horum erit comparatio, & cōpenſatio ad æternitatem? Nónne omne tempus vitæ huius, quo quis deliciis fruitur, quaſi vnius noctis ſomnium eſt ad ęternitatis reſpectum? Nónne deliciæ trāſeūnt velut vmbra, & celerrimè fugiunt, tamquam nubecula, ſed pœnę ęternaliter manent? Etiam ſi æquale tempus & ſpacium eſſet repoſitum deliciis, ac tormentis, quis eſſet tam amens & fatuus, qui pro vno die deliciarū vellet ſubire vnum diem pœnarum tantarum, cùm dolor horæ vnius ducat in obliuionē delicias omnium præteritorum dierum? Aduerte ô homo, quantæ anguſtiæ, quantæ calamitates, atque formidines circūdabunt animam tuā mox vt de corpore exierit, quā modò carnalibus deſideriis, & immundis deliciis inſipientiſſimè ſubdis, quam delicate ac molliter tractas. Cur non aduertis quod Dominus loquitur: *Qui amat animam ſuam, perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Qui enim carnaliter amat eam, peribit: qui verò ſalubriter odit ipſam,

Deliciæ non comparandæ ſupplicijs æternis.

Ioan. 12.

refrænando ipſam,& caſtigando, æternã mereatur ſalutem. Conſidera quàm ingens formido vallabit eam,dũ corpore derelicto,dimiſſiſque omnibus earis amicis,ac ſociis,domeſticis,& propinquis,cum quibus iã familiariter,& delectabiliter conuerſaris , regionem intrabis ignotam, & obuiabunt tibi tæterrimi, maligniſſimi, crudeliſſimique tortores , accuſatores. & illuſores,Qualiter accuſabunt te iudici, moxque vt fueris adiudicatus tormentis in momento , in ictu oculi rapient te, ac pœnis immergẽt. Hæc prouide,& cordi tuo inſcribe:& ſicut nutrix volens puerum ablactare, ſuperponit ſinapium , aut ſimile quid amarum vberibus ſuis,quatenus infans guſtata amaritudine diſſueſcat vbera quærere: ſic horũ memoriam & horrorem, conſiderationem diuini iudicij ac æterni ſupplicij imprimamus fortiſſimè mentibus noſtris , quatenus quotieſcunque tentatio voluptatis,concupiſcentia carnis , amor peccandi pulſauerit nos : protinus ex horum memoria,conſideratione & horrore à vitiis reuocemur, & omni tẽtationi efficaciter reluctemur. Itaque non ſit fides noſtra quaſi dormiẽs & obſcura , ſed viuax & clara , ita vt hæc tam fructuosè penſemus , ac ſi ea intuiti

atque

atque experti eſſemus,ſicque,pœnitentiæ opera ſtrenuè impleamus. Verùm vt ita agamus, commemoranda ſunt quædam exempla eorum qui præfata viderunt & experti fuerunt ſupplicia. Recitat autem ſanctus Gregor. in libr. Dialogorum de quibuſdam perſonis huiuſmodi, præſertim de monacho virtuoſo,nomine Petro, qui ex graui infirmitate defunctus, fuit reſuſcitatus,& retulit ſe varia ac horrenda vidiſſe genera tormentorum, & loca incendiorum innumera. Cúmq; quidam vellent eum in tormenta illa præcipitare, apparuit Angelus ſanctus hoc fieri prohibens. Et dixit defuncto:Redi,& quomodo de cætero debeas conuerſari,prudentiſſimè penſa.Qui reductus ad corpus tantis ſe vigiliis, ieiuniis, fletibus, orationibus caſtigauit, vt eũ vidiſſe inferni tormenta conuerſatio teſtaretur, etiam ſi lingua ſileret. Qui & quoſdam potentes ſeculi huius in illis ſuppliciis ſe conſpexiſſe aſſeruit.Refert & Beda de milite quodam defuncto ex diuina pietate reſuſcitato, qui ex tormentis quæ vidit compunctus ac territus, ad deſertum confugit: vbi iuxta flumen quoddam cellam conſtruxit, in quo flumine ſe frequenter veſtitus voluebat,veſtéſque ſuas vſque ad

Greg. lib. 4. dialog. cap. 36.

carnẽ ſuã cõgelari permiſit,ac paulò pòſt calidiſſimum introiit balneũ, quaten⁹ ex contrariarum variatione & ſucceſſione pœnarum diutius pateretur. Qui ab aliquibus reprehenſus,& interrogatus quare hoc faceret, dixit: Maiòra his faceretis,ſi vidiſſetis quæ vidi Sicque vſque ad mortẽ in ſuæ conuerſationis rigore permanſit. Sic & Anſelmus recitat de ſacerdote adultero, qui cum nauem intraſſet tanto cõmiſſo facinore,à dæmonibus eſt eiectus, ſubmerſus, ac variis pœnis dirè vexatus. Tertio autem die à beatiſſima virgine liberatus, eò quòd matutinas eius cœpiſſet legere,quando dæmones eũ demerſerũt, meritis ac precibus ſacratiſſimæ virginis ad corpus reductus eſt, & factus eremita,rigoroſiſſimam duxit vitam. Horum ergo exemplis ad peragendum condignos pœnitentiæ fructus prouocemur.

De acerbitate pœnarum purgatorij & inferni,ex reuelationibus fide dignis fidelium perſonarum.

ARTICVLVS XIII.

Pſal. 92. *TEſtimonia tua domine credibilia facta ſunt nimis.* Quẽadmodũ incõprehẽſibi

ſibilia ſunt ea, quæ fides tenet Catholica, ſic Deus omnipotens per euidentiſsima ſigna veritatem eorum copioſiſsimè demonſtrauit, nec verum eſt quod in libro Sapientiæ impi dicunt: *Non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis.* Multi nāque, & quaſi innumerabiles ſub euangelica lege ſunt reſuſcitati à morte, qui mira diſpenſatione diuina, verbo & opere ſunt teſtati, ſe vidiſſe, ac etiam ſenſiſſe atque ad tempus ſuſtinuiſſe pœnas purgatorii aut inferni. Horum vnus extitit religioſus quidam in Anglia, qui à die cœnæ vſque ad veſperam ſabbati Paſchæ raptus fuit in ſpiritu: & reuerſus ad ſe mirabilia ac terribilia multa narrauit quæ vidit: cuius viſionis hiſtoriam deſcripſit non ſolum quidam notabilis religioſus: ſed etiam reuerendus pater dominus Petrus Abbas Cluniacenſis. Itaque frater ille poſt diuturnam & copioſam viſionem ad ſe reductus, inter cætera ait: Ibamus ductor meus (videlicet ſanctus Nicolaus) & ego per viam planam, quouſque peruenimus in regionem ſpacioſam, viſu valde horrendam, in qua fuit multitudo innumerabilis inenarrabilibus ſuppliciorum immanitatibus expoſita, tamen tandem

Sap. 2.

Multi ab inferis sūt reuerſi cōtra impios.

Exēplum.

Locus purgatorij primus.

ab illis ſuppliciis liberanda, quia non e-rant damnati. Hi omnes gemebant, flebant, & eiulabant. Innumerabiles pœnarum ſpecies vidi ibi. Hi enim torquebantur igne, hi in ſartagine frigebantur, hi vnguibus ſulcabantur vſque ad diſſolutionem compagum. Alij puniebantur in balneis confectis ex pice & ſulphure, aliiſque liquaminibus ex ære, plumbo, aliiſque metallis, cum fœtore horrendo. Quoſdam vermes monſtroſi dētibus venenatis rodebant. Alij aliis tormētorum atrociſsimis generibus cruciabantur. Eos verò, qui præfuerunt, vidi duplici dolore torqueri. Teſtis mihi eſt Deus, quia ſi viderem quempiam hominum, qui me & omnes caros meos omnibus damnis atque iniuriis, quæ homini in vita hac poſſunt irrogari, imò & morte affeciſſet, illis ſuppliciis deputandum, milleſies (ſi fieri poſſet) pro eo tēporalem potius mortem ſubirem, quam tantis ſuppliciis eum tradi permitterent: ita menſuram & modum doloris & anguſtiæ, amaritudinis & miſeriæ excedunt, quæcunque vidi ibidem.

Locus purgatorij ſecundus. Poſt hæc ad ſecundum tormentorum locum deuenimus, & vidimus profundiſſimam vallem, in qua erat flumen altiſsimum,

mum, quod nebulam indicibilis exhalabat fœtoris. Erat quoque in ea ignis, qui videbatur vſque ad cœlũ pertingere. Atque ex alia parte fuit tãta immanitas frigoris, vt nihil pœnalius ea me conſpexiſſe putauerim. Ibi erant innumerabiles animæ, quæ nunc in flumen illud fœtidiſſimum mergebantur: nunc inde erumpentes ignibus inuoluebantur, ac inde exeuntes, aſperrimis frigoribus tradebantur. Et pœnæ loci iſtius grauiores fuerunt tormentis loci prioris, tamen & pœnæ iſtæ purgatorij erant.

Poſt hæc venimus ad tertium purgatorij locum, qui vltrà quàm mente concipi poteſt, horribilis extitit & pœnalis, imò nulla lingua exprimere poſſet minima loci illius ſupplicia. Venimus ergo ad maximum campum, quẽ operiebat chaos horrendum, cui admixtus fuit fluuius ſulphureus immenſi fœtoris. Nebula quoque & flamma inſtar picis nigerrima ſpargebatur confusè per campum. Planicies autem campi ſcatebat multitudine vermiũ, ſicut area domorum ſolet iuncis operiri. Vermes illi ſuper omnem æſtimationem erant horribiles, monſtroſi, deformes, rictu pauendi, & naribus ignem execrabilem ſpirantes, qui turmas miſerorum vo- *Locus purgatorij tertius.*

racitate inſatiabili lacerabãt: & ſuper miſeros illos dæmones curſitabant, ac more inſanientium ſæuiebant in eos, atque per ferramenta ignita eos fruſtatim per ſingula membra truncabant, nunc omnem carnẽ vſque ad oſſa funditus abràdebant, nunc igni iniectos liquefecerũt velut metalla. Parum eſt, teſtor Deũ, imò tanquam nihil, quicquid dicere nitimur de pœnis loci illius. In breuiſſimo enim tẽporis ſpatio intuebar eos cẽtum, vel amplius pœnarum diuerſitatibus, quaſi annihilatos, & mox reſtauratos, & iterum ferè in nihil redactos, ac rurſus reintegratos. Tantus fuit feruor atque edacitas ignis illius, vt tepidum crederes omne incẽdium huius mundi. Vermes quoq; dirupti, ac mortui, & per fruſta comminuti, ſub infœlicibus cumulatim iacebant. Qui fœtore execrandæ putredinis intantum cuncta replebant, vt fæculẽtia illa omnem prædictarum pœnarũ excederet cruciatum.

Sodomitarum pœnæ infernales. In his pœnis præcipuè torquebantur, qui rei erant Sodomitici ſceleris, quos monſtra ingentia & ignita, viſu horribilia, iugiter impetebant, & eos quamuis maximè renitẽtes ſibi miſceri cogebãt abominabili genere abuſionis: inter quorũ nefandos cõplexus miſerrimi illi prę dolore nimio

nimio palpitabant, rugiebant, & vlulabãt tanta vociferatione, vt putares totũ mundum audire. In his tormentis inueni quẽdã mihi in ſeculo olim notũ, decretorũ doctorem famoſum, ab omnibus in mundo hoc honoratum, cui vehemẽter cǫdolens, interrogaui eũdem, an ſperaret ſe aliquãdo miſericordiam conſecuturũ. Qui reſpõdit: Væ, væ, væ, ſcio quòd ante diem iudicij veniam non obtinebo. An autem tunc, incertum habeo. Nã pœna mea quotidie augmẽtatur, & de mille generibus tormẽtorum quæ quotidie ſuſtineo, nihil me ita excruciat, ſicut infœlix repræſentatio Sodomitici criminis mei, quo in præſentia omnium hîc exiſtentium illudi compellor: quoniã vltra indicibilem ſupplicij mei vehementiam premor & ſpernor intolerabili confuſione, dũ in conſpectu omniũ de tali, ac tanto flagitio execrabilis fio. Væ, væ, quis vnquam crederet gloriã, & fauorẽ, quibus in mundo cunctis eram conſpicuus, tanta cõtẽptibilitate ac ignominia permutandos? Quæ cùm diceret, vidi eum pœnis innumerabilibus cruciari, & ipſis cruciatibus velut in nihilum redigi. Inſuper, in primo loco pœnarũm præfato vidi rectorem cuiuſdam religioſæ congre *Pœnæ priorum.*

congregationis, & erat in maximis loci illius tormentis, & nunc in igne, nunc in balneis fœdis ſulphure & pice mixtim feruentibus grauiſſima tolerauit ſupplicia. Qui interrogatus à me, cur talia ſuſtineret, reſpondit: Potius propter peccata ſubditorum meorum, quam propter peccata propria ſuſtineo iſta. Propria enim peccata crebra confeſſione, diſciplinarum perceptione, orationibus aſſiduis & aliis pluribus modis redimere, & caſtigare conſueui: ſubditis verò non adhibui debitā diſciplinam ex quadam vana formidine, ne meo priuarer primatu ex reſiſtentia eorundem. Idcirco pœna mea augetur quotidie, quia illorum peccata, quæ ex mea negligētia adhuc quotidie incidunt, in me redundant, nec aliquem finem pœnarum agnoſco. Minima ſupplicia, & quæ pro leuibus culpis, vt pro riſu immoderato, pro verbo otioſo, pro cogitatione inani, infligebantur, mihi valde grauia videbantur. Vidi ibi quoſdam prunas ardentes indeſinenter in ore reuoluere, & in hoc miſerabiliter cruciari, pro eo quod herbas, aut ſpecies, aut arborum fructus ſumpſerunt voluptatis amore. Vidi ibi militem quemdam, qui diuerſa & magna tolerauit ſupplicia,

Prælatorum ſpeculum.

Amatorum aromatum ac herbarum pœna.

Militis aucupis pœna.

plicia, qui autem quandam niſo ſimilem pugno portabat, & conquerebatur, quòd auis illa roſtro ſuo & vnguibus manum ſuam pœnaliter lacerauit, quia in ludo rapacium auium, per quas cepit alias aues, conſueuit nimium delectari. Inſuper ſacerdotes qui de ſua incontinentia fuerunt confeſſi, ſed ſatisfactionem non impleuerunt, vidi innumeris atque immenſis affligi ardoribus, ac tormentis. Cúmque mirarer, quòd tam pauci ſacerdotes eſſent in purgatorij pœnis, reſpectu eorum, qui vbique terrarum caſtimoniam polluunt, reſponſum eſt mihi, quòd ideo ibi pauciſſimi erant, quia vix aliquis talium veram habet contritionem, idcirco pene omnes huiuſmodi æternaliter condemnantur. Prætereà quid de magnorum vitiorum ſuppliciis dicam, cum & bonos religioſos viderim valde amara pati tormenta, eò quòd conſueuerunt gloriari manuum ſuarum decore, ac productiori digitorum nitore. Vidi etiam ibi quendam potentiſſimum regem ineffabilibus affici pœnis: ſed & Epiſcopum quemdam ibi in tormentis conſpexi, qui in abſcondito interioris hominis fuerat multum religioſus ac pure deuotus, corpus ſuum aſperri

Lubricorum ſacerdotum pœnæ.

Religioſorũ pœnæ.

Regum pœnæ.

aſperrimo domans cilicio, & aliis cruciatibus, ieiuniis, diſciplicis, vigiliis ſe macerauit in ſæculo iſto: cui & copioſa erant in cœlis repoſita præmia, per quem etiam dominus poſt mortem ipſius fecit quædam miracula: & tamen adhuc in pœnis fuit, quia in ſuo officio per negligentias quaſdam Deum offendit. Religioſos autem Abbates & Abbatiſſas, qui circa cognatos & affines ſenſuali erant amore affecti, vidi grauiter cruciari. Hæc pauca ex libello viſionis Anglicanæ ſumpta, euidenter oſtendunt quàm acerba & aſpera purgatorij ſint tormenta, quæ vt effugere valeamus, actibus pœnitentiæ inſudare, & coram Deo ſemper ſolliciti ambulare non negligamus.

Abbatum pœna.

De pœnis purgatorij ſancti Patricij.

Ioan.3. ARTICVLVS XIIII.

QVod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur. Si (vt ait ſcriptura) *in ore* *Deut. 17.* *duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum*, quantò magis in ore plurimorum? Itaque veritatem eorum, quæ credimus de ſuppliciis purgatorij ac inferni, Deus glorioſus & ſanctus non ſolum nobis patefecit in diuinis ſcripturis, & viſionibus

quorun

quorundam fidelium, factis in raptu, & eſtaſi, atque imaginaria apparitione: ſed & per conteſtationem reſuſcitatorum à morte. Neque per hæc tantùm, ſed & per corporalem & exteriorem intuitum aliquorum in carne viuentium: quemadmodum in hiſtoria ac Legenda ſancti continetur Patricij, qui cum prædicaret Hibernis, nec eos per miracula, neque per comminationem futurarum pœnarum, nec per promiſſa cœleſtium gaudiorum poſſet conuertere, dicentibus ipſis Hibernis ſe nunquam credituros, niſi aliquis eorum ipſa tormenta impiorum & gaudia electorum conſpiceret, tunc Dominus monitis & precibus beati Patricij monſtrauit ei locum, foſſam, ſeu puteum, per quem intraretur in purgatorium quoddam, in quod aliqui intrauerunt, nec redierunt: aliqui verò ingreſſi fuerunt regreſſi, qui ſcilicet conſtantes manſerunt in fide, in omni (quæ eis euenit) tentatione ac pœna. Et quia hiſtoria illa de purgatorio ſancti Patricij eſt vulgata & nota, non intendo multa narrare de ea. Conſonat autem his, quæ ex viſione Anglicana præcedenti articulo ſunt relata. Inſuper, quæ in aurea Legenda

Patricij acta.

Purgatorij S. Patricij hiſtoria.

ſancto

ſanctorum de purgatorio recitantur eodem, concordant cum iſtis. Breuiter autem tangendo, prout in tractatu de purgatorio illo deſcribitur, temporibus ſancti Patritij introierunt quàm plures purgatorium illud, qui reuerſi vnanimiter ſunt teſtati ſe grauiſſima ibi vidiſſe, ac ſuſtinuiſſe tormenta, quorum conteſtationes multum roboris ac fidei præbuerunt prædicationibus Patritij ſancti. Poſt modum miles nomine Egneius purgatorium illud ingreſſus, primò à dæmonibus in ignem validiſſimum eſt proiectus: ſed nomine Ieſu Chriſti inuocato, protinus eſt ereptus. Deinde à dæmonibus tractus fuit ad campum latiſſimum, omni dolore atque miſeriis plenum, in quo erant innumerabiles homines vtriuſque ſexus ac diuerſæ ætatis, nudi & in terrã proſtrati, ventre humo adhærẽte, qui omnes clauis ferreis & ignitis in terram transfixi, extendebantur: inter quos & ſuper quos dæmones percurrebãt, & flagris acerrimis miſeros lacerabant. Cúmque ſupplicia illa militi tentarent inferre, ille Chriſto inuocato euaſit, quem conſequenter traxerunt ad aliũ campum maiorem miſeria plenum, in quo ſicut & in præcedenti campo, innumerabi-

merabiles erant reſupini iacentes: ſuper quos ſedebant dracones igniti, qui miſeros comedere videbantur ac lacerare. Aliorum colla vel brachia, totáve corpora ſerpentes circuncingebant: & capita ſua miſerorum pectoribus imprimentes, ignitum oris ſui aculeum ipſorum cordibus infigebāt. Bufones quoque miræ magnitudinis ignei ſuper quorumdam pectora reſidebant, ſuáque roſtra deformia infigentes, corda illorum extrahere nitebantur, quos etiam dæmones flagris duriſſimis affligebant. Inde traxerunt militem ad tertium campum, qui hominibus diuérſæ ætatis & ſexus plenus fuit, qui omnes à ſummo capitis vſque ad infimum pedum ita erant clauis perfoſſi, vt in eorum corporibus nullus locus vacuus appareret: qui nec vocem emittere poterant niſi inſtar laborantium in extremis: vento quoque frigido & vrēte, flagríſque dæmonum torquebantur. Poſt hæc in quartum campum militem protrahebant, qui campis ignibus plenus fuit, & omni genere tormētorum: in quo quidam catenis igneis ſuſpendebantur per pedes, quidam per manus, alij per capillos, nōnulli per brachia, quidam per tibias: quorū omnium

capita erant ad ima verſa, atque ſulphureis flammis immerſa. Alij ſuper ignem pendebant, vncis ferreis fixis in oculis vel auribus, aut naribus, ſeu faucibus, aut mammillis, vel pudendis eorum. Alij in fornacibus ſulphureis cremabantur: alij ſuper ſartagines vrebantur: alij verubus tranſfixi igneis, aſſabantur ad ignem: alij liquefactis potabātur metallis. Omnia genera tormētorum quæ excōgitari queunt, erant ibidem. Eiulatus, & clamores vniuerſorum illorum, quos audiuit, nec lingua exprimere, nec ſenſus poteſt mortalium cogitare. Tandem venerunt in domum magnam, latam, atque longiſſimā, horribiliter fumigātem: cuius pauimentum fuit plenum foſſis rotundis, quæ erāt impletæ metallis diuerſis feruentibus, & ignitis liquoribus, in quibus non modica hominum puniebatur multitudo: & erant immerſi balneis illis alij magis, alij minus: ſícque per diuerſa, pœnaliſſima, ſulphurea, frigidiſſima, fœtidiſſima ac horribilia loca militem pertrahentes, venerunt ad flumen magnum & fœtidum: ſuper quod pons erat à ripa in ripam, qui lubriciſſimus erat vt glacies: ſtrictúſque valde, vt in eo vix poſſet quis figere greſſum: atque in

tantam altitudinem protendebatur, vt horribile eſſet oculos ad eum erigere: quem miles Chriſto inuocato, cum firma fide cœpit incedere, & quò altius proceſſit, eò pontem reperit latiorem: quem cum dæmones vidiſſent pontem libere pertranſire, tantis clamoribus aërem cõcuſſerunt, vt horror illius clamoris intolerabilior videretur militi cunctis quas antè ſuſtinuit pœnis. Sicque pertrãſito ponte oſtenſa ſunt ei gaudia beatorum: quibus viſis purgatus à vitiis, ad homines huius ſeculi eſt reuerſus.

De eadem materia ex Tondali viſione.

ARTICVLVS X.

Caſtigo te in iudicio, vt non tibi videaris innoxius. Non autem te faciam in conſummationem. Cõſonant prænarratis, quæ leguntur de Tondalo milite, qui à feria quarta vſque ad ſabbatum iacuit quaſi mortuus, nullo vitæ ſigno apparente in eo, niſi quòd modicus calor in ſiniſtro eius pectore à curiosè tangentibus ſentiebatur. Infra quod tempus ductus ab angelo, vidit & ſenſit magna, & acerba, ineffabiliáque tormenta. Venit ergo cum angelo ad vallem terribilem, tenebroſam, mortis caligine coopertam, ardentibus carbonibus plenam,

Iere. 30.

Tondali viſio.

habentem operculum ferreum, totum ignitum, ſpiſſitudinis quaſi ſex cubitorum, cuius fœtor ineffabiliter affligebat. Deſcendebat autem ſuper laminam illam multitudo miſerrimarum animarum, & illic cremabantur, donec inſtar cremij in ſartagine cremati, omnino liqueſcerent: atque (quod grauius eſt) ita per laminam illam colabantur, ſicut colatur cera per pannum, ſicque in carbonibus ardentis incendij reuocabantur ad pœnas. Poſt hæc venerunt ad montē miræ magnitudinis, magni horroris & vaſtæ ſolitudinis, ex cuius vna parte fuit ignis putridus, ſulphureus, tenebroſus: ex altera parte nix, grando, & glacies, & cum grandine ventus horribilis, affligebātúrque animæ in his pœnis, & de igne ſulphureo proiiciebantur ad frigora illa: & vice verſa, de frigoribus ad flammas ſulphureas. Dæmones quoque tortores habebant furcas ferreas, & ignitas acutiſſimóque tridentes, quibus animas iugulabant, & agitabant in pœnis. Deinde venerūt ad vallem terribilē, profundiſſimam, caliginoſam, de qua fœtor inæſtimabilis erupebat, & flumen ſulphureum erat in ea, multitudo quoque infœliciū animarū patientium ibi indicibiles pœnas. In

nas. Inde venerunt ad terribilẽ beſtiam, quæ Acheron appellatur, de cuius ore inextinguibilis ignis diffundebatur, & incomparabilis fœtor: atque de ventre beſtiæ audiebatur planctus, & vlulatus virorum ac mulierum intus dira tormenta luentium. Dixítque angelus Tondalo: De hac beſtia ait ſcriptura: *Abſorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius.* Iob 40.
Cúmq; angelus & anima ſtarent ante os beſtiæ, angelus repẽte diſparuit, & mox dæmones tamquam rapidiſſimi canes deſolatam & flagellatam animam traxerunt in beſtiæ ventrem. Qualia autem & quanta tormenta paſſa ſit ibi, etiam ſi ipſa nunc taceat, in colore vultus eius & morum conuerſatione mõſtratur. Paſſa namque eſt ibi morſus & ferocitates canum, vrſorum, leonum, ſerpentium, & innumerabiliũ aliorũ incognitorũ animaliũ mõſtroſorum, dæmonum ictus, aſperitatem frigoris, fœtorẽ ſulphuris, ac alia multa. Poſtmodũ venerunt ad terribile ſtagnũ, ſuper quod erat pons ſtrictus. Dixitque angelus: Per põtem iſtum te ire oportet: nec vacua ibis, ſed vaccam indomitam tecum duces, quam compatri tuo furata es, Tunc anima plorans ait: Nunc

ego miſerrima, quomodo potero traducere vaccam in tali periculo, vbi ſtare non valeo? Videns autem quòd euitare non poſſet accepit vaccam, & nitebatur eam ad pontem pertrahere. Vacca verò reluctabatur. Et cùm ſtaret anima, cadebat vacca: & cùm ſtaret vacca, cadebat anima. Sicque verſa vice modo ſtabant, modò cadebant, donec ad medium pontem venerunt. Vbi obuiauit eis quidam manipulos portans, quos fuit furatus, qui rogauit animam, ne pontem præoccuparet: econtra iſta rogauit, ne iter quod tam laboriosè pro parte compleuit, ſibi prohiberet. Cúmque diu ſic ſtarent plangentes, viderunt ſe (neſcientes qualiter) mutuo pertranſiſſe. Cum autem pontem tranſiiſſet, apparuit ei angelus eam confortans, & duxit eam ad alia horribilia loca, & tormenta grauiſſima omnibus pœnis præſcriptis ineffabiliter acerbiora, prout in libello, qui viſio Tondali nuncupatur, deſcribitur: de quo ad vitandum prolixitatem, ſufficiat hæc pauca tetigiſſe.

De eadem materia, & libello de vita Chriſtinæ Mirabilis.

ARTI

ARTICVLVS XVI.

M*Irabilis Deus in ſanctis ſuis.* Vitam admirabilis virginis Chriſtinæ, quæ per excellētiam Mirabilis appellatur, deſcripſit vir literatus, religioſus ac nobilis de ordine fratrum prædicatorum, qui etiam edidit librum, qui communiter liber apum vocatur. Itaq; vir ille in exordio hiſtoriæ ſuæ, de Chriſtina Mirabili introducit teſtimonium domini Iacobi Aconenſis epiſcopi, poſtea cardinalis, qui de Chriſtina hac ſcripſit, quæ & iſte vir plenius de ea conſcripſit. Chriſtina autem nata fuit in oppido ſancti Trudonis, vel vt aliqui dicunt, in pago nomine Bruſten, ſito iuxta oppidum memoratum. Recordor quoque, quòd dum in pueritia frequentaui ſcholam in oppido illo, frequenter audiui mentionem admirabilis illius Chriſtinæ, atque (vt dicebatur) aliqui tunc vixerunt in Sancto Trudone, qui nouerunt nonnullos, qui ipſam fœminam glorioſam viderunt in carne. Itaque cum in pueritia fuiſſet defuncta, & celebraretur Miſſa pro ea, repente de feretro ſe erexit, & trabem Eccleſiæ celeriter inſtar auis aſcendit, reſidens ibi, vſque ad finem Miſſæ: fugerúntque omnes de Eccleſia, ipſa ſic aſcendente,

dempta eius ſeniore ſorore. Finito Miſſæ officio, ex adiuratione ſacerdotis deſcendit de trabe, & ab amicis interrogata, quid ei accidiſſet, reſpondit: Mox vt fui defuncta, duxerunt animam meã angeli ſancti ad locum tenebroſum ac horrendum, animabus hominum plenum. Tormenta quæ ibi vidi, erant tam crudelia & acerba, vt nulla poſſit lingua exprimere. Et æſtimante me quod eſſet infernus, angeli ſancti dixerũt purgatorium eſſe. Deinde ad intuendum tormẽta inferni me perduxerunt. Vidi autem in vtroque loco multos mihi anteà notos. Poſt hæc ducta ſum in paradiſum, ad thronum maieſtatis diuinæ. Cúmque vidiſſem Dominum mihi congratulantem, ineffabiliter ſum gauiſa, putans me ibi perpetuè permanſuram. Dixitque Dominus: Reuera hîc cariſſima filia mea. Veruntamen optionem do tibi an velis nunc mecum manere, an reuerti ad corpus, atque in eo per opera pœnitentiæ ſatisfacere pro omnibus animabus, quas in purgatorio conſpexiſti, & eos qui adhuc viuunt in corpore, ædificare, ſicque cum meritorum augmentis redire ad me. Ad quod ſtatim reſpondi, me pro hac cauſa velle ad corpus reuerti Móxq;

Do

Dominus electioni meæ congratulans, iuſſit me corpori reddi. Nunc ergo non perturbemini ex mirabilibus, quæ eſtis viſuri in me. Ex eo tempore cœpit præſentiam hominum fugere, præſertim quia fœtore vitiorum hominum nimis affligebatur. Et aſcendit, volauit, ac ſedit frequenter ſuper ſummos arborum ramos, & ſuper altitudines Eccleſiarum, ac turrium. Cúmque propinqui eius putarent eam eſſe obſeſſam, & eam cepiſſent, & cibum ei negaſſent, ipſa quadam vice Dominum exorauit pro refectione, & confeſtim ex virgineis eius vberibus lac manauit, quo refecit ſeipſam. Deinde cœpit ſe in ardentes fornaces proiicere, in quibus præ doloris vehementia horribiliter exclamauit, nec tamen in ea egrediente læſio apparebat. Frequenter proiecit ſe in ignem, vel manum, aut pedem tandiu in igne tenebat, quòd ſecundum curſum naturæ potuiſſent in cinerem redigi. Sæpe intrauit cacabos grandes bullienti aqua repletos, vſque ad renes, aut vbera, & cæteris membris aquam calidiſſimam ſuperfudit, in quibus pœnis clamauit velut parturiens. Sub aquis congelatis interdum manſit per ſex dies continuos. Nonnunquam ſtetit ſub ro-

ta molendini, ita quòd aqua cadebat ſuper caput & corpus ipſius, etiam tempore hyemali, atque aliquando cadebat ſuper rotam molendini circumeuntē, nec tamen apparebat læſura in corpore eius, quamuis inſtar aliorum grauiſſimè affligeretur. In rotis reorum frequenter reflectebat crura, & brachia, nec tamen dū deſcendebat apparuit in ea fractura. Inter latrones ſuſpenſos laqueo ſe ſuſpendit, & pendebat ſuſpenſa duobus aut tribus diebus. Multoties intrauit mortuorū ſepulchra, & ibi defleuit hominum vitia. Mediis noctibus ſæpe ſurgens, prouocauit canes totius oppidi ſancti Trudonis ad latrandum, & inſequendum eam, ante quos currebat per ſpinas, vepres & tribulos, ita quòd toto corpore vulnerabatur: & tamen cùm ſanguinem diluiſſet, nullum læſionis veſtigium in ea apparuit. Sícque per ſeipſam frequenter ſe lacerauit ſpinis ac vepribus. Multoties dum orando, & contemplando accenderetur amore diuino, totum corpus, & omnia membra eius inſtar ceræ liquefiebant, & in vnum globum, ſeu ſphæricum corpus conuertebantur, & contemplatione finita, ad priſtinam formam redibant. Ex his innoteſcit acerbitas tormen

mentorum purgatorij,pro quorum relaxatione ſancta hæc virgo, & verè innocens, mirabiliſque Chriſtina, elegit in vita hac ſuſtinere tam inaudita in hoc mundo ſupplicia.

De eadem materia ex reuelationibus ſanctæ Brigittæ.

ARTICVLVS XVII.

D*Eus multum abire peccatum non patitur.* Iob 24.
Spiritualia Deus manifeſtat hominibus per corporalia quædam. Itaque ſancta Brigitta quarto libro reuelationũ ſuarum ait: Videbatur mihi quòd quaſi vinculum eſſet ligatum in capite animæ cuiuſdam peccatoris defuncti, per modum coronæ, & ſtringebatur tam fortiter, quòd occiput, & frons animæ pariter iungebantur, oculi verò deciderunt à ſedibus ſuis,& dependentes per radices ſuas ad genas: crines quoque, quaſi ab igne combuſti, aruerunt: cerebrum autem rumpebatur,defluens per nares & aures: lingua etiam extendebatur, dentes cõprimebantur, oſſa in brachiis confringebãtur, & tamquã funes cõtorquebantur, manus verò decoriatæ, ad collum alligabantur: pectus item, & venter tam fortiter dorſo coniungebãtur, quòd

coſtis

coſtis confractis, cor cum omnibus exterioribus euerſum mox crepuit: ſed & femora pendebant ad latera: oſſa autem confracta extrahebantur eo modo quo tenue ſolet filium in globum cõuolui. Inſuper, alterius animæ pœnam deſcribens: Aures (inquit) ipſius erant, quaſi ſufflatoria fuſorum, quæ totum cerebum cum continuo flatu commouebant. Oculi autem euerſi apparebant atque immerſi, & videbantur ad occiput intus eſſe affixi. Os erat apertum, & lingua extracta, per aperturas narium, & dependebat ad labia. Dentes erant quaſi ferrei claui palato affixi: brachia fuerunt tam longa, quòd pertingebant vſque ad pedes. Manus ambæ videbantur comprimere quandam pinguidinem cum pice ardente. Ecce, per miſerabiles atque horribiles iſtas apparitiones imaginaria viſione monſtratas deſignabantur inæſtimabilia animarum illarum ſupplicia, quæ tamen dãnatæ non erant. Alia multa horrenda leguntur in reuelationibus Brigittæ ſanctæ, qualiter animę in inferno adiudicatæ maledixerũt creatori ſuo, parentibus ac cæteris, quorum obſequio ad adultam peruenerunt ætatem. Poſtremò penſandum, quod ſicut corpora electorum

ctorum hominum, poſt diem iudicij erunt pulcherrima: impaſſibilia, ſubtilia, & agilia: ſic corpora iniquorum erunt turpiſſima, paſſibilia, groſſa & tarda, pōderoſa, fœda ac fœtida.

Quòd maligni Chriſtiani multò acerbius torquentur in inferno, quàm infideles.

ARTICVLVS XVIII.

TEmpus eſt: vt incipiat iudicium à domo Dei. Legitur in quarto libro Vitaſpatrum, quòd dum ſanctus pater Macharius ambularet in eremo, inuenit caput hominis iacens in terra: Et dixit ad caput: Quis es tu? Reſponditque caput, Ego fui ſacerdos gentilium, tu verò es Abbas Macharius Dei amicus, qui habes Spiritum ſanctum: quantum diſtat cælum à terra, tantum eſt ignis ſub pedibus noſtris, & ſuper caput noſtrū. Stantibus autem nobis in medio ignis, vnus non conſpicit alium. Et ait ſenex cū fletibus: Væ homini, qui tranſgreſſus eſt præcepta Dei. Et dixit ad caput, Eſt in inferno aliud grauius tormentum? Reſpōdit caput: Maius tormentum ſubtus nos eſt. Et ait ſenex: Qui ſunt in eo? Dixit caput ad eum: Nos gentiles, qui ignorauimus Deum: habemus modicæ aliquid miſe-

1. Pet. 4.

Chriſtiani in inferno, ſtiu grauius torquentur.

Tit.1. miſericordiæ: hi verò qui cognouerunt Deum, & non vixerunt ſecundum volũtatem ipſius, ſubtus nos ſunt, & grauius puniuntur. Quibus dictis, ſepeliuit ſenex caput illud. Itaq;, quantò Chriſtiani magis agnoſcunt Dei præcepta, eò grauius peccant, & acerbiorem damnationem recipiunt.

Iterum, quò plura ac maiora à Deo beneficia ſunt ſortiti, eò damnabilior eſt eorum ingratitudo atque tranſgreſſio.
Luc 21. Cui enim plus datum eſt, plus requiretur
Prælatorũ ab eo. Præſidentium quoque male viuẽ-
pœna. tium, & eorum qui alios ſcandalizant, grauiſſima erit damnatio, imò & tot æternis damnationibus digni ſunt, quot homines ſcandalizant. Hinc (ſicut in libro de obitu ſancti Hieronymi recitatur) vnus trium defunctorum, meritis ſancti Hieronymi à morte reſuſcitatorum, poſt ſuam reſuſcitationem dixit beato Cyrillo epiſcopo: Tantum differt in inferno inter cruciamenta iniquorum Chriſtianorum & Paganorum tormenta, vt Paganorum tormenta reſpectu eorum, quæ falſi & impij ſuſtinẽt Chriſtiani, ſint quaſi nulla, quamquam omnino ineffabilia & magna ſint, & à viuentibus incogitabilia. Et dignum eſt, quoniã praui Chr

ui Chriſtiani gratiam Dei receperunt in vacuum, nec voluerunt à peccatis corrigi dum vixerunt, & exhortationes ſcripturæ reputauerunt pro nihilo. *Cor.26.*

De acerbitate pœnarum purgatorij & inferni, ex his quæ leguntur in libro de obitu ſancti Hieronymi.

ARTICVLVS XIX.

SI Moſem & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit credent ei. *Luc.16.* Iſta ſunt verba quæ (vt filius Dei teſtatur) Abraham Patriarcha dixit diuiti epuloni damnato. Denique, quàm vera ſint verba hæc, docet experientia. Videmus namque quòd Chriſtiani vitiosè viuentes, nec ſcripturis acquieſcentes, non acquieſcunt, nec efficaciter credunt verbis, ac teſtimoniis, & doctrinis eorum, qui reſurrexerunt à mortuis: quemadmodum etiam Annas & Caiphas, ac obſtinati *Mat. 27* eorum conſortes, non crediderunt his qui reſurrexerunt cum Chriſto, & venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Itaque ſanctus Cyrillus epiſcopus in epiſtola quam miſit beato Auguſtino, de miraculis glorioſi Hieronymi refert, qualiter meritis electi Hieronymi fuerunt à morte reſuſcitati tres viri, qui mox vt reſuſcitati ſunt, cœperunt

runt beatarum gaudia animarum, pœnasque peccatorum tã purgatorij, quàm inferni clara voce omnibus prædicare. Sanctus enim Hieronymus duxerat eos ſecum in paradiſum, purgatorium, & infernum, vt quæ ibi fiebant patefacerent vniuerſis. Narrat ergo Cyrillus antiſtes in præfata epiſtola: Quadam vice ad vnum trium illorũ iui, quem dire lachrymantem inueniens, interrogaui, cur in tantum lugeret. Qui ex verbis meis nullam conſolationem admittens, & ſæpe interrogatus, tandem mea importunitate victus, reſpondit: Si ſcires, quę pridem expertus ſum, iugiter fleres. Quales enim pœnas credis eſſe paratas nõ ſolum damnatis, ſed etiam in purgatorio exiſtentibus? Ad quod ego: Puto quòd maiores ſint pœnis præſentis vitæ. Et ille: Si omnes (inquit) quæ in mundo ſunt pœnæ, tormenta & afflictiones comparentur minori pœnę, quę illic habetur, velut ſolatia apparebunt: Mallet nãque viuentium quilibet, ſi illas per experientiam noſceret, omnibus pœnis his ſimul ſine remedio cruciari vſque ad finem mundi, quas omnes homines ab Adam vſque in præſens ſigillatim perpeſſi ſunt, quã vno die in inferno, aut purgatorio affligi minori.

nori pœna,quæ ibi habetur. Idcirco cauſa fletus mei eſt timor pœnarũ, quæ peccatoribus iuſtè debentur. Scio quippe me peccaſſe in Deum, quem iuſtum eſſe non dubito. Non ergo mireris ſi ploro, ſed potius admirare, cur homines, qui ſe eſſe mortales agnoſcunt, tanta hic viuunt ſecuritate, neque verẽtur in pœnas illas incidere, neque ſolliciti ſunt qualiter eas poſſint euadere. Inſuper, tãta pœna eſt dæmones intueri, quòd vnuſquiſque mortalium potius ſe præberet ardentibus flammis arſurum, quàm in ictu oculi formas illorum vellet inſpicere, quorum formis nihil pœnoſius, nihil horribilius poteſt excogitari. Anima quoque mea tam pœnaliter & acerbè ſeparabatur per mortẽ à corpore ſuo, quòd certè quantæ fuerint illæ preſſuræ atque anguſtiæ intellectu non caperet mẽs humana, niſi, vt ego, per experiẽtiam didiciſſet. Ecce, ex his oſtenditur veritas prædictorum. Si ergo nec ſummi boni amore, neque deſiderio fœlicitatis æternæ volumus vitia declinare, & vitam aggredi virtuoſam: ſaltem pœnarum formidine ſtudeamus corrigere vitam, fugere voluptatem, vana odire, omnipotentique Domino cum metu & reuerentia deſeruire. *Hebr.* 11.

Qualiter intelligenda ſint ea quæ tacta ſunt, ex viſionibus prænarratis de ſupplicijs animarum in purgatorio & inferno.

ARTICVLVS XX.

Sapien. 9. *Corpus quod corrumpitur aggrauat animã, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem.* Ea quæ dicta ſunt ex viſione Tondali, & monachi Anglicani, ac aliorum quorumdam, poſſet quis pruden tium ſeculi huius forſitan irridere magis quàm credere, quòd ſcilicet affirmabant ſe vidiſſe animas defunctorum torreri in igne, aſſari in verubus, excoriari, mẽbratim conſcindi, decapitari, frigoribus affici, fœtoribus cruciari, bufonibus, draconibusque torqueri & operiri, ac conſimilia corporalia tormenta pati: cùm tamen animæ ſeparatæ ſint incorporales ſubſtãtiæ, & ſpiritus ſimplices, carnem, oſſa & pellem in natura propria non habentes. Eſt igitur aduertendum, quòd Deus omnipotẽs, verè, realiter ac pœnaliſſimè affligit animas defunctorum, ac dæmones igne corporeo: ſed qualiter hoc fieri queat, doctores diuerſi ſuper quartum Sententiarum diuerſimodè aſſignant: quemadmodum in opuſculo de particulari iudicio, quod fit in obitu ſingulorũ, diffusè narrau-

narraui: vbi & declaraui qualiter intelligendæ ſint viſiones Tondali & monachi Anglicani, & ea quæ de purgatorio legũtur ſancti Patricij, longumque valde eſſet iam illa hic iterare. Breuiter verò tangendo, ſimpliciter eſt tenẽdum, quòd animæ & dæmones verè, atque diriſſimè affliguntur ab igne. Modus verò quo id fit, à nobis in vita hac comprehendi non valet: ſed ex his quæ naturaliter fiunt ac ſupernaturaliter, declarari aliqualiter poteſt. Conſtat enim, quòd anima rationalis, quamuis ſit incorporalis intellectualisque forma, naturaliter tamen corpori groſſo vnitur, & viuificat illud, ita quòd corporeæ paſſiones redundãt in animam, & eam verè affligunt, etiam quoad vires eius ſuperiores: quamuis huiuſmodi paſſiones magis propriè aſcribantur ſuppoſito. Sic ſupernaturaliter per omnipotentiam creatoris animæ defunctorum ac dæmones ita poſſunt vniri igni, & aliis rebus corporeis, ſicut punibile coniungitur punienti, ſicque ineffabiliter dirè torquentur à rebus illis: non inquantum res illæ ſunt naturalia agentia, ſed vt ſunt diuina iuſtitiæ inſtrumenta. Et quamuis incorporales eſſentiæ non caleſiant, neque frigeſcant eo modo, quo entia materialia

Anima incorporea à igne corporeo quomodo pati poſſit.

Actus materialium rerũ in immaterialia.

in hoc mundo, nihilominus verè & ineffabiliter, imò & incomprehẽſibiliter affliguntur calore & frigore, & aliis rebus corporeis, quemadmodum enim certiſſimè conſtat, & experientia frequenter edocuit, quòd animæ adhuc exiſtentes in ſuis corporibus, acerrimè ſunt afflictæ ex intuitu, imaginatione & impreſſione corporalium rerum, vt ignis & frigoris, horribiliumque brutorũ, aut ſimilitudinum rerum illarũ, & hoc in ſomno, vel raptu, ſeu abſtractione, & alienatione ab omni ſenſu & motu corporeo, quod & quibuſdam in vigilia cõtigit, id eſt, non in ſomno, ſed in abſtractione quę in vigilia cœpit, prout ex exemplis antè recitatis eſt manifeſtum. Et ſi hoc naturaliter fieri poteſt, & interdũ ſupernaturaliter factũ eſt, certiſſimè innoteſcit, quòd per omnipotẽtiam Dei poſſunt animæ defunctorum ac dæmones à corporalibus rebus affligi, & igne, frigoribusque torqueri: & tantò intentius, quantò ſubtilius ac ſpiritualius, quemadmodum etiam virtute diuina ſacramenta Eccleſiæ agunt in animã. Præterea de Tondalo probabilius reputatur, quòd in tota eius viſione anima eius mãſit in corpore, atque in imaginaria viſione vidit & ſenſit ea, quę de ipſo narrãtur.

Vnde

Vnde in libello de ipſius viſione legitur, quòd modicus calor ſentiebatur à palpãtibus in pectore eius, tamen propter vehementem abſtractionem & alienationem animæ ſuæ à corpore ſibiipſi apparuit quòd anima ſua fuit à corpore realiter ſeparata: nec hoc incredibile eſt de Tondalo, cum & ſanctus Paulus de ſuo loquens raptu: *Siue in corpore* (inquit) *ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit.* Porrò de monacho Anglicano euidenter probatur, quòd tota eius viſio fuit imaginaria, & anima eius in corpore remanente, quia in eius corpore euidentia vitæ ſigna apparuerunt. His ergo & cõſimilibus monſtratta ſũt animarũ in purgatorio, aut inferno detentarũ ſupplicia, ſub imaginib⁹ & ſimilitudinib⁹ corporaliũ rerũ, ſecũdũ ꝙ vtili⁹ capere poterãt, & reuerſæ ad corpus, id eſt, ad priſtinũ vſum ſenſuũ, ſalubrius recitare viuẽtibus, quibus ſpiritalia per corporalia declarari oportet. Idẽ quoq; videtur dicẽdũ de his, qui in libello de purgatorio ſancti Patricij leguntur corporalibus oculis cõſpexiſſe animarũ tormẽta. Qualiter autẽ defendi poſſet, ꝙ anima Tõdali fuerit ſeparata à corpore in viſione ipſius, in præfato ſcripſi libello: ſed verius reor quòd fuit in corpore. Vnde & 2.Cor.12.

Auguſt.in lib.de cognitione veræ vitę,reſpōdit diſcipulo interrogāti.Nónne legitur ꝙ ſæpe multæ animæ de corpore ductæ viderint multa loca pœnalia,amœna quoq; ac florida loca,&multas animas in vtriſ[illegible];atq; ad corpus reuerſæ retulerunt ſe multa audiſſe ab illis? Ad hoc inquam beatus doctor Eccleſiæ Auguſt.reſpōdet: Sciendū, ꝙ animæ hæ nō penitus corpus reliquerāt, ſed ſenſus tātū corporeos ſuis deſtituerūt officiis.Corpus autē nō ex toto vitali caruit ſpiritu.Hinc ea quę audierāt,nō res corporeæ,ſed ſimilitudines corporearū rerū erāt, quas reuerſæ viuētibꝰ in corpore retulerūt. Inſuper duodecimo ſuper Geneſim loquitur Auguſt. Non video cur habeat anima ſimilitudinē corporis ſui,dū iacente corpore ſine ſenſu, non tamen penitus mortuo, vidit talia qualia multi ex illa ſubductione,ſeu alienatione viuis redditi narrauerūt:& nō habeat ſimilitudinē illā,dum perfecta morte penitus de corpore ſuo exierit.Huiuſmodi autem ſimilitudines dicitur anima ſeparata habere,ſecūdū quod inſpicit eas.Hęc pauca hic breuiter tetigiſſe ſufficiat, de quibus in præfato tractatu de particulari iudicio plenius eſt conſcriptum.

FINIS TERTIAE PARTIS.

INCIPIT QVARTA PARS, DE QVARTO nouiſsimorum, ſcilicet de gaudiis cœlorum.

ARTICVLVS I.

IESVM CHRISTVM *cùm nõ* I. Pet. I.
videritis, diligitis, in quẽ nũc quoque non videntes creditis: videntes autem exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarũ veſtrarum. Hæc ſunt verba beatiſsimi principis Apoſtolorum ſanctiſſimi Petri in 1. ſua Epiſt. In quibus verbis collaudat fideles primò de hoc quòd Ieſum Chriſtum, quem corporaliter non viderunt, diligant, ſecundũ quòd credunt in eum, quem nõ viderunt clarè per ſpeciem: deinde tãgit huius dilectionis ac fidei fructum, quòd ſcilicet vidẽtes Ieſum Chriſtum clarè in ſemetipſo, gaudebunt inenarrabili & fœlici iucũditate, recipiẽtes finem, fructũ, ac præmium fidei ſuæ, ac caritatis, vtputa ſalutẽ animarum ſuarum. Quæ ſalus eſt clara, immediata, ac facialis viſio Chriſti ſecũdum ſuam dei-

tatem: imò totius glorioſiſſimæ Trinitatis, cuius eſt vna deitas, vna eſſentia, &
Ioan. 14. indiuiſa poteſtas. Hinc apud Ioannē Chriſtus ait: *Qui diligit me, diligetur à patre meo. Et ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum.* In quibus verbis filius Dei promittit ſuo dilectori pro præmio ſuæ dilectionis manifeſtationem (hoc eſt clarā viſionem) ſuiipſius. Quicunque autem videt vnam diuinam & increatam perſonam, videt totam ſuperdigniſſimam Trinitatem, nec poteſt vna perſona diuina videri clarè per ſpeciem niſi & aliæ dúæ perſo-
Ibidem. næ per ſpeciē videantur. Iccirco cùm Philippus apoſtolus in cœna nouiſſima dixiſſet ad Chriſtum: *Domine oſtende nobis patrem*, reſpondit Saluator: *Philippe, qui videt me videt & patrem.* Hinc & Deus pater viſionē vnigeniti filij ſui promittit pro præ-
Pſal. 90. mio homini iuſto. *Eripiam* (inquiens) *eum & glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum*: de quo
Luce 2. ſalutari locutus Simeon iuſtus patri æterno. *Viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod parasti ante faciem omniū populorum.* Hæc beatifica viſio, eſt vera & plena, perfecta & vltimata æterna & ſumma ſalus omnium intellectualium ac rationalium creaturarum, id eſt angelorum & hominum: qua

Viſio Dei beatifica ſumma felicitas.

viſione

viſione adepta contentabitur, & quieſcet deſiderium noſtrum: ſicut tangit Propheta dicendo: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Itemque: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Hãc creatoris altiſſimi, veri ac viui Dei facialem cognitionẽ electi & ſancti viri ſummè atque finaliter deſiderauerunt, beatitudinem ſuam & deſideriorum ſuorum finem ac adimpletionẽ conſtituentes in ea. Vnde Moſes legitur dominum exoraſſe: *Si inueni gratiam in cõſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te.* Pſalmiſta quoque, *Domine* (inquit) *Deus virtutum conuerte nos, & oſtende faciem tuam & ſalui erimus.* Atque Apoſtolus Paulus: *Cupio,* inquit, *diſſolui, & eſſe cũ Chriſto.* Cùm iam itaque determinatũ ſit & tractatum de tribus nouiſſimis, incumbit nunc ſcribere de quarto nouiſſimo, quod eſt clara & beatifica viſio & fruitiua cognitio ſuperbeatiſſimæ Trinitatis, ſimpliciſſimæ deitatis: quatenus ex notitia, laude & extollentia tam præclariſſimæ ac ſaluberrimæ viſionis Dei omnipotentis, inflammemur deſiderio eius, atque ex deſiderio & amore tãtæ fœlicitatis vitemus ac fugiamus indeſinenter cum diligentia maxima quicquid impedire nos poteſt à tam nobiliſſimæ ac diuiniſſimæ viſionis ade-

Pſal. 15. *Pſal. 16.* *Exod 33.* *Pſal. 79.* *Philip. 1.*

ptione, id eſt, omnem iniquitatem & cul pam, quæ ſola auertit & impedit, elongat & reijcit nos à Deo. Ideo dixit Iſaias pro-
Iſaiæ 27. pheta. *Iſte eſt omnis fructus, vt auferatur pec-*
Iſaia 59. *catum.* Et denuo: *Ecce non eſt abbreuiata manus Domini vt ſaluare nequeat neque aggrauata eſt auris eius vt non exaudiat: ſed iniquitates veſtræ diuiſerunt inter Deum veſtrum & vos, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis.* Denique, ſicut diligens cõſideratio mortis, ac diuini iudicij ſuo timore retrahit hominem à peccatis, & ad pœnitendum, ac iuſtè viuendum inducit, vt iam antè eſt declaratum: ſic vigilans ac intenta conſideratio futuræ beatitudinis ſuo deſiderio & amore à peccatis nos abſtrahit, & allicit ad virtutes, ad ſpiritalem profectum, ad puritatem internam.

Quòd pius omnipotênsque creator ad eandem beatitudinem creauit genus humanum, ad quam in exordio mundi creauit angelorum vniuerſitatem ac ſublimitatem.

ARTICVLVS II.

Mat. 22. *IN reſurrectione non nubent, neque nuben-*
Luc. 20. *tur, ſed ſunt ſicut angeli Dei.* Hæc verba locutus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad Sadducæos: in quibus verbis tãgit,

quòd

quòd poſt diem iudicij & reſurrectionem communem homines electi ac iuſti erunt ſimiles angelis ſanctis: quo conſtat, quòd ſicut Deus condidit angelos ad fruendum æternaliter ſua deitate æterna, ac bonitate immenſa: ſic ad hoc ipſum inſtituit genus humanum. Hinc in regno cœlorum ex angelis & electis hominibus conſtituitur vna perfecta ac integra triumphans eccleſia. Quemadmodum etiam ex ſingulis choris angelorum aliqui corruerunt, ita ad ſingulos choros & ordines angelorum aliqui electi homines perducuntur, ex quibus ruina cœleſtis inſtauratur: prout S. Gregor. in Homilia de angelis docet. Nec eſt putãdum, vt aliqui ſimplices erronè putant, quòd homines nõ fuiſſent creati, ſi angeli non peccaſſent. Alioquin ordo vniuerſi non fuiſſet cõpletus. Nec creatum eſt genus humanum ſolum modò ad reparandum angelorum ruinam, ſed etiam ob alias cauſas, videlicet ad complendum ordinem vniuerſi: & quia creator glorioſus voluit cognoſci, coli, laudari, ac diligi nõ ſolùm à creaturis intellectualibus à materia ſeparatis, ſed item à creaturis intellectualibus materialibus, puta hominibus. De quibus per Salomonem locutus eſt:

Eccleſia triũphans.

Homo nõ eſt creatus eo quod angelus cecidit.

Homo quare creatus.

Prou. 8.

eſt: *Deliciæ meæ eſſe cum filijs hominū.* Hinc dicit Gregorius: Angelorum naturam & hominum, ad cognoſcendum ſe condidit Deus. Magiſter quoque Sententiarum. lib. 2. plenius loquens: Rationalem (inquit) creaturam condidit Deus, quatenus ſummum bonum intelligat, intelligendo amet, amando poſſideat, poſſidēdo fruatur. Hoc eſt quod in lib. de Doctrina Chriſtiana ſanctus aſſerit Auguſtinus: Ad hoc facta eſt rationalis creatura, vt creatorem ſuum collaudet, ei deſeruiat, ac perfruatur eodem: propterea homines naturali inclinatione fœlicitatē deſiderant. Cum igitur tanta ſit dignitas hominū qui ad tam prȩſtantiſſimum finem, ad angelicam fœlicitatē, ad æternam ſui glorioſiſſimi creatoris fruitiuam ac claram contemplationem ſunt cōditi: nónne ineffabiliter magna eſt ingratitudo, vilitas atque ſtultitia carnalium iniquorúmque hominū, qui à creatore ſuo ſe auertentes, & tantā beatitudinem non curantes in rebus carnalibus, caducis, vanis, immūdis ac vilibus fœlicitatem ſuam conſtituunt, hoc eſt in voluptatibus carnis, in terrenis diuitiis, in honore, laude, ac gloria, tēporalibus, tranſitoriis, & humanis? Quicunque enim peccat mortaliter,

liter, creaturam creatori præponit, & in re creata caduca conſtituit ſibi finem, inhærendo tali rei magis quam creatori, quod eſt maxima creatoris iniuria, & aſpernatio beatitudinis ęternalis, ad quam nos ipſe plaſmauit. Et tamen hoc faciunt omnes ſuperbi, luxurioſi, & auari, & quicunque peccant mortaliter, aut in mortalibus iacent ac manēt peccatis. De quibus verificatur quod ait Ioël propheta: *Computruerunt iumēta in ſtercore ſuo.* Et Pſal. *Ioelis.1.*
Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ini- *Pſal. 52.*
quitatibus. Itémque: *Homo cū in honore eſſet* *& 48.*
non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus. Quicunque enim propter aliquam rem creatam violat Dei pręceptū, à creatore ſuo mētem auertit, & amplius amat creaturam, id eſt ſeipſum, & voluptatem impuram ſeu aliquid creatū, vt honorem mundanum vel aurum, quam Deum. Idcirco iniurioſus eſt Deo, ac ſtult⁹. Sicque omnes iniqui vocantur ſtulti in diuinis ſcripturis, & ſunt innumerabiles ſtulti tales, quamuis à mundo reputentur prudentes, in quibus regnat vitium puerilitatis: quoniam ſicut pueri infantuli plus amāt poma & pira quam aurum & pretioſiſſimas gēmas, ſic homines tales plus amant, quærunt, & ſeruant carnalia & terrena,

terrena,quam ſummũ & inuariabile bonum. & præclariſſima dona Spiritus ſancti: De quibus Salomon conteſtatur: *Stultorum infinitus eſt numerus.* Sed. reſipiſce ô homo inſipiẽs & ingrate,reſipiſce à tanta inſania. Ad creatorem tuũ reuertere, dignitatem tibi deſuper cõdonatam aduerte.Qui ſummæ ac adorandæ Trinitatis imagine es ornatus, & omnipotentis ſimilitudine inſignitus,cur te brutis aſſimilas?imò cur peccando viliorẽ ac peiorem beſtiis cunctis te efficis,qui pretioſo ſanguine & acerbiſſima paſſiõe,ac morte vnigeniti filij Dei redẽptus es à damnatione æterna,à iugo peccati,à ſeruitute diaboli?Cur perdis teipſum perditione perpetua?Cur pro voluptate ſpurciſſima, pro fallace honore, pro terreris diuitiis ad infernum trahentibus vendis teipſum diabolo,& iugo peccati ac dæmonũ ſeruituti te ſubdis,qui ad cœleſtẽ atque angelicam beatitudinẽ es creatus, ad Dei altiſſimi fruitionem ac gloriã ordinatus? Cur in tranſitoriis & carnalibus tuã pœnis fœlicitatẽ, & ea plus appetis, quæris, ac colligis, quã bona ſpiritalia ac diuina cœleſtia & æterna?Qui in baptiſmo conſecratus es Deo, & chariſmatibus Spiritus ſãcti fulcitus,quare te tradis peſſimo inimico,

Eccleſ.1.

inimico, & tantis te inquinas vitiis? Cur ei acquieſcis, conſentis & ſeruis, qui nihil aliud quærit, quàm damnationem tuam æternã, & boni, ſapientiſſimi ac fideliſſimi tui creatoris & ſaluatoris cõſilia abiicis, documenta recuſas, præcepta tranſgrederis? Attende quanta ſit iſta peruerſitas, quàm infinita fatuitas, quàm dãnabilis & enormis ingratitudo. Redi ergo, & pœnitẽtiam age, veram beatitudinem indeſinenter deſidera, & exquire, Noli in eorum numero cõputari, qui vitam noſtrã putauerunt eſſe luſum, & cõuerſationẽ vitæ ad lucra eſſe impoſitã, & oportere vndecunque acquirere etiã ex iniquo. *Sapien. 5.*

Quòd beatitudo ſanctorum in clara & immediata viſione Dei conſiſtens, ſit ineffabiliter glorioſa, iucunda, deificatiua atque digniſſima.

ARTICVLVS III.

Cariſſimi, nunc filij Dei ſumus, & nondũ apparuit quid erimus. Scimus, quoniã cũ apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt. *I. Ioan. 3.* Videmus in omnibus, quòd ex vnione potentiæ cum obiecto conueniẽti, ac bene proportionato oriatur delectatio, & quantò obiectũ fuerit magis conueniẽs & amœnum, tantò maior iucunditas generatur in potentia ipſum

appre

apprehendente Sic enim viſus delectatur in pulchro,cōuenienti,& amœno viſibili,atque auditus in dulci ſono, & optima ſymphonia pariliſque concentu:guſtus in delicato cibo & potu, tactus quoque in ſuis obiectis, & odoratus in ſuaui odore.Ecce quàm vehementer aliqui delectātur in diſcantu,in eloquētia, in muſicorum conſonantia inſtrumentorū.Similiter quidam miro modo lætantur res pulchras inſpiciēdo.Naturale etenim eſt delectari pulchra cernēdo,& quò res exterior eſt formoſior,tantò eſt ad intuendum iucundior. Nonne delectabile eſſet videre iuuenem tam ſpecioſum,vt Abſa-

2.Reg.14 lon fuit, Adonis, ac Paris? Tamen ſi tam pulchrum inſpiceremus, & ſuperueniret alter decies pulchrior, mox oculos auerteremus à primo, & in iſtum decies pulchriorem viſum defigeremus, multóque plus delectaremur in eius intuitu, quā in primi aſpectu.Si verò ſuperueniret tertius centies pulchrior primo & ſecundo,nónne priorum pulchritudinē intueri ac admirari protinus ceſſaremus, & tertium iſtum cum ingenti delectatione,ac admiratiōe aſpiceremus?Cōformiter,ſi quartus intraret millies ſpecioſior tertio, in huius quarti aſpectu tota admiratione,&

grandi

grandi delectatione ſuſpenderẽtur oculi noſtri exteriores & interiores. Sicque aſcendendo, quò maior eſt pulchritudo rei viſibilis, eò ad intuendũ eſt amœnior. Cùm ergo Deus excelſus ſit penitus incomparabiliter pulchrior, & infinitè ſine omni mẽſura ſpecioſior vniuerſis & ſingulis creaturis ſimul acceptis, etiã ſi centies millies eſſent plures ac pulchriores quàm ſunt, certum eſt quòd incomparabiliter & prorſus ineffabiliter delectabile, & iucundum ſit, Deum verum & glorioſum in ſeipſo clarè & immediatè conſpicere, atque in ſua puritatè & claritate immenſa viſum mentis indeſinenter defigere: præſertim cùm in ipſo non ſolum ſit pulchritudo tam ſumma & infinita, ſed etiã omnis perfectio ſine menſura ac termino, hoc eſt, immenſa dulcedo, ſanctitas, ſapientia omnipotẽtia, pietas, caritas, beatitudo. Ecce, ſi iam in mũdo eſſet homo tam ſapiens, ſicut eſt angelus ſanctus, vel vt Salomon fuit, quãtum optaremus illũ conſpicere & audire: quẽadmodum ſcriptum eſt, quòd omnes reges terræ deſiderauerunt videre faciem Salomonis, vt audirent ſapientiam eius?

Dei pulchritudo.

2. Par. 1.

3. Reg. 4.

2. Para. 9.

Similiter ſi eſſet in mũdo vir tam fortis, vt Samſon, aut Hercules, vel tam victorioſus,

Iudic. 14. 15. 16.

1\. *Mac.* 5. ctorioſus,ſtrenuus,ab robuſtus in prçliis, vt Iudas fuit Machabæus,multum cuperemus videre illum. Item ſi aliquis eſſet in terra tam ſanctus,atque tantorum patrator miraculorum, vt fuit digniſſimus
Actuū. 5. Petrus,princeps Apoſtolorū,nónne ardētiſſimè deſideraremus hūc intueri:ſi aliquis eſſet nunc inter homines viuens, in quo omnia iſta ſimul conſiſterent, qui ſcilicet tam ſapiens eſſet,vt Salomō, tam fortis vt Samſon,tam victorioſus vt Machabæus, tā ſanctus, & in miraculis tam excellens, vt Petrus apoſtolus, nónne ad íllum videndum totus cōcurreret mundus:& tamen hęc omnia eſſent in illo finitè ac menſuratè? Cur ergo non accendimur ad promerendum,ac obtinendum facialem Dei conſpectum, in quo omnia iſta ſunt,cum excellentia omnifariè infinita? quem clarè, & per ſpeciem intueri, tantò eſt deſiderabilius,atque iucundius, quātò ipſe præ vniuerſis,ac ſingulis creaturis eſt purior,puchrior,dignior,ſapientior,potentior,melior,dulcior,& in omni perfectione, ac fœlicitate ſublimior, qui facit mirabilia magna ſolus, & ma-
Pſal. 7. gnalia, ac præclariſſima opera, quorum
& 135.& non eſt numerus.Nónne mirum,miſera-
146\. bile, ac deflendum eſt, quòd tantaeſt

ignauia,

ignauia, excæcatio & acedia noſtra, quòd ad intuendum hoc infinitũ,ac ſuperpulcherrimum bonum, ad fruendum tam ſuperdulciſſimo bono, ad exiſtẽdum cum domino Deo creatore, ſaluatore,ac patre noſtro,non amplius inflammamur, nec feſtinamus, in cuius viſione, & fruitione tota noſtra ſalus conſiſtit,& dignificatio maxima. Quamuis enim ſimiles *Gen. 1.* ſimus Deo per dona naturæ,quia per intellectum, volũtatem, atque memoriam ad Dei imaginem, ac ſimilitudinem ſumus creati, per dona quoque gratiæ ac virtutum, ac per opera virtuoſa imago, & ſimilitudo Dei excellentius in nobis reſplendeat: tamen per dona gloriæ, per beatificam viſionem, & increatæ bonitatis perfectam, & æternam fruitionem, tam excellenter & ſupernaturaliter, ac inſtar angelorum Deo aſſimilamur, vt ſanctus Ioannes Apoſtolus dicat,quòd *ſimiles Deo erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt,* *1. Ioan. 3.* hoc eſt clare, & per ſpeciem in ſeipſo: ad inſinuãdum quòd illa aſſimilatio hominis cum Deo, tantæ eſt excellentiæ,vt aſſimilatio per dona naturæ, ac gratiæ, quaſi nullius reputationis ſit reſpectu aſſimilationis illius per gloriã. Vita namque beatitudo, & gloria Dei,in ſeipſo eſt *In Deo æterna omnia.*

æterna , atque clariſſima contemplatio ſuæ incommutabilis veritatis, ardentiſſima quoque ac perfecta dilectio ſuæ incircunſcriptibilis bonitatis. Mutua etiam intuitio , dilectio , ac fruitio ſuperbenedictæ , adorandæque Trinitatis , qua quælibet diuina , & increata perſona, aliam æternaliter , ac perfectiſſimè contemplatur, ac diligit , & qua ſe inuicem, cum infinita complacentia, atque dulcedine perfruuntur. Idcirco dummodo ad beatificam deitatis viſionem, ac plenam

Quando homo Deo erit quam ſimillim⁹. fruitionem pertingit , tunc vita eius eſt ſupernaturaliter , ac ineffabiliter ſimilis vitæ , ac fœlicitati & gloriæ Dei. Tunc enim inauertibiliter , ac ſplendiſſimè ſtat intentus ſynceriſſimæ contemplationi ſummæ veritatis , ardentiſſimæ quoque dilectioni diuinæ , & increatæ bonitatis, & iucundiſſimæ fruitioni infinitæ dulcedinis Dei.

De multis & magnis , atque innumerabilibus gaudiis beatorum.

ARTICVLVS III.

Pſal. 64. R*Eplebimur in bonis domus tuæ , ſanctum eſt templum tuum , mirabile in æquitate.* Beatitudo & gloria omniū electorū in regno cœleſti, principaliter in clara contē-

platione

platione deitatis conſiſtit: ſicut iam patuit: ſed ex contemplatione illa prouenit ſanctis multiplex gaudium, cuius primũ & maximum gaudium eſt de ipſa deitate. Cum enim ſancti patria cœleſti Deum ardentiſſimè ac ſinceriſſimè diligãt, imò incomparabiliter plus, atque ardentius quàm ſeipſos vniuerſáſque creaturas: certum eſt, quòd de infinita perfectione, beatitudine, & excellentia Dei maximè glorientur, & omnipotenti creatori de omni ſua maieſtate, dignitate, & gloria, ſummè & ineffabiliter congratulentur: imò incomparabiliter plus lætantur de omni ſublimitate, ſapientia, opulentia, & fœlicitate ipſius, quàm de beatitudine propria. Denique non ſolum ſic gloriantur de attributis inuariabilis deitatis, & abſolutis perfectionibus Dei, videlicet de ſapientia, omnipotentia, pulchritudine, ſanctitate, pietate, opulentia, iuſtitia & dulcedine Dei, ſed etiam de ſuperdigniſſima Trinitate. Vident enim clariſſimè quemadmodum pater æternus vnigenitum filium ſuum comprehenſiuè, ac limpidiſſimè conſpicit, & cum infinito caritatis ardore æternaliter diligit, non minus vtique quàm ſeipſum: & qualiter vnigenitus filius patrem ſuum æternum

Multiplex gaudium beatorum.

Contẽplatio S. Trinitatis in beatis.

perfectè cognoſcit: intuetur ac amat infinito amore, & cũ iucunditate, ac complacẽtia prorſus immẽſa: qualiter etiam pater ac filius taliter intuentur, ac diligunt Spiritum ſanctum, & Spiritus ſanctus patrem, ac filium: contemplantur enim qualiter filius generetur à patre, & quomodo Spiritusſanctus procedat à patre ac filio. Ecce de hac ſuper beatiſſimæ Trinitatis mutua intuitione, dilectione, complacentia, iucunditate, & fruitione, & de emanatione, & communicatione illa ad intra, omnes ſancti in cœlis ſummè & ſuauiſsimè, & omnino ineffabiliter gaudent. Inſuper ſicut ineffabiliter glorientur de infinita pulchritudine Dei, ita & ineffabiliter gloriantur de infinita ſapientia Dei: ſic quoq; gaudent de infinita omnipotentia Dei, atque de immenſa opulentia eius, & eodem modo de cæteris profectionibus & proprietatibus eius, vt puta de pietate, iuſtitia, fœlicitate, bonitate, libertate, & beatitudine eius. Prætereà, in cõtemplatione Dei, inenarrabiliter gaudent, ſecundum quòd Deus eſt ens eis ſummè, & incomparabiliter conueniens. Eſt etenim Deus in ſeipſo ens ſereniſsimum, trãquilliſsimũ, delectabiliſsimum in infinitum, purè at-

Contẽplatio de dei pulchritudine & ſapientia.

Deus vt ens.

que

que totaliter bonum, amabile, deſiderabile, pulchrum, ſuaue, liberale, opulentum, iuſtum ac pium, omnique creaturæ maximè neceſſariũ, ac vtile, & honeſtũ, quoniam ſine conuerſatione ipſius, non poteſt aliqua creatura ad momentum ſubſiſtere: atque ab ipſo Deo procedit, & dependet omnis ſalus, gratia ac perfectio cuiuſlibet creaturæ: ideo Deus glorioſus & ſanctus, eſt ens omni mẽti creatæ bene diſpoſitæ conuenientiſsimũ ac delectabiliſsimum. Hinc mentes ſanctorum ex immediata, clara, ac amoroſa vnione cum Deo, concipiunt inæſtimabiliter magnam delectationem, tranquillitatem, complacẽtiam, contentationem, & pacẽ, quę exuperat omnẽ ſenſum. Amplius, præter hæc gaudia, gaudẽt de beatifica viſione, & glorioſa fruitione Dei, tanquam de propria beatitudine, & ſupernaturali, & maxima perfectione, ac dignitate deſuper eis conceſſa. Reflectunt namque cõſiderationem ſuam ſuper ſeipſos, ſicque conſiderant vniuerſa dona ipſis à Deo collata, cum gratiarũ actione pleniſsima. Dumque intuentur ſe eſſe tam beatos & glorioſos, tã ſublimatos & inauertibiliter fonti totius fælicitatis vnitos, indicibiliter gaudent de ipſa

Beatorum delectatio.

Philip. 4.

Beatitudo ſanctorũ.

beatifica viſione, atque fruitione, quam habent, & de omni gloria ipſis donata, quoniam vident ſe æternaliter ſecuratos, támque perfectè ditatos, quòd plenariè contentantur, & habent quicquid deſiderant. Et quamuis animæ beatæ nondũ habeãt in re corpora glorificata, & quædam accidentalia præmia, quæ affectant, hæc tamen habent in expectatione certiſſima. inſuper quamuis multitudo ſanctorũ angelorum, electorumq́; hominum ſit nobis in hac vita innumerabilis, incomprehenſibilis ac incerta, nihilominus quilibet ſanctus in cœlo cognoſcit, & ſcit vniuerſos ac ſingulos ciues cœleſtes, quoniam omnes ciues cœleſtes amant ſe inuicem valde ardenti amore, conſtat etiã, quòd vnuſquiſq; eorũ gaudet fœlicitate & gloria vniuſcuiuſque ſui conciuis, ſicut de beatitudine propria, & quò maior eſt gloria ſuorũ conciuiũ, atque quò maior eſt mutuus amor, eò cordialius eis cõgaudent, ac vehemẽtius cõgratulãtur. Idcirco ex hac parte vnuſquiſq; ſanctorum in cœlo habet tot gaudia glorioſa, quot ſunt angelici ſpiritus in nouem ordinibus angelorum, & quot ſunt animæ ſanctæ in regno cœlorum. Ecce quanta eſt beatitudo, & gloria electorum,

Cognitio beatorum mutua.

Gaudia beatorum quot.

ctorum, quàm innumerabilia gaudia habent, magna & dulcia, glorioſa & pura, quorũ quodlibet, imò & minimũ, maius eſt cũctis deliciis carnalibus, & mũdanis. O quàm verè ineffabiliter beati ſunt, qui habitant in domo tua domine, in domo illa cæleſti, in qua melior eſt dies vna ſuper millia. O quã beatus, quem elegiſti, etiam quicquid interim patiatur. O vos miſeri amatores huius ſæculi nequam, & carnis immundæ amatores inſani voluptatis magis quàm Dei, reſipiſcite, pœnitentiã agite: & contẽptis immundis deliciis, ad tantam beatitudinẽ aſpirate: eius deſiderio, & amore vileſcant vobis vana ſolatia, atque oblectamenta carnalia. Nolite tantam amittere gloriã, propter vilem, & breuem lætitiã. *Ecce mundus tranſit: & concupiſcentia eius*, gloria autem cæleſtis æternaliter perſeuerat. Certè cùm bonitas, pulchritudo, tudo, & perfectio Dei infinitè excedat omnem bonitatẽ, decorẽ, & perfectionẽ creatas, iucundatio, quæ oritur ex immediata perceptione boni, & pulchri tã infiniti, infinitè excedit omnem delectationem, procedentem ex perceptione boni creati. Si ergo in corporum vnione tanta conſiſtit voluptas, qualis eſt illa

Pſal. 83.
Pſal. 64.
Mat. 3.
1. Ioan. 1.

iucunditas, quæ immediata, pura & clara vnione cum Deo conſiſtit? Non tantum excedit vniuerſus Oceanus vnam guttam in quantitate, quantum excedit iucunditas illa ſuperna vniuerſas delicias, quæ vmquam in mundo fuerunt, ſunt & erunt.

De multis ex quibus perpenditur quàm inenarrabiliter magna ſit beatitudo, pulchritudo, ornatus & gloria ſanctorum in cælo.

ARTICVLVS V.

Pſalm. 35. *INebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Ineffabilis magnitudo fœlicitatis ſanctorũ ex multis probatur, primò ex hoc quod nulla pura creatura, nec Cherubim, nec Seraphim, fuit digna & apta eam hominibus recuperare, ac promereri: ſed cùm primi parentes hanc beatitudinem perdidiſſent ſibi ipſis, ac poſteris ſuis, ipſemet vnicus filius Dei verus Deus, factus eſt homo, vt in aſſumpta humanitate recuperaret humano generi fœlicitatem, & gloriã iſtã, quemadmodum in Euangelio conteſtatur: *Ego veni vt vitam habeãt,* id eſt, vt credentes per meum adueutum vitam gratiæ obtineant in præſenti, *& abundantius habeant,* hoc eſt, vitam gloriæ ſortiantur

Fœlicitas ſanctorũ ex multis probatur.

Gene. 3.

Ioan. 1.

Ioan. 10.

tur

tur in futuro. Hinc ſcriptum eſt in Euangelio. *Non miſit Deus filium ſuum vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum*: nō vtiq; vnigenitus fili⁹ Dei æterno patri æqualis, pro parua re, aut pro modica cauſſa venit in mundū per incarnationis myſteriū, vt puta aſſumēdo humanam naturā: imò beatitudo hæc electorū cum ſit immediata & clara fruitio boni ſummi ac infiniti, eſt quodāmodo dignitatis immēſæ. Ideo dicit S. Thom. quòd quāuis nulla pura creatura infinitæ ſit dignitatis, tria tamen ſunt in rebus creatis, quæ quodāmodo infinitæ dignitatis exiſtunt. Primū eſt Chriſti humanitas, quia aſſūpta eſt ad perſonale & increatū eſſe verbi æterni, hoc eſt vnigeniti filij Dei, de quo ſcriptum eſt: *In principio erat verbum.* Secundum eſt beatiſſima virgo Maria, quoniā facta eſt genitrix Dei veri, quod eſt dignitas, quaſi immenſa. Tertium eſt beatitudo ſanctorum, cùm ſit (vt dictum eſt) immediata infiniti boni fruitio. Nō ergo negligamus nec paruipendamus beatitudinem iſtam propter vanam proſperitatem aut vilem delectationem vitę præſentis: imò pro ea adipiſcenda omnis labor nobis dulceſcat, omnis pœnitentia placeat, omnis aduerſitas cū gaudio tole

Ioan. 3.

Tria in rebus humanis quæ infinitæ dignitatis exiſtunt.

Ioan. 1.

toleretur:quia reuera(vt ait Apoſtol.) *non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad gloriam illam.* Vnde & Leo Papa diſſeruit: Nullus labor durus,nullum tempus longum videri debet,quo gloria æternitatis acquiritur.Et Auguſtinus : Tanta eſt(inquit)pulchritudo ſummæ iuſtitiæ , tanta eſt iucunditas lucis æternæ , hoc eſt, incommutabilis veritatis ac increatæ ſapientiæ,tanta eſt fœlicitas cæleſtis curię, vt etiam ſi nõ liceret in ea manere diutius quàm vno deu , propter hoc ſolũ innumerabiles anni huius vitæ deliciis atque diuitiis pleni meritò ſpernerentur.

II. *Beatitudo quanti emita nobis à Chriſto.* Secundò perpẽdi poteſt incõparabilis plenitudo ac dignitas beatitudinis electorũ ex hoc quòd vnigenitus filius Dei eam tã pretioſè ac laborioſè emit & recuperauit hominibus. Ipſe etenim vnicus & omnipotens filius Dei , vniuerſorum creator,qui ſolo imperio cum gaudio creauit cælum & terram,non ſic reformauit, nec ſic liberauit genus humanum , ſed pretioſiſſimo ſanguine ſuo illud redemit , & laborioſiſſima paſſione, ac ignominioſiſſima morte recuperauit,

Philip. 2. atque promeruit ei fœlicitatẽ cæleſtem,

Ioan. 10. *factus obediens patri vſque ad mortem.* Vnde

Iſaiæ 3. locus eſt: *Animam meã pono pro ouibus meis.*

De

De quo Iſaias dixit: *Inglorius erit inter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum.* Is enim de quo Pſal. prædixit: *Speciosus forma præ filiis hominum, propter nos factus eſt opprobrium hominum & deſpectio plebis.* Pſal. 44. Pſal. 21. Sapien. 2. Atque vt recuperaret nobis pulchritudinem paradiſi cæleſtis, lucem gloriæ & claritatem beatificę fruitionis, dignatus eſt turpiſſimam & acerbiſſimã mortẽ ſubire, & velut leproſus ac viliſſimus hominum apparere & reputari: quẽadmodum rurſus Iſaias fatetur: *Vidimus eũ non habentem ſpeciem neque decorem. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Et nos reputauimus eũ quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autẽ vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Iſa. 53. Hinc glorioſus princeps apoſtolorum diſſeruit: *Non corruptibilibus auro vel argenteo redempti eſtis, ſed pretioſo ſanguine agni immaculati, de quo in Apoca. ait Ioan. apoſt. Chriſtus dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes.* 1. Pet. 1. Apoc. 1. Nequaquam putandum eſt, quòd ſapientiſſimus ille mercator pro parua re tantum expoſuerit pretium, imò non niſi pro incomparabili gloria ſuis electis recuperãda, tanta fecit ac pertulit. Idcirco nos tãto pre

to pretio empti non vendamus noſipſos diabolo pro vili nummo peccati, ſed redẽptori altiſſimo ſubditi ſimus ac grati.

III. Tertiò perpenditur excellentia beatitudinis ſempiternę, ex hoc quod electi & iuſti eam tam pretiosè emerunt, & tot & tanta pro ea obtinenda fecerunt ac pertulerunt. Pro hac namq; fœlicitate martyres ſancti innumerabilia atque duriſſima tormentorum genera ſponte perpeſſi ſunt, & cuncta quæ mundi ſunt contempſerunt, ſicut ait Apoſtolus: *Sancti ludibria & verbera experti ſunt, inſuper vincula & carceres. Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus in ſolitudinibus errantes, in montibus & in ſpeluncis & in cauernis terræ.* Pro hac fœlicitate multi nobiliſſimi pulcherrimíque iuuenes ac puellæ, omnem mundi proſperitatem & vanam delectationem ſpernentes, ſacras introierunt religiones, & in clauſtris arduiſſimam vitam duxerũt, imò innumerabiles electi intrauerunt deſerta, & ſolitariã vitã ducentes, angelicã vitam geſſerũt in terris, corpora ſua arctiſſimè caſtigantes, modico pane & aqua contenti.

Beatitudo quãti empta à Sãctis.

Heb. 11.

Gala. 5. Nõ ergo pigeat nos pro tãta beatitudine

paulu

paululũ laborare, *carnem noſtram cum vitiis, & concupiſcentiis crucifigere*, tentationibus quoque viriliter reluctari, quia (vt ſanctus fatetur Apoſtol.) *non coronatur, niſi qui legitimè certauerit* Hinc Leo Papa locutus eſt: Non dormientibus prouenit regnum cælorum, nec otio deſidiáque torpẽtib. beatitudo æternitatis promittitur. 1. *Tim.* 2.

Quartò perpenditur ſublimitas gloriæ huius, ex multiplici teſtimonio amicorũ Dei, ſanctorum prophetarum, atque apoſtolorũ, quibus hoc reuelauit ſpiritus ſanctus. De hac quippe fœlicitate Iſa. loquitur Deo: *Oculus nõ vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.* Quod Paulus apoſtolus plenius exprimẽs, *Oculus* (inquit) *non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus his qui diligunt eum. Nobis autem reuelauit per ſpiritum ſanctum.* Hinc in Geneſi Dominus ait ad Abraham: *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Denique diuino & magno Dionyſio, Chriſtus in carcere apparens, ſuúmque corpus tradens: Accipe, ait, hoc care meus, quoniam merces tua apud me magna eſt valde. Hinc & in Exodo legitur, quòd dum Moſes Dominum exorauit, dicendo: *Oſtende mihi gloriã tuam,* Dominus ei reſpõdit: Ego oſtendam tibi omne

IIII. *Ex teſtimonio amicorum Dei.*

Iſa. 64.

1. *Cor.* 2.

Gene. 15.

Exod. 33.

Deus bonū omnino perfectum. omne bonum, id eſt, meipſum. Deus enim benedictus & adorandus eſt, bonum omnino perfectum, in quo eſt omnium bonorum, atque pulchrorum, ac deſiderabilium infinita perfectio, ac plena poſ-
Luc. 10. ſeſsio. Ideo Deus eſt vnum illud, quod ſolùm & maximè neceſſariū eſt, in quo pleniſsimè inuenitur, quicquid rectè appetitur. Si appetantur diuitiæ, ſi poteſtas, ſi ſapientia, ſi voluptas, ſi beatitudo, ſi quies, & pax, ipſe eſt diues in ſe, & diues in aliis, & opulentiæ eius nullus eſt finis.
Pſal. 146. Ipſe omnipotens, *& ſapētia eius non eſt numerus*, nec menſura. Ipſe eſt fons totius ſalutis, in uo ſolo rationalis creatura verā, & beatam inuenit quietem & pacem. In ipſo ergo figamus noſtram intentionem, in ipſo ſtabiliamus noſtram finalem affe ionem in ipſo amplificemus deſideria noſtra, ita vt nihil penitus affectemus, ni.: ipſum, vel in ipſo, & propter ipſum, hoc eſt, alia, inquantum nobis neceſſa ia, aut vtilia ſunt ad complacendum ei: & ad obtinendum beatificam eius fruitionem. Sícque in aduerſis tamqu m in omnibus diuitiis erimus glorianteſ, cum propheta dicentes: *In*
Pſal 61. *7 eo ſalutare meum, & gloria mea Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt.*

Quinto

Quinto perpēditur præclariſſima gloria beatorum ex ornatu,quē creator omnipotens omni anno largitur creaturis inanimatis , videlicet pratis , arboribus, herbis,floribus,agris ac liliis:quæ omnia adueniente æſtate, & ſole approximante miro modo reflorent, ornantur ac venuſtantur.Vnde & apud Matth.dixit Saluator: *Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt. Dico autem vobis , quòd nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt , ſicut vnum ex iſtis. Si autem fœnum agri,quod hodie eſt,& cras in clibanum mittitur,* Deus *ſic veſtit, quantò magis vos minimæ fidei?* Si ergo iſta terrena ac infirma, ſic reflorent & pulchrificantur accedente ad ea ſole in circulo obliquo , id eſt, Zodiaco:qualiter ornabuntur, & exhilarabuntur rationales creaturæ , cùm ortus fuerit eis in cœlo ſol intelligentiæ, fons ſapientiæ , origo totius lucis & gratiæ, obiectum & cauſſa gloriæ , ac ſalutis perpetuæ quibus per Malachiam Dominus pollicetur : *Orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ,& ſanitas in pennis veſtris?* Ecce qualiter arida terra, nuda prata, indecora arbuſta , ſuo tempore decorantur, & vireſcunt graminibus floribus,foliis,virore,ſuauitate & fructibus:qualiter ergo corpora electorum in reſurrectione

V. Ex ornatu hui' perſpicitur quanta ſit beatitudo.

Matt.6.

Malac.4

vltima fulcientur claritate, agilitate, impaſſibilitate, ſubtilitate, odore dulciſſimo

Matt.17. atque lætiſſimo apparatu? Ad quod oſten

Luc.9. dendum Chriſtus ante ſuam paſſionem

Marc. 9. ſe transfigurauit coram tribus Apoſtolis, & reſplenduit facies eius vt Sol.

VI. *Ruinæ Hieruſalem declarant eius venuſtatem.* Sextò perpenditur plenitudo fœlicitatis ac gloriæ beatorum, ex hoc quod muri cæleſtis Ieruſalem, & angelorum ruina, reparandi ſunt & conſtruendi ex electis hominibus. Si ergo artifices huius mundi tam pulchrè perornant rudia ſaxa, ex quibus ædificāt caſtra & ſtatuas, nónne artifex ille cæleſtis pulcherrimè decorabit animas & corpora electorum, ex quibus reparabit & complebit cæleſtem Ieruſalem, triumphantem Eccleſiam, curiámque ſupernam?

VII. *Guſtus futuræ fœlicitatis.* Septimò idem perpenditur ex conſolatione interna, quam Deus interdum largitur in iſto exilio ſuis deuotis, quos ſæpe tam dulciter viſitat, quòd ſeipſos nequeunt continere, & vix valeant capere aut ſufferre præ carnis fragilitate, ita quod ſupra ſe ſubitò rapiuntur, & alienati ab omni ſenſu, motu & actu corporeo, in diuitias gloriæ Dei mirabiliter abſorbētur. Si tam dulcis eſt ros & gutta ſuauitatis ſupernæ, quàm delicioſus eſt

fons.

fons ipſe ſuauitatis immenſæ deguſtatus in ſeipſo clarè & immediatè.

Octauò idem perpēditur ex hoc, quòd VIII. fidelis ac munificētiſſimus Deus ſanctos ſuos in vita hac tam ſublimiter multiplicitérque honorat per diuerſa miracula, atque per cultum quem eis impendunt fideles, intantum quòd oſſibus, reliquiis, pulueribus panniculíſque ſanctorum maior impenditur honor, quàm Imperatoribus, Regibus, aut principibus mundi. Vnde meritò dixit Propheta: *Mihi autem nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.* Hunc ergo opulentiſſimum, optimum, liberaliſſimúmque omnis boni remuneratorē totis veneremur præcordiis, qui primo Regum teſtatur: *Quicunque glorificauerit me, glorificabo eum: Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

Honor bonorum in hoc mūdo.

Pſal. 138.

1. Reg. 2.

De beatiſſima & delitioſiſſima refectione Sanctorum in cælo.

ARTICVLVS VI.

Apoc. 16.

Refectio patriæ cæleſtis.

Beati qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt. Spiritali refectione reficit Trinitas benedicta vniuerſos ciues cæleſtes, quę refectio eſt omni corporali refe-

Refectio in cælis quare cœna dicta.

ctione tantò ſuauior atque præſtantior, quātò ſpiritus rationalis eſt nobilior corpore, & quantò cibus ſpiritualis dignior dulciórque conſiſtit omni corporeo alimento. Rectè quoque refectio iſta cœna vocatur magis quàm prandium, quia eſt vltimata refectio, poſt quam alia nulla reſtat, quemadmodum cœna eſt vltima diei comeſtio: dicitur etiam ſpecialiter cœna agni, id eſt, Chriſti filij Dei, de quo
Ioan.1. dixit beatiſſimus Ioannes Baptiſta: ***Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi***, quoniam ipſe per ſuam digniſſimam paſſionē promeruit nobis glorioſam illam reſurrectionem, ſecundum quòd in cœna ſua corporali nouiſſima dixit Apoſtolis,
Luc.22. & in eorum perſona cūctis fidelibus: ***Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnum, vt comedatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.*** Ipſe etenim merito ſuæ ſalutiferæ paſſionis reſerauit nobis ianuam & aditum regni cæleſtis. Dicitur quoque cœna nuptiarū agni, quia in regno illo ſalutis æternæ Eccleſia filio Dei perfectiſſimè deſponſatur, inſeparabiliter vnitur, non per fidem & caritatem imperfectam, ſicut in via huius exilij, in quo peregrinamur à Domino (ſecundū quod
Pſal.38. dixit Pſalmiſta ad Deum. ***Quoniam aduena***

ego

ego ſum apud te, & peregrinus ſicut omnes patres mei) ſed per beatificam viſionem atque completam fruitionem. In qua deſponſatione exhibetur ſpõſæ, hoc eſt triũphanti Eccleſiæ, & vnicuique menti beatæ, nobiliſſima, iucundiſſima æternaliſque cœna, quæ eſt refectio glorioſa ſummè confortans, delectans & ſine faſtidio ſatians, ſpiritaliterque impinguans. De qua in Euangelio legitur: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei.* Hic panis eſt Chriſtus, *qui eſt panis vitæ, panis ſuper ſubſtantialis*, qui in ſacramento altaris reficit eccleſiam militantem corpore ſuo ſancto & ſanguine pretioſo, ſub ſenſibilibus tegumentis: porrò Eccleſiam triumphantem reficit ſua incomprehenſibili atque altiſſima deitate, cuius beata fruitio etiam dici poteſt panis ſanctorum, atque refectio. Et quoniam gloriſſimè Trinitatis vna eſt deitas, eademque cognitio, atq; actio indiuiſa ad extra: iccirco quamuis hæc cœna ſpecialiter Chriſto aſcribatur, tamen à tota excellentiſſima Trinitate exhibetur, cuius refectionis tanta eſt dignitas, vt ipſemet filius Dei affirmet ſe in ea miniſtraturum ſuis electis, ſecũdum quod loquitur de ſeipſo: *Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbe*

Luc.1.
Ioan.6.
Matt. 6.
Luc.12.

Deus pater electos reficit tribus ferculis in patria. *cumbere & tranſiens miniſtrabit illis*, quæ eſt miniſtratio dignationis nõ ſubiectionis, ſicut interdum ſuperior ex ſua caritate, dignatione, & humilitate miniſtrat ſubditis ſuis ad menſam. In hac cœna, ac refectione beata, Deus pater pro ferculo

I. optimo præbet ſuiipſius claram cognitionem, non ſolum oſtendendo beatis ſuis ſuam fontalem delicioſiſſimã deitatem, ſed etiam ſuam paternam fœcunditatem, & actionem ſuam ad intra: qua ſeipſum intelligendo, generat æternaliter, ac inuariabiliter vnigenitum filium ſuum.

II. Secundum ferculum præſtantiſſimum quod exhibet & apponit eſt manifeſtatio & illuminatio, qua beatos illuſtrat ad contemplandum ſuam ſpiratiuam fœcũditatem & actionem immanentem, qua Spiritus ſanctus ab ipſo procedit.

III. Tertium ferculum eſt manifeſtatio, qua electis oſtendit, quàm vehementer dilexit genus humanum dum pro eius ſalute miſit vnigenitum filium ſuũ in mundum, iuxta illud: *Ioan. 3.* *Sic Deus dilexit mundum, vt vnigenitum filium ſuum daret, vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Hæc omnia clarè, beatificè, ac fruitiuè cognoſcere, intueri, contemplari, dulciſſimè, atq; ineffabiliter ſapit beatis

tis,in horum intuitu ineffabiliter accenduntur & rapiuntur in Deum, omniq́ue iucunditate replentur.

Inſuper filius Dei,in hac mēſa,pro primo ferculo præſtat beatis clarā notitiam, qualiter ipſe æternaliter generetur à patre,& tamē conſubſtantialis, & coæqualis ſit ei. Pro ſecundo ferculo dat eis glorioſam contemplationem, ad intelligendum qualiter Spiritus ſanctus procedit ab ipſo,ſicut à patre: Tertium quoque ferculum exhibet eis, illum nando mentes eorum ad cognoſcendum clariſſimè ſuæ incarnationis myſterium, & ſuam glorificatiſſimam humanitatem, ac omnem ipſius fœlicitatem & gloriam, atque beneficia,quæ per ipſam nobis impendit. In quibus omnibus quantum & qualiter, quàm exuberantiſſimè & præcordialiſſimè glorientur omnes beati, nemo in vita hac plenè valet concipere. *Deus filius reficit electos tribus ferculis.* I. II. III.

Præterea in hac beatiſſima refectione & cœna ciuium ſupernorum Spiritus ſanctus pro primo ferculo oſtēdit mentibus beatorū qualiter ipſe æternaliter procedat à patre & filio, & tamen conſubſtantialis & coæqualis ſit eis. Pro ſecūdo ferculo eis largitur ſplendidiſſimam iucundiſſimamq́; notitiam totius ſuperbenedi- *Deus ſpiritus ſanctus exhibet tria fercula beatis in patria.*

ctiſſimæ Trinitatis, & totius gloriæ eius, & qualiter cum infinita lætitia tres adorãdæ, æternæ, & increatæ perſonæ ſe inuicem æternaliter intuentur, amant, amplectuntur ac perfruuntur. Pro tertio autem ferculo pandit beatis omnem ſuam caritatem, dignationem, pietatem, munificentiam, ac beneficentiam circa eos, & qualiter ſua pietate & gratia ſanctificati ſint & ſaluati, ac qualiter dona ſua præſtando, ſeipſum infud t ac contulit ipſis. Ecce his ferculis fœlicisſimæ mẽtes ſanctorum abundantiſſimè nutriuntur, excellentiſſimè deificantur, ſuauiſſimè inebriantur, inſeparabiliter confirmantur, ſupernaturaliter nobilitãtur, gaudioſiſſimè contentantur, atque æterna ſecuritate fruuntur. De hac refectione ait ſponſus in

Cantic. 5. Canticis: *Comedite amici & bibite, & inebriamini cariſſimi.* Et Pſal. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine.* Hoc eſt verè

Pſal. 30.

Sap. 16.

manna cæleſte, *habẽs in ſe omne delectamentum, & omnis ſaporis ſuauitatem.* Hac ſuauitate in ſuo fonte perfectè & immediatè guſtata, prorſus deſipit, & infinitè contẽnitur omnis delectatio carnalis, venerea, guſtus, & tactus, quã ſceleratiſſimus Mahumetus in ſuo Alchorano promittit cultoribus ſuæ legis, imò ſpurciſſimæ fæcis.

O quàm

O quam præclariſſima eſt cœna illa cæleſtis, ſpiritalis, diuina, puriſſima, in qua ſunt tam innumerabiles, pulcherrimi, ſapiētiſſimi, nobiliſſimique conuiuæ, ſeinuicem ardentiſsimè diligentes, perfectiſſimè inuariabilitérque concordes, videlicet omnes Angeli ſancti, Archangeli, principatus, poteſtates, virtutes, dominationes, throni, cherubim ac ſeraphim: omnes quoque Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, martyres, confeſſores, virgines, & cæteri ſancti. In qua cœna Chriſtus ſecūdum quod homo, Dei & hominum mediator reſidet primo loco, quia & ipſe ſecundum aſſumptam humanitatē ab adorāda reficitur Trinitate, atque poſt ipſum reſidet immediatè mater eius digniſsima ſacratiſsima virgo Maria, ſuper omnes Angelicorum ſpirituum ordines eleuata: deinde vnuſquiſque ſanctorū reſidet ordinatè, ac decentiſsimè collocatur ſecundum dignitatem, gradum & exigentiam meritorum ſuorum. Poſtremò quoniam quælibet conſideratio beatorū magnam & propriam habet delectationem, & dulciter reficit mentem beatam cōſtat quòd in cœna illa altiſsima erunt tot fercula gaudioſa, quot cōſiderationes ſancti habebunt de Deo, de ſeipſis & omni fœlicitate,

Societas ſupernorū ciuiū.

1.Tim. 2.

Præmia eſſentialia & accidē talia beatorum.

tate, perfectione, & gloria eis conceſſa, de vniuerſitate ſuorum cōciuium: & de vnoquoque illorum, de ordine totius creaturæ: imò & de ſuppliciis atque miſeriis damnatorum, quibus beati nequaquam compatientur: ſed zelo iuſtitiæ congratulabũtur æquitati diuinæ de impiorum
Apoc. 19 iuſta damnatione. Vnde in Apocaly. ait Ioan. Apoſtolus: *Audiui vocem magnam quaſi tubarum multarum in cœlo dicentium: Alleluia, laus & gloria & virtus* Deo *noſtro, quoniam vera & iuſta ſunt iudicia eius, quia iudicauit de meretrice magna quæ corrupit omnem terram*, id eſt, cōgregationem iniquorum, quæ eſt Eccleſia malignãtium, con-
Pſal. 25. demnauit. Cuius rei figura præceſsit in
Exod. 14. Ægyptiorum ſubmerſione. Nam Pharao-
Exod. 15. ne cum ſuis ſubmerſo filij Iſraël cecinerunt: *Cãtemus* Domino: *glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem proiecit in mare.* Sic principe tenebrarum cum vniuerſis reprobis in infernum proiecto gratias agent Deo, & laudem ei dicent cuncti electi. Denique certum eſt, quòd in cœna illa cæleſti valde ſpeciale gaudium ac nobile ferculum proueniet ſanctis de humanitate filij Dei, & glorioſiſsima virgine Maria, de quo ſequẽti dicitur articulo. De tali, ac tãto conuiuio ſancti gratias agent Deo,

Deo, non poſt illud, quia conuiuiũ illud nunquam finem habebit: ſed in illo, id eſt, ipſo durante indeſinenter gratias referent hoſpiti tam liberali & amoroſo. Ad hanc ſacratiſſimam cœnam ardentiſſimè vnuſquiſque noſtrum aſpiret dicendo: *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum * fontẽ viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Pſal. 41. *Lege fortẽ ex Hebreo & Græco.

Quòd ſancti in cœlo ex omni parte habent copioſiſſimam rationẽ, atque materiam multiplicium gaudiorum.

ARTICVLVS VII.

VEnient in Sion laudantes, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt. Et fugiet dolor & gemitus. Iſaiæ. 35. Tanta, tam copioſa, & multiplex eſt electorum in cœlo beatitudo & gloria, quocunque ſe verterint, vt cauſſam & incitamenta gaudendi inueniant. Nam I.
ſupra ſe primò, & maximè gaudent de benedicta & adoranda Trinitate. Dein- II.
de ſupra ſe gaudent de omni beatitudine, perfectione, decore, & eminentia humanitatis filij Dei. Tertiò gaudent ſu- III.
pra ſe, in cõſpectu virginis glorioſæ Mariæ, de omni pulchritudine, excellentia, beatitu

IIII. beatitudine, & honore ipſius. Quartò gaudent ſupra ſe de omnibus Angelis ſanctis, & de animabus, ſeu hominibus ſanctis, qui eis in gloria ſunt ſuperiores.
V. Gaudent quoque in ſe, de vniuerſa beatitudine, gratia & excellentia eis colla-
VI. ta. Inſuper gaudent circa ſe, de fœliciſſima ſanctorum ſocietate, & beata communione, qua vnuſquiſque eorum alteri
VII. beatitudinem ſuā cõmunicat. Gaudēt, & infra ſe, non ſolum de his qui inferiores ſunt eis in gloria, ſed & de tota machina mundiali, quæ poſt diem iudicij erit pulcherrimè decorata, vt tactū eſt ſuprà, atque (vt præcedenti tangebatur articulo) gaudebunt etiam de inferno. Qualiter autem gaudebunt de Deo, & in Deo, in cuius viſione, & fruitione eſſentiali ſanctorum omnium prẹmium conſiſtit, iam antè pro viribus eſt expreſſum: qualiter verò de Chriſti humanitate gaudeant, modò pro poſſe tangendum eſt.

Gaudij beatorum de Chriſto homine ratio multiplex.

Itaque de humanitate filij Dei multipliciter exultabunt: primò de omni pulchritudine ei9, quàm habet in donis gratiæ, & gloriæ, tam in corpore, quàm in anima. Tota namque capacitas animæ Chriſti, ac virium eius, ab exordio ſuæ creationis, & vnionis cum deitate, fuit repleta

repleta omni gratia,& virtute,omni dono & fructu Spiritus ſancti:imò & intellectus eius repletus fuit beatifica deitatis viſione. Porrò poſt paſſionem ſuam humanitas ſua pleniſſimè glorificata eſt in ſua reſurrectione,& aſcenſione,quantum ad corpus ſuum, inferioreſque vires ſuas. Et quantò anima Chriſti præ omnibus ſanctis excellentius fruitur Deo, & glorioſior,ſanctiorque conſiſtit, tantò corpus Chriſti mirabilius,atque ſplendidius eſt glorificatũ quatuor dotibus corporum hominum electorum, ita quòd claritas pulchritudinis eius, ac pulchritudo ſuæ claritatis,venuſtiſſimuſque aſpectus,& pulcherrimus eius vultus,ineffabiliter maior, ac delectabilior eſt omni claritate,& decore ſolis,lunæ,ac ſiderum omniumque corporum glorificandorum. Cùm igitur tota Chriſti humanitas ſit tam incomparabiliter ſpecioſior, dulcior, glorioſior, ac ſublimior omnibus creaturis, tam Angelis quàm cæteris ſanctis, cõſtat quòd omnes beati, in conſpectu humanitatis Chriſti, vehementiſſimè delectentur ita quòd maximum gaudium,quod habent poſt beatificam Dei viſionem, eſt gaudium illud ex intuitu humanitatis Chriſti conceptum: *Venuſtas humanitatis Chriſti.*

tum: cuius humanitas tanta gratioſitate, venuſtate & gloria eſt perfuſa, quòd & Angeli ſancti deſiderant eam aſpicere, & cum indicibili iucunditate eam inſpiciunt omnes beati.

II. Secundò, ciues cæleſtes gaudent de Chriſti humanitate, & de eius inſpectione, in quantum per ipſam ſunt liberati, vel reparati, & multa, & maxima beneficia conſecuti. Itaque animæ ſanctæ in cœlis inęſtimabiliter gaudent de humana natura filij Dei, & de omni excellentia, ac gloria eius, quia per eam ſunt ab æterna damnatione ereptæ, donis gratiæ in via huius ſeculi adimpletæ, atque ad fœlicitatem ſempiternam perductæ. Et quo maiora, ac digniora ſunt beneficia iſta, eò humanitatem Chriſti iucundius intuentur, ardentius diligunt, & præcordialius domino Ieſu Chriſto Saluatori ſuo regratiãtur. Tantò certè præcordialius, atque deuotius, quò plura ac maiora, pro eorum ſalute fecit, ac pertulit. Porrò ſancti angeli gaudẽt de Chriſti humanitate, quia per eam ipſorum ruina eſt inſtaurata, ſocietas aucta, & gloria multiplicata.

III. Tertio omnes ſancti in cœlo gaudent potiſſimè de Chriſti humanitate, eo

quod

quod ipſa vnita eſt vnione perſonali vnigenito Dei filio, vero Deo, quod eſt dignitas infinita, & maius bonum, ac eminentius donum, quàm omne bonum, ac donum cæteris ſanctis, & reliquis omnibus creaturis collatum. Hinc de tãta humanitatis Chriſti exaltatione amplius gaudẽt ſancti, quàm de omni beatitudine, gratia & gloria omnium cæterorum ſanctorum, & quãtò plus diligunt Chriſtum, ſecundum vtramque ſuam naturam, tantò exuberantius gloriantur de omni perfectione, excellentia, & gloria vtriuſque ſuæ naturæ, videlicet æternæ deitatis, atque aſſumptæ humanitatis.

Vnitas Chriſti perſonæ diuinæ & humanæ donũ excellentius cæteris omnibus.

Præterea, omnes ſancti in cœlo de præſentia & aſpectu glorioſiſſimæ virginis matris filij Dei, mirabiliter, ineffabiliterque lætãtur, & tantò intẽſius quantò eam amant feruẽtius. Primò ergo lætantur in eius aſpectu, quoniam ipſa præ omni pura creatura in eſſe creato ſubſiſtẽte, eſt inenarrabiliter ſpecioſa, ſancta, perfecta, & glorioſa bona, amabilis, pia, & ad intuendum delectabilis, ac iucũda, imò omnino dulciſſima. Si enim de Heſter regina veraciter ait ſcriptura, *Erat formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omniũ oculis gratioſa, & amabilis videbatur*: quàm incom

Gaudium beatorum de excellẽtia virginis.

Heſter. 2.

incomparabiliter excellentius dicēdum, eſt illud, de glorioſiſſima, & glorificatiſſima virgine Dei matre, quæ fontem cōcepit, ac peperit pulchritudinis infinitæ. Et ſi creator omnipotens, tantā pulchritudinem, amabilitatem & gratioſitatem ponit in modica humani corporis parte puta in facie, quàm incōprehenſibiliter, ac infinitè pulcher, amabilis & gratioſus eſt ipſe in ſemetipſo. Secundo vniuerſi beati gloriantur in virgine ſumma, quia per eam conſecuti ſunt gratioſa dona, & beneficia glorioſa à Domino multa & magna. Ipſa nā quę genuit mundo Saluatorē, ipſa eſt aduocata Eccleſiæ militantis, peccatorū refugiū, mater & conſolatrix miſerorū. Ei commiſſum eſt miſericordi e regnum: & per eā innumerabiles peccatores veniā, gratiam & ſalutem adepti ſunt. Et quicquid gratiæ eſt in nobis, per ipſam datū eſt nobis. Tertiò gaudent præſertim in ea, & de ea, de eius ex-

Prærogatiuæ Mariæ virg.

III. cellentia, ac honore: eo quod ipſa ſit mater veri Dei comparentalis Deo patri: eundem filium habens cum illo: quod eſt dignitas quodammodo infinita propter quam tota curiæ cœleſtis militia, ſingulari præcipuóque honore eam deuotiſſimè veneratur, tātóque abundātius congratula

gratulatur excellentiæ eius, quantò feruentius diligit eam: & quantò quis beatorum miſericordiam maiorem ab ea, & per eam à Deo eſt conſecutus, tantò precordialius diligit eam & honorat, ac ei in omnib⁹ iſtis cõgaudet. Inſuper vnuſquiſque beatorum gratulatur ſupra ſe de vniuerſis angelis ſanctis, ac ceteris, qui eo ſunt maiores in gloria: quoniã omnibus illis toto corde fauet, congaudet: nec appetit eſſe, aut habere quod illi sũt & habẽt: ſed plenè cõtentatur de ſuo: & quod non habet plenè in ſe, gaudet ſe per caritatem & participationẽ habere in alio. O quis excogitare, aut dicere queat, quantum inferiores ſancti lætãtur ex intuitu, præſentia, & conſortio ſanctorũ Apoſtolorũ, ac prophetarũ & virtuoſorũ paſtorum, ac aliorũ, quorũ doctrinis, ſubſidiis, & detectionibus tãtam beatitudinẽ ſunt adepti, & præſertim de illorũ aſpectu, ad quos ſpecialiorem, & ampliorem habuerunt dilectionem, ac deuotionem? Certè omnia gaudia huius mundi ſimul collecta, comparari nequeũt gaudio quod vnuſquiſque beatorũ habet de beatiſſimæ virginis Mariæ præſentia & conſpectu, quod etiam quibuſdã electis amatoribus eiuſdem virginis datũ eſt in vita hac ex-

Gaudium beatorum de angelis & aliis ſanctis.

periri,quibus ipſa vi go piiſſima viſibiliter apparere dignata eſt. Nec dubiũ,quin multò plus delectentur in aſpectu humanitatis filij Dei:& tamẽ hæc omnia gaudia ad accidentale pertinent præmium beatorũ, quod totũ ſimul ſumptũ incõparabiliter minus eſt gaudio præmij eſſentialis,videlicet, beatæ fruitionis, qua excellẽtiſſima Trinitate,& eius vna ſimpliciſſima deitate fruuntur. At verò qualiter ſancti intra ſe gaudẽt de propria fœlicitate,perfectione,& gloria,de vniuerſis, ac ſingulis ſuis conciuibus, angelis ſanctis, & animabus beatis, tactũ eſt ſuprà,de quo tamen & infrà magis tractabitur. Aſpiremus ergo,feſtinemus & curſitemus ad ineffabilẽ gloriã electorum, ad quam currere eſt eam feruẽter appetere: ad quam feſtinare, eſt tempus indultum fructuosè expendere,& Dei præcepta diligenter implere: ad quã aſpirare eſt eius deſiderio, ac amore, flere, & gemere in lachrymarum hac valle, exẽplo prophetæ dicentis: *Heu mihi,quia incolatus meus prolongatus eſt.* Atque Apoſtoli inclamantis, *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius?* Certè ſi in regno cœlorum non eſſet aliud gaudium,aut præmium,niſi videre ſpecioſiſſimã, optimã, dulciſſi

Internum gaudium beatorum.

Pſal. 119.

Rom. 7.

dulciſſimámque Mariam Chriſtiferam, merito totis viribus conaremur illuc pertingere : quantò magis cùm in adorandi Deiglorioſa & fruitiua viſione, cõſtituta ſit prĩcipaliter ſalus & merces noſtra, quæ (vt ſanctus fatetur Bernardus) tam grandis eſt, quòd non poteſt metiri, tam multa, quòd nõ valet numerari, tam copioſa , ac diuturna , quòd nequit finiri. Vnde rurſus locutus eſt: Reuera illud eſt verum, & ſolum gaudium, quod non de creatura, ſed de creatore concipitur, cui comparata omnis aliunde concepta iucunditas mœror eſt , omnis ſuauitas dolor eſt, omne dulce amarum , omne decorum fœdum , omne quod aliunde delectare poſſit , moleſtum.

De quibuſdam iucunditatibus animarum fœlicium, & hominum beatorũ. poſt diem iudicij, quas angeli ſancti non habent.

ARTICVLVS VIII.

ABſterget Deus omnẽ lacrymam ab oculis ſanctorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor. Quantum ad præmiũ eſſentiale, quod eſt beata viſio omnipotentis , promittitur hominibus æqualitas gloriæ cum angelis ſanctis : ſed ſicut homines ad beatitudinem illam multò moroſius, laborioſius, diffi- Apoc. 21. Matt. 19.

 ciliúſque

ciliúſque pertingunt, quàm angeli, qui in exordio mundi vna celerrima, atque facillima conuerſione ſuæ mentis ad creatorem promeruerũt tãtam fœlicitatem: ſic animabus ſanctis ante communẽ reſurrectionẽ inſunt, & hominibus electis reſuſcitatis, poſt diẽ iudicij inerunt accidẽtalia quædam præmia, & gaudia, quæ angelis ſanctis nõ competunt propriè. Et primò, quia compoſitus eſt homo ex anima & corpore, habebit poſt diem iudicij duplicem ſtolam, id eſt, fœlicitatem, & gloriam animæ & corporis, iuxta illud

Iſaiæ. 61. Iſaiæ, *Pro confuſione veſtra duplici, & rubore, laudabunt partem eorum. Propterea in terra ſua duplicia poſſidebunt, lætitia ſempiterna erit eis:*

Prou. 31. Vnde in Prouerbiis legitur, *Omnes domeſtici eius, veſtiti duplicibus.* Harum ſtolarum vnam iam habent animæ ſanctæ in cœlis, aliã habebunt in ſuis corporibus, poſt reſurrectionem futuram, ſecũdum quod ait ſcriptura: *Datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis, vt requieſcerent tẽpus adhuc modicum, donec compleatur numerus cõſeruorum eorum.* Denique, ad ſtolam corporis pertinent quatuor dotes corporum glorificatorũ, quorum quælibet habet delectationem propriam valde magnam. Inſuper martyres ſancti, doctores virtuoſi,

& virgi

& virgines ſacræ, quæ in perpetua virginitate decreuerunt manere, vltra coronam (id eſt, eſſentiale præmium) & vltra ſtolam præfatam, ac quatuor dotes, habebunt aureolam, quod eſt gaudium ſpeciale de opere priuilegiato, virtuoſo, ac arduo, vt eſt martyrium, & actus idoneus inſtruendi, atque caſtimonia virginalis. *Aureola quid, & quibus detur.* Quemadmodum autem ex gaudio præmij eſſentialis, quod aurea nuncupatur, redundat decor, & claritas quædam in corpore: ita ex iucunditate aureolæ reſultant in corpore quidã ornatus, ſicque aureola principaliter conſiſtit in mente, & per redundantiam micat in corpore.

Secundum gaudium ſpeciale hominũ beatorum erit, quòd videbunt Deum creatorem ſuum, factum eſſe fratrem, & proximum ſuum, quod generabit eis ineffabile gaudium, & inflammationem amoris fortiſſimam, atque perpetuam gratiarum actionem, quod etiam gaudium interim habent animæ ſanctæ in cœlo. Hinc ait Bernardus: Prorſus omni dulcedine plenum eſt, videre hominem, hominum conditorem. Et in hoc honorauit omnipotens genus humanum, magis quàm angelos, aut naturam angelicam, ſicque exterior hominum ſenſus *Aureola in mente.*

præcipuè reficietur, & gaudebit in aſpe-
ctu humanitatis filij Dei: ſenſus verò in-
terior, vt puta intellectus, in viſione dei-
tatis ipſius.

Tertium gaudium animarum, & hominum electorum ſpeciale, & proprium eius eſt, quòd euaſerunt pericula tentationum, miſerias vitæ præſentis, & iugum totius iniquitatis. Ideo læti cantabunt *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. Laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus* Itemque: *Vbi eſt, ô mors victoria tua? Vbi eſt ô mors ſtimulꝰ tuus?* Et quia etiam electæ animæ, poſt hanc vitam graues ſuſtinent purgatorij pœnas, omnibus vitæ præſentis tormentis acerbiores, mirabiliter gloriabuntur: cum de tãtis ſupplicijs ad ineffabilem peruenerint gloriam, perpetuámque ſalutem. Oppoſita namque iuxta ſe poſita, aut ſibi inuicem ſuccendẽtia, clarius innoteſcunt. Et ſicut dulcior eſt refectio, poſt grauem famem, & quies, poſt grandem laborem, conſolatio quoque poſt ingentem triſtitiam: ſic ſuauiſsima eſt electis animabus æternæ ſalutis iucunditas, poſt tantos labores, anguſtias, & afflictiones. Idcirco iucundiſsimè dicent Deo: *Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidi*

Pſal. 122.
1 Cor. 15.
Pſal. 89.

vidimus mala. O quantum gaudebunt, ꝙ naufragiũ huius ſeculi euaſerunt, in quo tam pauci euadunt: quòd dæmonibus Chriſto auxiliante præualuerunt, à quibus penè omnes vincuntur: & quòd amplius peccare non poterunt, quia in Deo confirmatæ, & glorificatæ exiſtunt. Poſtremò, vt omnia cooperentur electis in bonum, ſancti etiam de inferno gaudiũ triplex habebunt. Primum, ꝙ infernalia euaſerunt ſupplicia, ideo dicere poterit vnuſquiſque hominum electorum: *Niſi quia Dominus adiuuit me, habitaſſet vtique in inferno anima mea.* Secundum, quia aduerſarios, & perſecutores ſuos videbunt in inferno torqueri: & de hoc gaudebunt zelo iuſtitiæ, non amore vindictæ. Hinc in Apocalypſi habetur: *Animæ interfectorum clamabant voce magna: Vſque quo Domine ſanctus, & verus, non vindicas ſanguinem noſtrum, de his qui habitant in terra?* Tertiũ, quoniam omne malum culpæ & pœnæ, ſcient eſſe perpetuè clauſum in inferno, ita quòd nullum illorum poterit eis vnquã appropinquare. Sícque ex omni parte accumulantur electis gaudia copioſa.

Paucitas ſaluãdorũ

Roma 8.

Gaudium beatorum de inferno triplex.

I.

II.

Apoc. 6.

III.

De iucundiſſima fœlicitate ſanctorum ex parte glorioſæ ſocietatis eorum.

ARTICVLVS IX.

Iob 25. NVnquid eſt numerus militũ Dei? & ſuper quem non ſplendet lumen ipſius? Ineffabiliter multam & magnã, ſpecioſam, & nobilem, ſapientem, amicabilem, & concordem eſſe politiam illam cœleſtẽ, militiámque ſupernam, & ſocietatem beatam regis æterni, exigit infinita maieſtas regis illius, cum & Salomon dicat:

Prou. 14. *In multitudine miniſtrorum dignitas regis in paucitate plebis ignominia principis.* Hinc Daniel ſanctus teſtatus eſt: *Millia millium*

Danie. 7. *miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Denique cum nemo in hac vita comprehendere queat numerum angelorum infimi chori, in quo ad minus ſunt tot angeli ſancti, quot nunc, aut vnquam vno tempore fuerunt, aut erunt homines in toto mundo, cum vnicuique homini præſit vnus angelus bonus de infimo choro exiſtens, conſtat quàm incomprehenſibilis nobis ſit tota multitudo angelicorum ſpirituum, præſertim cùm iuxta doctrinam diui Dionyſij, quantò ordo aliquis angelorum ſanctorum ſublimior eſt, tantò plures in ſe continet Angelos ſanctos. Cùm ergo vnum ſanctum Angelum videre, ac plene cognoſcere, tranſcendat omne gaudium mundi

Angelorum cœtus innumerabilis.

mundi, quale gaudium eſt vniuerſos, ac ſingulos Angelos glorioſos, indeſinẽter conſpicere, perfectè intelligere, & de omnium eorum ſocietate gaudere? Sic quoque ineffabile gaudium eſt, vniuerſos beatos Apoſtolos, Prophetas, Patriarchas, martyres, cõfeſſores, virgines, anachoretas, eremitas, & vtriuſque ſexus religioſas perſonas, electos infantulos, ac cæteros ſanctos, clare agnoſcere, ſemper conſpicere, atque de vniuerſorum conſortio gloriari omnium quoque beatitudinem participare, ſingulis congaudere, & de omnibus exultare. Huius etenim glorioſiſſimæ ciuitatis communicatio, & participatio eſt in idipſum, & particeps eſt quilibet beatorum felicitatis, ac gloriæ vniuerſorum fruentium Deo. Itaque huic tam præclariſſimæ ſocietati intereſſe gaudioſum eſt, deſiderabiliſſimum ac beatum. Primò, propter mutuã caritatem ſocietatis iſtius, de qua certiſſimum eſt, quòd vniuerſi ſe inuicem diligunt dilectione feruentiſſima, indeſinenti, ſinceriſſima, indiſſolubili, & perfecta. Et ſciunt quòd ita ſeinuicem diligunt, quòd nihil caritati contrarium, aut repugnans, vel diſſonum vnquã poterit eſſe in eis. Certè caritatis deliciis, hac

Pſal. 121.

Gaudioſa ſocietas electorũ propter ſeptẽ.

amoroſiſsima vnione tam ſuauiſsima, ac
certiſsima mutua dilectione, nihil poſt
II. beatificam deitatis fruitionē, poteſt eſ-
ſe iucūdius, nihil fœlicius. Secundò gau-
dioſum, optabile, & beatum eſt, tam fœ-
liciſsimæ intereſſe ſocietati, propter mu-
tuam eius affectuoſam, & liberaliſsimā
communionem. Caritas quippe tā ferui-
da, & perfecta non reſeruat ſibi aliquid
proprium: ſed quicquid boni habet, co-
Act. 4. pioſè communicat ſuis conciuibus, &
proximis, atque conſociis. Idcirco in tali,
ac tanta ſocietate, gaudia ſingulorū re-
dundant in ſingulos, & diuitias gloriæ
ſuæ, vnuſquiſque diffundit in ſuos con-
ſortes, ſuntque eis cuncta communia, &
Pſal. 86. beatitudo vnius eſt omnium. *O quàm glo-
rioſa dicuntur de te, ô ciuitas Dei*, ô trium-
phans eccleſia, ô curia cæleſtis Ieruſalē,
ô patria beatorum. Beati omnes qui di-
ligunt te, qui præordinati ſunt ad tuam
III. ſocietatem. Tertiò gaudioſum, & appe-
tendum eſt huic intereſſe conſortio, pro-
pter plenam & inuiolabilem eius con-
cordiā, & pacem dulciſsimam. Quemad-
modum enim ciues ſuperni in Deo dul-
ciſsimè conquieſcunt, & in ipſo perfe-
ctiſsimam pacem habent, inauertibili-
ter, ac integrè conformati voluntati di-
uinæ,

uinæ,à qua nunquam in aliquo poterunt diſſentire,ita & inter ſe habent perpetuã, imperturbabilemq́ue concordiam. Hinc loquitur Auguſt.in ciuitate Dei, ſuperna lex eſt caritas, rex veritas, pax fœlicitas, vita æternitas.Ibi vera pax erit, vbi nihil aduerſi quis patietur,nec à ſeipſo,neq; ab alio.Hac pace nihil ſuauius. Eſt nãq; pax iſta ſerenitas mentis, tranquillitas cordis, vinculum amoris, conſortium caritatis, & imperturbata animi quies in Deo.Meritò igitur dixit Pſalm. ad cæleſtem Ieruſalem: *Lauda Ieruſalẽ Dominum, qui poſuit fines tuos pacem*, qui & per Iſaiam ait: *Ponam viſitationem tuam pacem.* *Pſal.*147. *Iſa* 60.

Quartò gaudioſum, deſiderabile, & beatum eſt huic intereſſe ſocietati, propter eius multitudinem, de qua iam aliqualiter dictum eſt. Nam de parte quadam ſocietatis illius ait Ioan. Apoſtolus. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gẽtibus, tribubus & linguis, ſtantes ante thronum.* De multitudine quoque innumerabil, nõ ſolũ vniuerſorũ angelicorũ ſpirituũ, ſed & cuiuſlibet ordinis angelorũ,iam tactum eſt.De qua aſſerit ſanct.Thom. ꝙ ſicut corpora cæleſtia,quaſi incõparabiliter excedũt corpora inferiora, ĩ quãtitate,ſic multitudo IIII. *Apoc.* 7.

ſancto

ſanctorum angelorum excedit multitudinem rerum inferiorum. Sancta quoque Brigitta, in ſuis Reuelationibus dicit, quòd quamuis omnes homines, qui vnquam in mundo fuerunt, ſunt, & erunt, eſſent collecti, adhuc tamen multitudo, & numerus angelorum in tantum excederet eos, quòd cuilibet homini poſſent ad minus decem angeli deputari: hoc eſt, quòd decies eſſent plures angeli ſancti quàm homines. Verumtamen de iſto, non eſt euidens certitudo, cùm & ſanct. Gregor. dicat tot homines eſſe ſaluandos, quot manſerunt angeli ſtãtes. Quod dictum multi doctores ſequuntur. Verba autem Gregorij non ſunt paruipendenda, quia etiam (vt Albertus Magnus, & Bonauentura, ſuper quartum ſententiarum teſtantur) ſpiritus diuinus multa reuelauit Gregorio. O quàm gaudioſum & glorioſum erit, conſpicere in æternum totum illum cœleſtem exercitum, ex vniuerſis Angelis ſanctis, & electis hominibus congregatum, regem gloriæ cum ſumma reuerentia aſsiſtentem, humillimè inclinatum, promptiſsimè obſequentem.

Opinio Brigittæ.

Quintò, gaudioſum eſt ſocietati huic intereſſe, propter eius pulchritudinem & deco

decorem. Vniuerſæ enim perſonæ huius ſocietatis, ſunt totaliter pulchræ, ita ꝙ nulla macula eſt in eis, ſed plenitudo vir-tutum, caritatis perfectio, lumen gloriæ, ſplendidiſſima viſio Deitatis, immediata & consũmata coniunctio, cũ fonte totius pulchritudinis & decoris. Quòd ſi pulchritudo totius mũdi ſenſibilis eſſet collecta in vnum, comparari non poſſet pulchritudini infimi ciuis ſocietatis illius. Idcirco inæſtimabiliter delicioſum erit, cõſpicere tã ſpecioſiſſimũ, ſplẽdiciſſimũ, ſanctiſſimumque conſortium, in quo nihil eſſe poteſt, quod valeat offendere intuentem, nihil quod poſsit erubeſcentiã, aut ſuſpicionem, vel ſandalum generare. *Ioan.* 14.

Sextò, gaudioſum eſt huic intereſſe ſocietati, propter eius decentiſsimam ordinationem, diſpoſitionemque optimam, quia in ea vnuſquiſque iuxta ſuam dignitatem, ſanctitatem, meritorúmque exigentiam collocatur. Vnde ait Saluator: *In domo patris mei manſiones multæ ſunt*, *Ioan.*16. Hoc eſt diuerſitas præmiorum, ſecundũ exigentiam meritorum. Ordo autem eſt optimum quid in rebus, & maximè intuentem delectat.

Septimò, gaudioſum eſt iſtud, propter nobilitatem totius iſtius ſocietatis. Omnes. VII. *Roma.*8.

nes.

nes namque ſunt filij & filiæ Dei, omnes reges & reginæ, omnes hæredes Dei, cohæredesque Chriſti,omnes repleti sũt ſapientia & virtute, quod eſt ſumma nobilitas,omnes amicabiles, familiaresque creatori.Congregemus ergo omnia iſta, & penſemus pro poſſe,quàm deſiderabile & iucundum ſit,intereſſe & cohabitare ſocietati curiæ cæleſtis,tam ineffabiliter amoroſæ, liberaliſsimæ, concordiſſimæ,innumerabiliſsimæ, ſpecioſiſsimæ, ordinatiſsimæ,ſapientiſsimæ,potentiſsimæ, nobiliſsimæ: cui etiam iucundiſsimum eſt intereſſe, propter mutuam eius humilitatem,quia in ea quantò quis maior eſt, tantò prorſus humilior eſt: ſicque ſummi in ea ſe habent humiliſsimè,dignantiſsimè, ac beneuolentiſsimè ad infimos.

Humilitas beatorum ciuiũ.

De beatitudine electorum ex parte amœniſsimi loci eorum.

ARTICVLVS X.

Baruc 3. *Sapien. 8.*

O Iſraël,quã magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſsionis eius. Magnus, & nõ habens finẽ,excelſus. Sapiẽtia omnipotentis attingens à fine vſque ad finem fortiter, & diſponẽs omnia ſuauiter,coaptat loca locatis,ponit que

nitque vnumquodque finaliter, in loco ſuæ naturæ,aut meritis cõgruenti.Hinc hominem protoplaſtum, quem in originali creauit iuſtitia,collocauit in paradiſo terreſtri. Cùm ergo beati Deo plenè & immediatè fruentes, ſint incomparabiliter perfectiores, digniores, & magis quietati in Deo, quàm erat Adam etiam ante lapſum, conueniens fuit,vt Deus ab exordio præpararet eis locum, & manſionem incõparabiliter pulchriorem, altiorem,amœniorem,& quietiorem paradiſo terreſtri. Et hic locus eſt paradiſus cæleſtis, cælum empyreum, patria, regio & habitaculum beatorum. Quod cælum vocatur empyreum,id eſt igneum, non à calore,ſed à ſplendore: quod ambit omnes orbes cęleſtes,ac cœlos volubiles,eſtque continẽtia viſibilium & inuiſibilium creaturarum. Et quamuis incorporales ſubſtantiæ,vt angeli,non indigeant corporeo loco ad ſubſiſtẽdũ, ad habitandũ, ad contemplandũ, tamen cõgruũ fuit,vt in loco altiſſimo, ſpecioſiſſimo,ac digniſſimo conſtituerentur,cùm beatificè ſint cõiunctæ ſummo omniũ creatori, omni virtutũ decore lucéque gloriæ adimpletæ, & Dei hæredes effectæ. Itaque cœlum empyreum eſt ſitu altiſſimũ, quantitate

Gene. 2.

Loci beatorum deſcriptiones

titate maximum,natura puriſsimum,luce pleniſsimum, capacitate ampliſsimũ.

Tob.13. De quo dixit Tobias: *Beatus ero, ſi fuerint reliquiæ meæ ad videndum claritatem Ieruſalẽ.* Hoc cælum eſt ſummi regis palatium, in quo ipſe incomprehenſibilis Deus ſeipſum clariſsimè manifeſtat, in quo excellentius operatur idcirco in eo ſpecialiter habitare aſſeritur. Hoc cælum eſt totius mundi ſpecioſiſſimum operimentum, quod decentiſſimè congruit collocationi,& habitationi corporum glorificatorum,& hominum reſuſcitatorum,ex quibus & ipſum cælum empyreum refulgẽtiam ſortietur. Ad cuius ingreſſum ſu-

Pſal. 25. & 83. ſpirauit,qui dixit: *Domine,dilexi decorem domus tuæ,& locum habitationis gloriæ tuæ.* Et rurſus: *Beati qui habitant in domo tua Domine,in ſecula ſeculorum laudabũt te.* Ibi quippe(vt aſſerit Auguſtin.)verè & plenè vacabimus, & videbimus, imò experie-

Pſal. 33. & 30. mur,& ſentiemus, quàm ſuauis ſit Deus, quam magna ſit multitudo dulcedinis

Iſaiæ. 61. eius, quàm infinita ſit magnitudo delectationis, ac gloriæ eius. Ibi videbimus regem in decore ipſius, & amabimus eum amore æternaliter æquè intenſo ac feruido,æquè delicioſo, & nunquam faſtidioſo. Ibi laudabimus eum, quem indeſinen.

deſineuter laudat totus cœli exercitus, cum conſonantia maxima, cum ſumma lætitia cum inæſtimabili reuerētia ac feruore. Ibi eſt finis noſter. Nec enim ſufficit nobis finis, niſi cuius nullus eſt finis. Qui eſt finis, non conſumens, ſed perficiens & conſummans. Quo adepto, nihil vltrà appeti poteſt, quoniam finis ille replet totaliter *in bonis deſiderium noſtrum.* Hic eſt finis noſter peruenire ad regnum, cuius ſalus & gloria, finem non habet. Vnde rectè dixit Gregor. Si conſideremus quæ & quanta ſunt quæ nobis promittuntur in cœlis, vileſcunt animo omnia quæ haben tur in terris. Terrena namque ſubſtantiæ æternæ felicitati comparata, pondus eſt, non ſubſidium. Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors eſt dicenda magis quàm vita. Quæ enim lingua exprimere, aut quis intellectus capere poteſt illa ſupernæ ciuitatis quanta ſint gaudia, angelorum choris intereſſe, cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ conditoris aſſiſtere, præſentem Dei vultum cernere, incircunſcriptum lumē videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere gloriari? Et rurſus: Ibi (inquit) hymnidici angelorum chori, ibi ſocietas ſupernorum ciuium, ibi dulcis ſolennitas ab pere-

Pſal. 102.

grinationis huius labore redeūtium. Certè in ſplendore tanto ſapiētiæ beatorum, nullus error poteſt miſceri, nulla ignorantia inueniri, nulla opinionum diuerſitas exoriri. Poſtremò, de hac incomprehenſibili magnitudine fœlicitatis & gloriæ electorum, legitur anima ſancti Hieronymi diſſoluta à corpore, dixiſſe ſancto Auguſtino volēti de gloria beatorum compilare tractatum: Auguſtine, Auguſtine, quid quæris? putáſne breui immittere vaſculo totum mare? Putáſne orbem terrarum breui pugillo includere, aut cœlum immobilitare, ne ſolitos exerceat motus? Quæ nullus hominum oculus videre potuit, tuus videbit? quæ auris nulla per ſonum hauſit, audiet tua? an quæ cor humanum nullatenus intellexit nec cogitauit, æſtimas te intelligere poſſe? Infinitæ rei quis inerit finis? Immenſa qua metieris mēſura? Potius totum mare in vaſculo clauderetur arctiſſimo, potius orbē terrarum paruus teneret pugillus, potius à motu ſuo cœlum ceſſaret, quàm intelligeres minorem particulam gaudiorum & gloriæ, quibus beatorum animæ perfruuntur perpetuè: niſi vt ego de his per experiētiam docereris. Impoſſibilia agere ne coneris: imple vitæ tuæ curriculum:

& ta

& taliter conuerſare, vt ea quæ hîc aliqualiter intelligere cupis, plenariè in æternum poſſideas.

De varijs fructibus & gaudijs æternæ felicitatis.

ARTICVLVS XI.

F*Vlgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorū.* Tot ſunt particularia gaudia beatorum, quòd ea ſolius Dei notitia comprehendit, & hi quibus hæc conferuntur. Tanta eſt ibi ſapientia vt ſapientia Salomonis eſſet ibi velut ſtultitia, tanta fortitudo, quòd fortitudo Sanſonis eſſet ibi debilitas, tanta dominatio, quòd monarchia Octauiani eſſet ibi ſubiectio, tanta opulentia, quòd diuitiæ Crœſi eſſent ibi paupertas: tanta velocitas, quod velocitas Azaëlis eſſet ibi tarditas: tanta duratio, quòd longiturnitas vitę Mathuſalem eſſet ibi vix vnum momētum: tanta ſanctitatis perfectio quòd ſanctitas vitæ pręſentis eſſet ibi defectus tanta iucunditas, quòd omnis delectatio vitæ huius eſſet ibi mœſtitia, tanta fœlicitas quòd omnis beatitudo vitæ iſtius eſſet ibi calamitas, tantus feruor diuini amoris, quòd omnis feruor huius vitæ eſſet ibi tepiditas: tanta

Matt. 13.
3. Reg. 4.
Iudic. 16

libertas quòd omnis libertas ſeculi huius eſſet ibi ſeruitus atque captiuitas: tanta ſecuritas, quòd omnis ſecuritas ſeculi huius, eſſet ibi timiditas. Ibi iuuentus nunquam ſeneſcens: eruntque omnes (vt fertur) ſemper quaſi in ætate triginta annorum, aut in ea ætate qua obiit Chriſtus, Ephe.4. cùm dicat Apoſtolus. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in meſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Quod tamen non eſt intelligendum, quòd omnes reſurgent in ſexu virili, ſed vnaquæque perſona in ſuo reſurget ſexu. Ibi ſanitas nunquam infirmabilis, ibi ſatietas omni carens faſtidio: imò ſatiati deſiderabimus, ne ſatietas gignat faſtidiũ, & deſiderantes ſatiabimur, ne deſiderio ſit annexa penuria ſiue anxietas. Carnales quippe deliciæ citò in faſtidium vertuntur, ſpiritales verò deliciæ deſiderium pariunt: quia quod habent & ſentiunt, cupiunt ſemper habere atque ſentire, guſtare & experiri. Ibi erit libertas expers totius ſeruitutis indignæ, pulchritudo naturalis ac moralis & ſupernaturalis in anima & corpore. Et breuiter, bona quæ ibi ſunt & erunt, numerare non poſſumus, ſed mereri. Ibi gaudium purum, continuum & æternum. Ibi merita noſtra, vltra condignum remunerãtur.

Ibi corpora erunt animabus perfectè ſubiecta, atque promptiſſimè obedientia, & vbi voluerit anima, corpus mox erit. Auferentur etenim à corporibus electorum omnia, per quæ nunc impediunt animas, ab exercitiis virtutum continuis, omnis grauedo, obſcuritas, indigentia alimenti, indumenti, ac ſomni. *Fulgebúntque iuſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent, mutabunt fortitudinē*, pro fortitudine naturæ, ac viæ accipientes fortitudinem fœlicis innouationis ac gloriç, *aſſument pennas, vt aquilæ, volabunt, & non deficient*. Egrediētur & ſalient, quaſi vituli de armento, & dicent: *Ecce Deus noſter iſte, expectauimus eum, & ſaluauit nos*. Gratias agimus tibi domine Deus noſter omnipotens, qui es, & qui eras, qui accepiſti virtutem tuam magnam, & regnaſti. Tunc clariſſimè cognoſcemus, & cum præcordialiſſima gratiarum actione, confitebimur ad Dei honorem, quàm breue fuit omne tempus, quo pro tanta beatitudine domino maieſtatis, ſerui fuimus, quàm modicus labor, pro quo tam immenſa quiete hîc laborauimus, quàm parua ſatisfactio pro peccatis, per quam ad interminabilem, atque dulciſſimam illam æternitatis pacem peruenimus, quàm exigua pugna, per

Sapien. 3.

Malac. 4.

Apoc. 11.

quam ad victoriam ſecuriſſimam, nunquam finiendam perducti ſumus. Nunc igitur omni excluſo torpore, omni puſillanimitate abiecta, omni ſpreto faſtidio,
Matt 5. ad tantam beatitudinem feſtinemus, *&*
Prou.4. *quia beati mundo corde, quoniam ipſi Deum*
Sapien.7. *videbunt*, iam puritati cordis feruenter, ac fortiter ſtudeamus, *omni cuſtodia, cuſtodientes corda noſtra*, ab omni culpa, quoniam nihil inquinatũ intrabit in gloriam Dei.
1. Pet.2. Nunc quoque conemur futuram illam prælibare dulcedinem, & guſtare, quàm dulcis eſt dominus, quatenus eius ſuauitatem experti carnalia cõtemnamus, atque vt ad tam dulcem pertingere mereamur prægustum, ac diuinam experiri ſuauitatem: vitemus omnem cõſolationem inanem, & cunctam delectationem carnalem, ac in omnipotentis conſpectu ambulemus ſolicitè, proficientes quotidie in omni gratia & virtute.

Excitatio cordis ad appetendum inceſſabiliter, ac feruenter beatitudinem æternalem.

ARTICVLVS XII.

SErui Dei ſeruient illi, & videbunt faciem eius, & nomen eius ſcriptũ in frontibus ipſo-
Apoc.22. *rum, & regnabunt in ſecula ſeculorum. Quare*
Pſal. 41. *triſtis es, ô anima? ſpera in Deo, quoniam adhuc confitebor*

confitebor illi, qui eſt ſalutare vultus mei, & Deus meus, obiectū, cauſſa, & fons totius ſalutis meæ. Et nunc ô anima mea, quare mœrore conſumeris? *Nūquid Rex & Saluator, adiutor, & conſolator non eſt tibi? aut conſiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor?* Audi dicentem, conſulentem, & exhortantem. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* An non credis promittenti, qui ait: *Quoniam in me ſperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Clamauit ad me, & exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum: longitudine dierum replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.* Nónne ſumma, & ineffabilis veritas ait: *Omnis qui petit accipit, & quis quærit inuenit, & pulſanti aperietur* Sed aduerte & imple, quod hæc ipſa veritas iterum locuitur: *Oportet ſemper orare & non deficere.* Et rurſus: *Ora patrem in abſcondito*: Itemque: *Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum in ſpiritu, & veritate adorare oportet.* Hoc eſt, cum interna mentis recollectione ac diligenti attentione, atque in vera deuotione, aut ſaltem, cum propoſito & conatu vitandi omne peccatum: peccatores enim in propoſito peccandi manētes Deus nō audit, propter quod filius Dei dixit: *Non omnis,*

Pſal. 42.
Mich. 4.
Pſal. 49.
Pſal. 90.
Luc. 11.
Luc. 18.
Mat. 6.
Ioan. 4.

Ioan 9. *qui dicit mihi, domine, domine, intrabit in re-*
Matt. 7 *gnum cælorum, ſed qui facit voluntatem patris*
mei, qui in cœlis eſt. Non te conturbet ad-
uerſitas, neque tẽtatio te contriſtet: imò,
Iacob. 1. *omne gaudium exiſtima, cùm in varias tenta-*
tiones incideris, ſciens quòd probatio fidei tuæ
patientiam operatur. Hoc eſt, ad patientiam
te exercet. *Patientia autem opus perfectũ ha-*
bet, vt ſit perfecta & integra, in nullo de-
ficiens. Audi patrem cæleſtem te dulciter
Apoc. 3. conſolantẽ: *Ego quos amo arguo, & caſtigo.*
Act. 14. Ignoras quòd *per multas tribulationes opor-*
teat te intrare in regnum cælorum, & quòd om
nes qui volunt piè viuere in Chriſto, perſecutio-
nem patientur? *Nónne ipſummet Chriſtum Dei*
Luc. 24. *filium oportuit pati, & ita intrare in gloriam*
ſuam? Nónne hic mundus, & terra pere-
grinationis iſtius, eſt vallis lachrymarum,
locus exilij, & carcer, non patria electo-
rum? Neſcis quòd beati ſunt qui lugent,
Matt. 5. væ autem ridentibus. Nónne offendiſti
Luc. 6. Deum in multis, & quotidie ſæpe offen-
Iacob. 3. dis eum, qui peccata non patitur abire
Iob. 24. inulta? Flagella igitur domini patienter,
Iudith. 8. gratanterque ſuſcipe, & ea ad tuam e-
mendationem, nõ ad tuam perditionem,
prouenisse, cum pœnitentia & humili-
tate iugiter recognoſce. Itaque commu-
nicans paſſionibus Chriſti gaude, quate-
nus

nus in reuelatione gloriæ eius, & cum
ipſo æternaliter glorieris: quoniam quod
eſt honoris, & gloriæ, ac virtutis, ſuper
te requieſcet, ſi nunc in omni aduerſita-
te patiēs fueris. In Deo æternaliter exul-
tabis, *ſi nunc modicum oporteat contriſtari, in
varijs tribulationibus, vt probatio fidei multò* 1.*Pet*.1.
pretioſior ſit auro. Qui enim humilis, & pa- *Prou*. 19.
tiens fuerit, erit in gloria. Benedic Deo,
qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam, re- *Tob*.4.
generauit te in ſpem viuam, vt conſequaris, at- 1.*Pet*.1.
*que poſsideas hæreditatem incorruptibilem, in-
contaminatam, immarceſcibilem tibi in cœlo pa-
ratam, in qua exultabis lætitia inenarrabili.
Tunc videbis & afflues, & mirabitur & dila-* *Iſa*.60.
tabitur cor tuum, & præ plenitudine gloriæ
teipſam capere vix valebis. *Tunc gaudens* *Iſa*.61.
gaudebis in Domino, & exultabit mens tua, *Luc* 1.
*in Deo ſalutari tuo, cùm fecerit tibi tam ma-
gna Deus omnipotens*, quando induerit te *Eſa*.61.
veſtimento ſalutis, & adimpleuerit te iu- *Pſal*.15.
cunditate, cum vultu ſuo. In horum con- *Zach*. 2.
ſideratione, & ſpe, lauda Deum tuum, ô *Sophon*.3.
filia Sion, exulta in toto corde tuo filia *Pſal*.121.
Ieruſalem, quia dominus Rex in medio 2.*Cor*.5.
tui eſt, vt ſaluet te in æternum, nec vltrà 2. *Cor*.4.
timebis malum. Lætare in his quæ dico *Pſal*.26.
tibi, quia in domum Domini ibis, & in *Eccleſ*.9.
domum non manufactam, æternam in 1. *Cor*.15.
 cœlis,

cœlis,in qua id quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tr bulationis tuæ, operabitur in te æternum pondus gloriæ infinitæ. Idcirco expecta Dominum, viriliter age, & quicquid poteſt manus tua infatigabiliter age, quoniam labor tuus

2.Par.15. non erit inanis in domino, eritque merces,& merces copioſiſſima finem nõ habitura operi tuo. *Bonorum etenim operum*

Sapien.3. *glorioſus eſt fructus. Menſuram bonam, & con-*

Luc.6. *fertam, & coagitatam, & ſupereffluentem da-*

1.Ioan. 2. *bit* Dominus, *& Saluator tuus in ſinum tuum.*

Hebr.13. *Noli diligere mundum, & ea quæ mundi ſunt. Non enim hic habes manentem ciuitatem, ſed futuram inquiris, de qua ait vir ſanctus. Glo-*

Pſal. 86. *rioſa dicta ſunt de te ciuitas* Dei: *Sicut lætan-*

Hebr. 11. *tium omnium habitatio in te. Expecta igitur*

& 12. *ciuitatem fundamenta habentem, cuius artifex, & conditor* Deus. *Accede montem Sion, ad ciuitatem Dei viuentis Ieruſalem cæleſtem, ad multorum millium Angelorum frequentiam, ad Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cælis à iudice omnium* Deo,cui nũc ſeruias, cum metu & reuerentia, quoniam maledictus homo,qui facit opus altiſſimi ne-

Philip.13. gligenter.Hæc eſt vrbs ſacra Ieruſalẽ, de

Ierem.48 qua cecinit Iſaias Propheta:*Surge,illumi-*

Iſa.60. *nare Ieruſalẽ,quoniã venit lumẽ tuũ, & gloria domini ſuper te orta eſt. Et in te videbitur gloria eius.*

ei⁹. Nō audietur iniquitas in terra tua, vaſtitas & contritio in terminis tuis. Et occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio. Inſanit Iudæus infœlix, qui iſta exponit de terrena Ieruſalē, quam in aduentu ſui Meſſiæ expectat, quem ſcimus veniſſe, quia præfatis verbis glorioſus flos Prophetarum Iſaias ſubiungit: *Non erit tibi amplius ſol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ illuminabit te, ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuām. Non occidet vltrà ſol tuus, & luna tua non immi. nuetur, quia erit tibi dominus in lucem ſempiternam. Populus autem tuus omnes iuſti, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.* Hæc eſt ciuitas de qua Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi miſticè loquitur: *Erat ſtructura muri eius ex lapide iaſpide, ipſa verò ciuitas ex auro mundo, ſimili vitro mundo Fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata, & ſingulæ portæ eius ex ſingulis margaritis, & plateæ ciuitatis aurum mundum tanquam vitrum pellucidum. Et templum non vidi in ea, Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt, & agnus, & ciuitas non eget ſole neque luna. Nam claritas Dei illuminat eam, & lucerna eius eſt agnus. Non intrabit in illam aliquid coinquinatum, & faciens abomina*

Ibidem.

Apoc. 21.

abominationem & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ. Ad hanc glorioſiſſimam ciuitatem indeſinenter aſpira, ô anima.

Pſal. 15. *Certè funes ceciderunt tibi in præclaris.* Sit ergo tibi præclara hęc ciuitas, atque hæreditas tua cuius amore contemne carna-

Pſal. 141. lia & terrena *Portio tua in terra viuentium.*

Matth. 6. ibi theſaurus tu⁹, ibi propria ſunt glorioſiſſima ac incomparabilia, ac ineffabilia bona, quæ facilius potes mereri ac adipiſci, quàm in vita hac comprehendere, aut effari. Ecce aduentum tuum præſtolatur tota politia, tam ſummæ ac ſpecioſiſſimæ ciuitatis: imò Rex & Dominus eius expectat te, qui te tantò iucundius, tãtò benignius celeriuſque ſuſcipiet, quãtò in ei⁹ amore perfectior fueris: & quò

Iacob. 1. plura & grauiora pro eo pertuleris. Ideò

Ioſue. 18. in aduerſis quaſi in omnibus diuitiis glorieris. Vſquequo ô miſera anima, quãdiu marceſcis ignauia, nec acceleras ad intrandum terram hanc optimam, in qua nulli⁹ rei penuria eſt, quam tibi filius ſuo ſanguine comparauit, in qua mõtes ſtillant dulcedinẽ, & colles fluunt lac & mel?

Ioel. 1. Quid tu ſopore deprimeris? Surge & in-

Ionæ. 1. uoca Deum tuum, vt deducat te per vias

Sapiẽ. 10. rectas, & oſtendat tibi regnum ſuum, &

Roma. 8. tribuat tibi ſcientiam, ac ſalutem ſanctorum.

rum. Si compateris Chriſto, & conregnabis, ſi ſocia fueris tribulationis, ſocia eris conſolationis. Ibi fluminis impetus, id eſt copioſiſſima infuſio diuitiarum Spiritus ſancti, lætificat ciuitatem Dei. Videmus nunc Deum per ſpeculum in ænigmate, tũc autẽ videbimus eum facie ad faciem. Nunc cognoſcimus Deũ ex parte, & imperfectè, tunc verò cognoſcemus eũ perfectè, & clarè, ſicut cogniti ſumus à Deo. Repoſita ſit hæc ſpes in ſinu tuo, & crede videre bona Domini in terra viuentium. Atque in eius dilectione aſſidue profice, qui tam magnificè egit tecum.

2. Cor. 1. *Pſal. 45.* *1. Cor. 13.* *Iob. 19.* *Pſal. 26.*

De effectibus conſiderationis, ac deſiderij æternæ felicitatis.

ARTICVLVS XIII.

Apud te domine eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Dominus & ſaluator in exordio ſuæ prædicationis dicebat, *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Ex quo cõſtat, quòd conſideratio & affectus regni cœleſtis inducit hominem ad pœnitentiã peragẽdam. Nẽpe dum quis diligenter perpendit pro poſſe, quãta ſit gloria regni cœleſtis, dolet ſe demeruiſſe gloriã tãtam, & de ſuis pœnitet, confitetur, ac ſatisfacit peccatis, quatenus amiſſam fœlicitatem recuperet.

Pſal. 35. *Matth. 4.*

II. peret. Secundò conſideratio regni cœleſtis facit hominem tēporalia aſpernari, auaritiam deteſtari, & neceſſariis eſſe contentum, ſicut ex verbis Gregorij tactum eſt: Si conſideremus, quæ & quanta nobis promittuntur, in cœlis, vileſcunt animo omnia, quæ habentur in terris.
Philip. 3. Hinc dixit Apoſtolus, *Aeſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiā Domini noſtri Ieſu Chriſti, propter quod omnia arbitror, vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam*: nulla namque eſt comparatio terrenarum & temporalium atque carnalium rerum ad bona diuina, cœleſtia, & ęterna. Quid ergo tibi ô Chriſtiane cum iſtis ſenſibilibus & terrrenis, qui ab bona cœleſtia in-
III. uitaris? Tertiò conſideratio regni cœleſtis accendit hominem ad laborandum fortiter perſeuerāter, ac feruidè pro glo-
2. Para. 5. ria tanta, iuxta illud ſcripturæ. *Vos autem confortamini, & non diſſoluantur manus veſtra. Erit enim merces operi veſtro.* Hinc ait Apoſt. *Neſcitis quòd hi qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauiū?*
1. Cor. 5. *Et illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem vt incorruptam. Sic currite vt comprehendatis.* Si enim illi totis ſic viribus currunt pro corruptibili brauio, & parua ac breui corona, quamuis ſciant non niſi

vnum

vnum eorum accepturum eſſe brauium
curſus celerioris: quantò magis viam *Pſal.* 118.
mandatorum Dei currere debemus, pro
brauio ſempiterno & præmio glorioſo,
quod certum eſt vnumquemque curren-
tium eſſe ſumpturum? Et planè prorſus *Salute ve-*
eſt indignus tāta ſalute, qui pro ea renuit *ra quiſnā*
laborare hoc tempore breui, nec eius a- *indignus.*
more vult illicitas delectationes vitare.
Maxima iniuria datoris huius ſalutis eſt,
ſic paruipendere ipſum & eius promiſſa,
& vel lentè, ac tepidè, aut omnino non
quærere gloriam tantam. Quarto, conſi- IIII.
deratio regni cœleſtis retrahit hominem
à cunctis peccatis, in quantum ſunt im-
peditiua tantæ beatitudinis, quam quan-
tò feruentius quis affectat, tantò vehe-
mētius amittere eam formidat. O quàm
multa & horrenda facinora plurimi vi-
tant, ne temporalia damna incurrant,
præſertim ne occidantur: quantò magis
fugere ſemper debemus vniuerſa pecca-
ta, quantum fragilitas permittit huma-
na, ne vitam gloriæ amittamus, ne pre-
tioſiſſimis bonis æternæ fœlicitatis (quæ
eſt ſtatus omnium bonorum aggrega-
tione perfect⁹) priuemur. Hinc hortatur
Apoſtolus, Has ergo habentes promiſ- 2.*Cor*.7.
ſiones, mundemus nos ab omni inquina-
mento

mento carnis, & ſpiritus, perficientes,
V. ſanctificationem in timore Dei. Quintò, conſideratio iſta animat, & cõfortat nos ad repugnandum viriliter, & conſtanter aduerſariis noſtræ ſalutis, mundo, carni, & dæmonibus, quia vt ait Apoſtolus.
2. *Tim.* 2. *Non coronatur, niſi qui legitime certauerit.* Cùm enim tanta ſit merces huius victoriæ, iuſtiſſimum eſt infatigabiliter reluctari tentationibus & peccatis, & omni
Sapien. 3. hoſti ſalutis. Hinc in libro Sapientiæ legitur de electis: *In paucis vexati, in multis bene diſponentur, quoniam Deus tentauit illos, & inuenit illos dignos ſe. Ideò accipiẽt regnum*
Hebr. 12. *decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini.* Vnde hortatur Apoſtolus, *Non fatigemini animis veſtris. Nondum enim vſque ad ſanguinẽ reſtitiſtis, aduerſus peccatũ repugnãtes.* Hinc quoque Gregorius: Delectat (inquit) mẽtem magnitudo præmiorum, ſed non deterreat certamen laborum. Ad magna etenim præmia perueniri non poteſt, ni-
VI. ſi per magnos labores. Sextò, conſideratio gloriæ æternalis parit patientiam in aduerſis, facítque hominem omnem tribulationem & perſecutionem hilariter ac leuius ſuſtinere, cum tanta ſit fructuoſitas aduerſitatis, & tanta mer-
Matth. 5. ces patientiæ eius. Ideò loquitur Chri-
ſtus:

ſtus: *Beati eſtis cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſus vos mentientes, propter me. Gaudete in illa hora, & exultate; quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Septimò, conſi- VII.
deratio iſta accendit hominem in Dei amore, qui ſeipſum nobis promiſit in præmium obiectale, & ſuiipſi⁹ immedia- *Ioan.*14.
tam & claram viſionem, in præmiũ formale: qui ſe tam infinitè omnibus excellentiorem ac digniorem ex incomprehenſibili charitate, pietate, atque dignatione dignatur pauperculis ſuis creaturis tã immediatè, & proximè counire. Quemadmodum autem beneficia data, ſic & promiſſa pręſtanda inflammant ad amorem benefactoris, ac promiſſoris. O- VIII.
ctauò conſideratio iſta facit hominem humiliare ſeipſum, dum ad tam ſupernaturalem beatitudinem ſe conditum, & vocatum perpẽdit, ad quam ſe ex ſe omnino indignum, inſufficientem & impotentẽ eſſe cognoſcit, & ita intra ſe dicit. Vnde hoc tibi ô indigna viliſque creatura, ex omni parte defectuoſa, vt ad tantã beatitudinem ſis creata, ordinata, redẽpta, & inuitata? Facit etiam conſideratio hæc hominem eſſe ſollicitum, vt gratus ſit Deo, nec tantã negligat gratiam eius. *Hebr.* 2.

Ideo ait Apoſtolus: *Abundantius oportet nos obſeruare ea quæ audiuimus, ne forte pereffluamus. Quomodo enim effugiemus, ſi tantam*
Hebr. 12. *neglexerimus ſalutem?* Et denuo: Videte (ait) ne recuſetis loquentem. *Si enim illi non effugerunt, recuſantes eum, qui ſuper terram loquebatur, multò magis nos, qui de cælo nobis loquentem auertimus?* Vt ergo hi ſalubres effectus inueniantur in nobis, attendamus aſſiduè & prudenter, quanta ſit beatitudo, & gloria regni cœleſtis, ad quod conditi ſumus & vocati, imò ad quod omni die multipliciter inuitamur.

Exhortatio ad promerendum beatitudinem æternalem, & qualiter eam compendioſius promereri, & adipiſci poſſumus.

ARTICVLVS XIIII.

Col. 3. *QVæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.* Duo amores (vt S. aſtruit Auguſtinus) duas conſtituunt ciuitates. Quoniam amor Dei creſcens vſque ad contemptum ſui, ciuitatem conſtituit Dei, hoc eſt, Eccleſiam militantem, imò & triumphantem. Porrò amor ſui creſcēs vſque ad contēptum Dei, ciuitatē facit diaboli, Eccleſiā malignantium, regnum Babylonis & Antichriſti.

chriſti.Itaque amor infuſus,purus & ſpiritalis, quo ſuper omnia Deum diligimus,& noſipſos in Deo,origo eſt merendi, & fons omnis operis meritorij virtuoſi.Amor autem improbus ſui, qui eſt amor priuatus, & ad ſe inordinate reflexus, origo eſt omnium vitiorum. Qui igitur cupit copioſè proficere, celeriter perfici, & ad regnum cœleſte compendioſè perduci, ſtudeat ſeipſum in Deo amare, hoc eſt omnia illa optare, quærere & amplecti, quæ ſibi magis neceſſaria, aut vtilia ſunt ad complacendum Deo, & ad obtinendum beatificam viſionem ipſius, hoc eſt aduerſa & aſpera,& quæ afflictiua ſunt carnis,corripi & corrigi cupiat, contemni, irrideri, ac ferre iniurias nō dedignetur,ſed gaudeat.Deo reuerenter,ac feruide deſeruire non ceſſet,ſeipſum coram Deo,& proximis humiliet ſemper, omne tempus ſuum fructuoſè expendere delectetur. Ecce quātò quis iſtud adimpleuerit plenius, tantò manſuetior, patientior, humilior, feruentior, temperantior erit in omnibus. Improbum ergo, & priuatum amorem, quo carnales deliciæ, temporales diuitiæ propria commoda, & temporales honores amantur, & expetuntur

Amor infuſus origo omnis boni.

Amor priuatus origo omnis mali.

Amoris privati mala. funditus extirpemus de cordibus noſtris, quoniam falſus & peſſimus amor ille eſt caritatis venenũ, & per ipſum fit homo ſeruus diaboli, membrum Antichriſti, mancipium iniquitatis, ciuíſque Babylonis. Conſideremus quàm periculoſus, vitioſus, infectiuus, nociuus, atque damnabilis ſit amor iſte priuatus, qui trahit vſque ad Dei contemptum, & ad tranſgreſſiones præceptorum ipſius: ſicque amorem iſtum tamquam omnis perditionis cauſam, & formitem toto corde abhorreamus, & Deum indeſinenter precemur, vt tam maledictum amorem, & omnem carnalem affectũ omnino tollat

Deut. 6. de cordib⁹ noſtris, & ſua ſancta dilectio-
Mat. 22. ne, nos adimplere dignetur, quatenus
Matth. 2. Deum noſtrum propter propriã, puram,
Luca. 10. & infinitã bonitatem ipſius ſuper omnia
1. *Ioan.* 4. toto corde iugiter diligẽtes, & etiã ideò quoniam ipſe prior dilexit nos, & quia præcepit hoc ipſum, ac demum propter beneficia atque promiſſa ipſius, ad beatificam eius viſionem recto itinere inceſſanter tendamus, ſicque ex ipſo, per ipſum, & in ipſo, iam viuam⁹ per gratiam, & in futuro per gloriam. Nempe, vt in meditationib⁹ ſuis ſanctus pater Bernardus fatetur) beatitudo noſtra, ac præmiũ

noſtrum

noſtrum eſt Deum videre, cum Deo viuere, ex Deo, & in Deo vitam habere, eſſe cum Deo, & eſſe in Deo, qui erit omnia in omnibus, & vbi eſt ſummum bonum, ibi ſúmma fœlicitas, ſumma iucũditas, vera libertas, perfecta caritas, æterna ſecuritas, ſecura æternitas. In ipſo eſt vera lætitia, plena ſcientia, omnis pulchritudo, omnis beatitudo, ibi pax ſempiterna, pietas, bonitas, lux, virtus, honeſtas, dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amicitia glorioſa, & concordia dulcis. Quæ ergo nos angit, & impellit veſania, ſitire vitiorum abſynthiũ, ſequi huius mundi naufragium, vitæ labentis infortunium pati, impiæ tyrãnidis ferre dominium, & non potius conuolare ad ſanctorum felicitatem, ad angelorum ſocietatem, ac ſolennitatem ſupernæ lætitiæ, ad iucunditatem vitæ contemplatiuæ, vt poſſimus intrare in potentias domini, & videre ſuperabundãtes diuitias bonitatis ipſius. Ibi videbimus gloriæ decorem, ſanctorum ſplendorem, & regiæ poteſtatis honorem. Cognoſcemus patris potentiam, filij ſapientiam, Spiritus ſancti benigniſſimam prorſus clementiam, ſicque habebimus totius benedictæ ac ſummæ Trinitatis notitiã.

Beatitudo noſtra quæ.
1. Cor. 6.
Pſal. 70.
Iſa. 33.

O quam beatiſſima viſio, videre Deum in ſeipſo, videre eum in nobis, & nos in eo. Hæc erit ſumma felicitas, quoniam intelligitur in ſuo puro eſſe ſynceriſſima deitas, comprehendetur incomprehenſibilis Trinitas, & patebunt deitat s arcana. Hæc viſio ac delectatio totum cor hominis replens & ſatians, erit tota illius beatitudinis conſummatio. Vna erit ibi omnium lingua, iubilatio indefeſſa, vnus affectus, idem effectus, æterna laudatio. Ibi angelorum & hominum vnum eſt gaudium, vnum colloquium, vnum conuiuium. Illuc feſtinare debemus, vbi fœliciter ſine fine viuemus. Si intantum amamus hanc vitam miſeram, lab lem, incertam, caducam, in qua cum tanto periculo, labore peccatóque viuimus: multò magis amare debemus vitam illam, in qua cum ſumma ſecuritate, quiete & puritate in æternum viuemus. Qualis putatis erit tunc ſplendor animarum, quando ſolis ſplendorem habebit lux corporum in regno patris iuſtorum? Hoc eſt regnum regnorum, regnum omnium ſeculorum, patria electorum. De qua in legenda beatiſſimorum ſanctiſſimorúmque martyrum Epictici preſbyteri & Aſtionis monachi legitur. Poſſeſſio beatorum

Societas ſuperna qualis.

Mat. 13.

Pſal. 144

rum

rum paradiſus vocatur, quorum taberna-
cula ex lumine ſunt conſtructa, quorum
vita Deus eſt, & conuerſatio immortalis
exiſtit, in quorum capitibus ſunt coronæ
ex auro puriſſimo ac variis gẽmis, quo-
rum Imperator & Rex eſt Deus Deorũ,
cuius miniſtri ſunt Angeli lucis, & ſena-
tus regis illius præclarus eſt, cuius media
pars ſunt Prophetæ, alia verò Apoſtoli.
Porrò nomen ciuitatis Chriſto polis, in *Pſal.38.*
qua ſtat vir quidam mirificus Dauid, ha-
bens Pſalterium decem chordarum, qui
commorantes in ciuitate illa iugiter ex-
citat ad laudem regis ipſius: dicens: ***Lau-***
date dominum de cælis, laudate eum in excelſis.
Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum *Pſal.48.*
omnes virtutes eius. Itaque ad hanc beatiſ-
ſimam cæleſtis paradiſi politiam ferui-
diſſimè aſpiremus: atque vt ad eam fœ-
liciter pertingere valeamus, nouiſſima
noſtra de quibus hucuſque tractatum
eſt, ſapienter & aſſiduè meditemur. Ad
laudem & gloriam omnipotentis,
qui eſt ſuper omnia Deus ſu-
blimis & benedictus,
Amen.

✝

TYPOGRAPHVS LECTORI.

NON iniucundum nec inutile futurum tibi ſperauimus (Pie lector) ſi in fine huius operis, in quo religioſiſſimus Doctor Dyoniſius Richel Cartuſianus de gaudiis beatorum doctiſſimè & religioſiſſimè oratione ſoluta cõmentatus eſt, hîc tibi concentu quodam metrico Diui Auguſtini * hymnum de gloria paradiſi inſererem: vt magis ac magis ad eam toto pectore & animo deſiderandam, & fide, & ſpe, & caritate cum Chriſti Domini noſtri gratia aſſequendam inflammareris. Vale.

** Siue vt fertur Petri Damiani cardinalis Hoſtiẽſis.*

HYMNVS DE GLORIA PARADISI,

Ex Cap. XXIII. Meditationum. D. Auguſt.

Numeri ſũt lege ſoluti, ad imitationẽ carminis trochaici tetrametri catalectici.

AD perennis vitæ fontem mens ſitiuit arida,
Clauſtra carnis præſtò frãgi clauſa quærit anima,
Gliſcit, ambit, eluctatur exul frui patria,
Dum preſſuris ac ærumnis ſe gemit obnoxiam,
Quam amiſit cum deliquit contemplatur gloriam:
Præſens malum auget boni perditi memoriam.

Nam

Nam quis promat ſummæ pacis quanta ſit lætitia?
Vbi viuis margaritis ſurgunt ædificia,
Auro celſa micant tecta radiant triclinia,
Solis gemmis precioſis hæc ſtructura nectitur,
Auro mundo tamquam vitro vrbis via ſternitur,
Abeſt limus, deeſt fimus, lues nulla cernitur.
Hiems horrens, æſtas torrens illic, numquam ſæuiunt,
Flos perpetuus roſarum, ver agit perpetuum,
Candent lilia, rubeſcit crocus, ſudat balſamum.
Virent prata, vernant ſata, riui mellis influunt,
Pigmentorum ſpirat odor, liquor & aromatum,
Pendent poma floridorum non lapſura nemorum.
Non alternat Luna vices, Sol vel curſus ſyderum,
Agnus eſt fœlicis vrbis lumen innocciduum.
Nox & tempus deſunt ei, diem fere continuum,
Nam & ſancti quique velut Sol præclarus rutilant,
Poſt triumphum coronati mutuo coniubilant,
Et proſtrati, pugnas hoſtis iam ſecuri numerant.
Omni labe defæcati, carnis bella neſciunt,
Caro facta ſpiritalis, & mens vnum ſentiunt,
Pace multa perfruentes ſcandala non perferunt.
Mutabilibus exuti, repetunt originem,
Et præſentem veritatis contemplantur ſpeciem:
Hinc vitalem viui fontis hauriunt dulcedinem,
Inde ſtatum ſemper iidem exeuntes capiunt,
Clari, niuidi, iocundi, nullis peccant caſibus.
Abſunt morbi ſemper ſanis, ſenectus iuuenibus,
Hinc perenne tenent eſſe, nam tranſire tranſiit.
Inde virent, nigent, florent, corruptela corruit,
Immortalitatis vigor atræ mortis ius abſorbuit.
Qui ſcientem cuncta ſciunt, quid neſcire nequeunt?
Nam & pectoris arcana penetrant alterutrum,
Vnum volunt, vnum nolunt, vnitas eſt mentium:
Licet cuique ſit diuerſum pro labore meritum.
Caritas hæc ſuum facit, quod dum amat alterum.

Proprium ſic ſingulorum commune fit omnium,
Vbi corpus, illic iure congregantur aquilæ
Quo cum angelis & ſanctæ recreentur animæ.
Vno pane viuunt ciues vtriuſque patriæ,
Auidi, & ſemper pleni, quod habent, deſiderant,
Non ſatietas faſtidit, neque fames cruciat,
Inhiantes ſemper edunt, & edentes inhiant.
Nouas ſemper harmonias, vox meloda concrepat,
Et in iubilum prolata mulcent aures organa,
Digna, per quem ſunt victores, regi dant præconia.
Fœlix, cæli quæ præſentem regem cernit anima,
Et ſub ſede ſpectat alta orbis volui machinam.
Solem, Lunam, & globoſa cum planetis ſydera.
Chriſte palma bellatorum hoc in municipium,
Introduc me poſt ſolutum militare cingulum.
Fac conſortem donatini beatorum ciuium,
Probes vires inexhauſto laboranti prælio,
Vt quietem poſt precinctum debeas emerito,
Teque merear potiri ſine fine præmio. Amen.

Finis quartæ partis libri de quatuor nouiſſimis.

Deo Ieſu Chriſto, æterni Dei æterno filio, laus & gloria.

D. DI O

D. DIONYSII CAR-THVSIANI COLLOquium ſiue dialogus, de particulari iudicio animarum poſt mortem.

PROOEMIVM.

OMNES *nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque prout geſſit, ſiue bonũ, ſiue malum.* 2.Cor.5.
Inter ſapientes (vel potius inter fatuos) ſæculi huius fuerũt nonnulli, putantes & aſſerentes Deum ſummum bonum non habere prouidentiam actuum humanorum, nec eſſe hominum prouiſorem, imò nec inferiora atque mortalia iſta cognoſcere, & per conſequens non eſſe iudicem hominũ, *Deum nõ*
neque poſt vitam hanc fieri vltionẽ cul- *habere re-*
parum vitæ præſentis: quorum perfidus *rum hu-*
ac ſceleratiſſimus error, timorem Dei *manarum*
prorſus excludit & irrefrænatam præſtat *prouiden-*
peccandi audaciã. Denique tantus error *tiam im-*
à primo illo impiiſsimo Cain ortum & *piiſsima*
occaſionem ſumpſiſſe videtur. Ionatham *hæreſis.*
nãque, cuius trãſlatio Chaldaica præci- *Gene.4.*

cipuæ

cipuæ eſt auctoritatis apud Hebræos, teſtatur ipſum Cain dixiſſe in agro ad fratrẽ ſuũ, ſanctum innocentemq; Abel, Nõ eſt iuſtitia neque iudex, nec ſeculũ aliud, nec remuneratio iuſtis, nec punitio impiis. Cúmque Abel renuiſſet hęc omnia, conſurrexit Cain & occidit eũ. De huius erroris nequiſsimi execrãdis cultoribus

Pſal.72. fertur in Pſalmo, *Dixerunt, quomodo ſcit*

Eze. 8.9. *Deus? & ſi eſt ſcientia in excelſo?* Apud Eze-

Iob. 22. chielem quoque dicunt: *Nõ videt nos Dominus, dereliquit Dominus terram.* Vnde & in lib. Iob inquiritur, *An cogitas, quod De⁹ excelſior cælo ſit? nec noſtra conſiderat, & circa cardines cæli perambulat?* Cùm itaque error iſte prauiſsimus periculoſiſsimúſque cõſiſtat, ſacra & diuina ſcriptura ipſum ſæpiſsime atque clariſsimè reprobat & cõdemnat in vtriuſque teſtamenti codicibus ſerioſiſsimè, ac frequentiſsimè clamans, quòd Deus altiſsimus vniuerſorũ creator omnipotẽs cuncta & ſingula perfectiſsimè intueatur agnoſcat, ꝓuideat, ſingulariter quoque curam, ac prouidentiã habeat rationaliũ creaturarũ, quibus per tẽporũ interualla legẽ donauit multiplicem: primò videlicet naturalẽ, deinde ſcriptã, & tertiò euangelicam. Propter quod in libr. Iob rectè de ipſo aſſeritur:

Ecce

Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua, & nul- *Iob.* 36.
lus ei ſimilis in legiſlatoribus, de quo & Iſaias *Iſa.* 35.
ſatetur, *Dominus iudex noſter, Dominus le-
gifer noſter, Dominus rex noſter, ipſe veniet &
ſaluabit nos.* Hic Dominus à ſanctis pro-
phetis promiſſus, & à beatiſſimis Apoſto- *Dominus*
lis toti mundo notificatus, eſt vnigenitus *à prophetis*
filius Dei, verbum patris æterni, virtus *prædictus*
& ſapientia genitoris illius: à quo omnis *eſt Ieſus*
paternitas, omnis fœcũditas, omniſque *Chriſtus.*
cauſalitas in toto vniuerſo manauit, no-
minatur, ac data eſt: qui vt Euangeliſta
diſſeruit, *omne iudicium dedit filio ſuo Domi-* *Ioan.* 5.
no noſtro Ieſu Chriſto, cuius metuendiſsimo
tribunali nos omnes præſentari & aſtare
oportet, vt iudicemur ab ipſo, ſicut & Sa- *Eccl.* 12.
lomon loquitur: *Cuncta quæ fiunt adducet
Deus in iudicium pro omni errato, ſiue bonum
ſit, ſiue malum.* Præterea docet nos ſacra *Duplici*
ſcriptura diuinitus inſpirata, quòd dupli- *iudicio*
ci iudicio iudicet Deus glorios⁹, & iuſtus *Deus iu-*
genus humanum, vtpute iudicio particu- *dicabit ge*
lari in obitu ſingulorum, & iudicio gene- *nus huma*
rali in fine mundi. Porrò, de generali illo *num.*
iudicio multa pandit ſcriptura, & de eo-
dẽ ſancti patres, Catholicíque doctores
copioſè, ac euidenter ſcripſerunt, puta
de loco eius & tempore, de iudicis viſibi-
li apparitione, de ſignis quæ eius præce-
dent

dẽt aduentũ, & qualiter cũ vniuerſis ciuibus regni cæleſtis deſcendet, de multiſque aliis. Verum de particulari prætacto iudicio, nec ſcriptura, neque doctores tam diffusè & clarè inueniuntur locuti, videlicet qualiter fiat, & quo loco ac tempore: hoc eſt, an anima adhuc exiſtẽte in corpore, an in eius egreſſu, an poſt egreſſum: & vbi, vel qualiter, ſeu per quos iudici præſentetur, qualiter etiam tot animæ omni penè hora iudicentur particulariter, ac ſigillatim à iudice ſummo, quid itẽ de infideliũ iudicio animarum ſit ſentiendum. Hinc de omnibus his quidam religioſus frater ſpiritaliter mihi carus, cupiens edoceri, paruitatẽ meam iam diu, ac inſtanter precatus eſt, vt de his pro conſolatione, & ædificatione ipſius aliquid ſcribam: cuius tam piæ & humili petitioni, quantũ donauerit dominus, ſatisfacere opto, præſertim cum & ipſe in multis mihi aſsiduè tam caritatiuè, ac promptè obſequioſus exiſtat, imò & toti corpori fraternitatis. Sed quoniam ea, quæ per modum ſcholaſticæ inquiſitionis, ac reſponſionis cõſcribuntur, ac ponũtur, magis conſueuerũt oblectare, & clarius informare, propono in iſto tractatulo, ſub dialogi forma

pro

procedere, prætacto fratre quærente & opponente, me autem pro viribus reſpondente. Poſtremò, ne determinata nominum noſtrorũ expreſsio quemquã offenderet, aut temerarij occaſionem iudicij miniſtraret, decreueram tam fratrẽ memoratũ, quàm me, propriis ſuppreſſis nominibus, per communia quædã deſignare vocabula. Veruntamen aliunde rationabiliter (vt confido) perſuaſus, propria me appellatione deſignabo. De me quidem iam ſatis vulgatum eſt, quòd plurima ſcripſerim, non obſtante proh dolor imperitia mea, imò & conuerſatione nimium defectuoſa. Vnde etſi hìc nomen meum proprium exprimatur, nõ ex hoc nouus de me rumor gignetur. Itaque ab inquiſitionibus fratris prætacti præſens opuſculum inchoetur.

Quæſtiones fratris circa prologum præinductum, & reſponſio ad eaſdem.

ARTIC. I. FRATER.

HAnc ſponſionem tuam iam tactam, qua polliceris te inquiſitionibus meis reſponſurum pro viribus, cum ingenti gratiarum actione accepto, ô præclariſſime frater. Verumtamen præconiis, quæ tetigiſti de me, indignum me fateor, ſed hoc tuæ eſt bonitatis, bene

ſentire

ſentire de aliis. Verùm, ne ex non intellectis progrediar ad ea quæ reſtant, ad dubitationes mihi occurrẽtes circa prologum introductum, deprecor mihi reſponderi in primis. DIO. Confidenter interroga, quia hoc ipſum ſtudioſitatis eſt ſignum. Nam vt ait ſcriptura, *Auris bona*
Eccleſ.3. *cum omni concupiſcentia audiet ſapientiam.* Atque vt loquitur Origen. ex eodem ſapientiæ fonte procedit prudenter interrogare & conuenienter reſpõdere. Iunioribus quoque quamuis eruditis, potius cõuenit audire & interrogare, quàm vel-
1.Cor.1. le inſtruere. Ad quòd inſinuãdum ſapien-
Luc.2. tia Dei patris Chriſtus Domin⁹ cùm duodecim erat annorum, in medio ſedit doctorum; audiens atque interrogans illos.
FRA. Cùm iuxta contenta in prologo, duplex exiſtat iudiciũ, quo homines iudicantur à Deo, videlicet particulare in obitu ſingulorum, & vniuerſale in termino ſeculorum, de quo horum iudiciorum intelligenda ſunt verba Apoſtol. aſſump-
2.Cor.5. ta pro themate: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti.* DIO. Quamuis hæc verba communius exponantur de generali illo iudicio, in quo vniuerſi & ſinguli homines corporaliter ac viſibiliter apparebunt ante tribunal Chriſti,
tunc

tunc corporaliter ac viſibiliter apparituri ac iudicādi, nihilominus poſſunt hæc verba de iudicio quoque particulari intelligi, quemadmodum & id quod ad Rom. idem ſcribit Apoſt. *Omnes* (inquiens) *ſtabimus ante tribunal Chriſti*, & item quod ait Hebr. *Statutum eſt omnibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium*. FRA. Cùm tribunal Chriſti ſit, vbi & in quo reſidet Chriſtus omnium iudex, ſi in particulari quoque iudicio manifeſtabimur, & ſtabimus ante tribunal Chriſti, ergo in particulari ſuo iudicio vnuſquiſque credentiũ perducetur vſque ad perſonalem Chriſti præſentiam: cúmque ad dexteram patris reſideat in ſummo cœli empyrei loco, vnuſquiſque credentium tempore mortis ſuæ deducetur ac introïbit (ſaltem quantum ad animam ſuam) cœlum empyreũ, ſeu regnum illud vſque ad Chriſti cõſpectum, cùm tamẽ in Apoc. dicatur, *Non intrabit in illud aliquid coinquinatũ*. DIO. Dominus & ſaluator Chriſtus, qui in vnitate perſonæ eſt verus Deus & verus homo, ſecundum deitatis ſuæ naturam verè vbique eſt: porrò, ſecũdũ ſuã aſſumptam humanitatem nunc plenè glorificatã, competit ei eſſe in cœlo empyreo: quãuis ex parte propriæ quantitatis dicatur eſſe ibi

Rom. 14.

Hebr. 9.

Apoc. 21.

Chriſtus vt Deus vbique eſt vt homo in cælo empyreo, & in Eucharistiæ ſacramẽto

duntaxat, ſeu vno in loco, tamē ex vi conuerſionis panis & vini in corpus & ſanguinē eius, etiam realiter eſt in ſacramen to altaris: tamen ſecūdum naturam ſuam aſſumptā, non eſt vbique realiter, quamuis per poteſtatem & iuriſdictionem ſibi conceſſam poſſit dici eſſe vbique, quem-
Mat. 28. admodum ait: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.* Qualiter autem, & vbi, ac quando animæ morientium Chriſto iudici manifeſtentur, præſententur & corā ſtent, infrà plenius inquiretur, cum iſtud ſit principale huius intentū opuſculi. Idcirco pro nunc reſponſione hac eſto contentus. FRA. Interim ſic contentor, ſed quid per tribunal Chriſti intelligendū ſit, quæſo expone. DIO. Quemadmodum in communi vſu loquendi, per apoſtolicā ſedē deſignatur pontifex ſummus ſeu pontificis ei⁹ ſumma auctoritas aut poteſtas, ita per Chriſti tribunal datur intelligi Chriſtus omniū iudex ſeu iudiciaria eius poteſtas. Propter quod Haymo ait: Stabimus ante tribunal Chriſti, id eſt, ante iudicem Chriſtum: & dicitur hoc ipſum à ſimili. Tribunal enim ſedes eſt iudicum, quæ in ſublimi locatur, vt iudex ab omnibus videatur, & iudex ipſe ex loco eminēti omnes valeat intueri. Ita & Chriſtus quaſi

quaſi in tribunali ſedebit, qui & ab vniuerſis videbitur, omniumque cōſcientias cernet, & cauſas diiudicabit. FRA. Cùm Chriſtus inquantū homo, ſit verè corporalis, corporalitérque ſit in loco, per proprias ſui corporis dimenſiones, poſſétne per Chriſti tribunal corporalis locus, materialéve ſoliū reſidētię ſuę intelligi? IO. De loco Chriſti corporeo exponitur vno modo id, quod ipſe teſtatur in Apoc. *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum patre meo in throno eius*, hoc eſt, in regno cælesti in cœlo empyreo, de quo loquitur in Iſaia: *Cœlum mihi ſedes eſt*. Apoſtolus quoque: *Adeamus* (inquit) *cum fiducia ad thronum gratiæ eius*. Deniq; iuxta hūc ſenſum, tribunal Chriſti, poſſet intelligi locus ille in aëre, vbi ſedebit in die nouiſſimo, ad iudicandum omne hominum genus. FRA. Allegaſti in prologo, quod ſcriptū eſt in Euāgelio, *Pater omne iudiciū dedit filio*. Quid ergo eſt, ꝙ ipſemet filius in Euāgelio proteſtatur, loquens Iudęis: *Vos ſecundùm faciem iudicatis, ego non iudico quemquam*, & rurſus: *Qui audit verba, & non cuſtodit ea, ego non iudico eū. Non enim veni vt iudicem mundum, ſed vt ſaluificē mūdum*. Quod etiā alibi, ita exprimitur: *Non miſit Deus filium ſuū in mundum, vt*

Apoc.3.
Iſa.66.
Hebr.4.
Ioan.5.
Ioan.8.
Ioan.11.
Ioan. 8.

iudicet mundũ, ſed vt ſaluetur mũdus per ipſum.
DIO. Harum & conſimiliũ auctoritatum eſt vna ſolutio. Quemadmodũ enim eſt duplex Chriſti aduentus, videlicet primus in paupertate & humilitate, & ſecũdus in maieſtate & gloria, ita eſt duplex iudiciũ.
Zach.9. Vnum eſt iudicium diſcretionis, quo inter bonum & malum, inter verum & falſum, inter electum & non electum diſcernitur: atque aliud retributionis, ſeu remunerationis, quo vnicuique iuſta merces rependitur. Itaque Chriſtus in primo ſuo aduentu nõ venit, vt iudicaret iudicio remunerationis, imò magis, vt iudicaretur, & patiẽtiſſimè omnia ferret, ſed ad exercẽdum tale iudicium veniet in die extremo. Verumtamen in primo ſuo aduentu venit exercere iudiciũ diſcretionis, quia tunc inter electos reprobóſque diſcreuit, quoſdam miſericorditer vocando, & cõuertẽdo, alios iuſtè derelinquẽdo, impiorum quoque vitia arguendo, & viam inſtruendo ſalutis. Propter quod apud Ioan.
Ioan.12. dixit: *Nunc iudicium eſt mundi, quod quaſi exponens, adiecit: Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Ex tunc etenim miſſo deſuper Spiritu ſancto, cœperũt in toto orbe terrarum innumerabilia millia hominum conuerti ad Dominum Deũ, de quorum cordi

cordibus eiiciebatur diabolus. FRA. Si Chriſtus filius Dei in primo ſuo aduentu non exercuit iudicium remunerationis, quis ergo iudicauit eos, qui obierunt in ſeculo iſto tempore primi aduentus Chriſti, omnique tempore, quo inter homines in hoc mundo conuerſabatur? DIO. Ille vtique, qui ab exordio mundi vſque ad primum Chriſti aduentum iudicauit morientes in mundo hoc, vtputa verus Deus, pater, filius & Spiritus ſanctus, vnus vniuerſorum creator, iudex, ac Dominus: quia in tribus ſupergloriofiſ, & ſuperbenedictis perſonis eſt vna natura, adorandæque Trinitatis operationes ad extrà ſunt indiuiſæ: ſicque CHRISTVS, vt Deus ſemper fuit omnium iudex, per remunerationem. Porrò, præhabita ſunt dicta de ipſo, ſecundum naturam aſſumptã. FRATER. Si vniuerſi, ac ſinguli iudicantur à CHRISTO, dum moriuntur, quid neceſſe eſt ponere aliud futurum generale iudicium, cùm teſte Naum Propheta, *non iudicet Dominus bis in idipſum*? *Naum 1.*
DIONYS. Interim ſinguli iudicantur quantum ad animam, tunc quo ad corpus & animam. Huius tamen rei ſunt aliç rationes, quæ ab Alexandro de Hales, ſancto Thoma, & aliis aſſignantur, & in-

ſtrà forſan tangentur. Sed iam ſi placet, ab his, & huiuſcemodi quæſtionibus ceſſa, quatenus principale aggrediamur propoſitum: quo completo, incidentalia, & occurrentia proponantur.

De loco ac tempore particularis iudicij animarum credentium.

ARTICVLVS II.

FRATER.

DE iſto potiſſimè cupio informari, vbi & quando iudicentur à Chriſto animæ morientium ſingulorũ. Nam verba ſanctorum multorum, viſiones quoq; & reuelationes, quàm plurimum videntur prætendere, quòd animæ non iudicantur à iudice ſummo, niſi poſt egreſsũ earũ de corpore, quod & ſanctus Papa Gregor. 4. Dialogorũ videtur ſentire: & item quòd Angeli boni, ac mali animas Chriſto repræſentent ad iudicandum, quaſi animæ deferrentur in cœlum ad conſiſtorium Dei, vt iudicentur ibidem. DIO. De iſta materia non niſi valde cautè, & ſobriè eſt loquẽdum, atque ab omni temeraria aſſertione prorſus eſt præcauẽdum. Idque in primis pro certo tenendũ, quòd animarũ remuneratio non differtur, vſq; ad

Animas non remunerari ante diem iudicij error eſt Græcorum.

ad diem generalis iudicij, prout quidam
hæretici, imò & multi Græcorum dicere
præſumpſerunt: quorum errorem docto-
res ſuper quartum Sententiarum, & ſpe-
cialiter ſanctus Thomas in Summa con-
tra Græcos, euidenter, & plenè reproba-
runt. Hoc ergo errore abiecto, ſcrutan-
dum an credentium animæ iudicentur à
Chriſto, dũ adhuc in corpore ſunt, an poſt
egreſſum de corpore. Quocirca ſciẽdum,
quòd Innocentius Papa tertius, in libro
ſuo de miſeria conditionis humanæ, vi-
detur ſentire, quòd animæ dum adhuc in
corpore ſunt, iudicantur à Domino, ita
quòd ante egreſſum de ſuis corporibus
ſciunt, quò pergent: hoc eſt, an erunt ſal-
uatæ, an cõdemnatæ. Ait quippe ibidem
Innocentius Papa. Quatuor dolores pa-
tiuntur mali in morte: Primus eſt corpo-
ralis anguſtia, tam grauis & magna, quòd
in hac vita non eſt dolor ei ęqualis. Secũ-
dus dolor eſt, quando corpore iam plenè I.
defatigato viribuſque exhauſto, anima II.
clarè, & ſubitò videt omnia ſua peccata
præterita. Tertius eſt, quando anima in- III.
cipit iam iuſtè diiudicari, & vniuerſa ac
ſingula inferni tormenta ſuis iniquitati-
bus debita ſibi conſpicit imminere. Quar- IIII.
tus, dum anima impij adhuc in corpore

Dolores quatuor patiuntur mali in morte.

poſita, videt ſpiritus malignos ad rapiendũ ſe paratos. Inſuper clarius loquens ait: Quatuor leguntur aduentus Chriſti: Primus ad iudiciũ, ſecundus in obitu cuiuſlibet fidelis, tertius in carne, quart⁹ in mẽte. FRA. Quid circa hoc ſentis? DIONYS. De tã ardua, & ſublimi materia, nequaquam volo aliquid ex meipſo aſſerere, neque de corde proprio vaticinari: quid verò de his, ſecũdum ſanctorum patrum, & authẽticorum doctorum traditionem, imò & ſecundum ſcripturam canonicam, & iuxta reuelationes, ac viſiones deſuper (vt piè creditur) factas, tenendum ſit, diligenter inferius introducam. FRATER. Legiſti aliquos doctores præfatũ dominum Innocentiũ, in materia iſta ſequentes? DIONYS. Hucuſque neminem legi, niſi quidam venerabilis, & deuotus pater ordinis noſtri frater Ludolphus, in tertio volumine, de vita domini Saluatoris, cap. 46. ſic ſcribit: Qualem dominus in morte quemquam inuenerit, talem illum in die iudicij iudicabit, qui etiam in morte iudicium ſuum cognoſcit. Vnuſquiſque enim Chriſtianus, in morte Chriſtum videbit, & tunc cognoſcet, an de electis vel damnatis ſit. Vnde Lotharius, qui poſteà Innocentius tertius dictus eſt,

4. Chriſti aduentus.

eſt,in libro de miſeria conditionis humanæ ſic ait: Videt tam bonus, quàm malus, antequam anima egrediatur à corpore, Chriſtũ in cruce poſitum: malus ad ſuam erubeſcentiam & confuſionem, vt erubeſcat ſe non eſſe redemptum ſanguine Chriſti, ſua culpa exigente, vnde de malis dicitur: *Videbunt, in quẽ pupugerunt*, quod intelligitur de aduẽtu Chriſti ad iudiciũ, & de aduentu eius, ad diem mortis. Bonus verò videt ad exultationem. Vnde & CHRISTVS de Ioanne Euangeliſta teſtatur: *Sic eum volo manere, donec veniam*, ſcilicet ad obitum eius. Quatuor nanque leguntur aduentus Chriſti ad homines, duo videlicet viſibiles, & duo inuiſibiles. Primus aduentus viſibilis, fuit in carne, alter erit in maieſtate ad iudicãdum. Primus aduentus inuiſibilis fit in mente iuſti per gratiam. Secundus aduentus inuiſibilis, eſt in obitu cuiuſlibet fidelis. Vnde dicitur obitus, quoniam obuiam venit Chriſto. Hos quatuor aduentus repręſentat Eccleſia in quatuor dominicis de aduentu, non ſolum numero dierum, ſed etiam ratione officiorum. Hæc omnia ſumpſit, & allegat Ludolphus ex præfato Innocentij libro, aliqua tamen omittit. Nam ad probandum quòd Chriſtus

Zach.12. *Apoc. 1.* *Ioan.19.* *Ioan.21.*

in morte appareat ſingulis, Innocentius addit: Et hoc habemus ex verbis Apoſto-
1 Cor. 1. li, qui ait: *Vſque ad diem aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti*, id eſt, vſque ad diem mortis, quādo apparet, tam bonis, quàm malis, Chriſtus in cruce poſitus. FRAT. Videntur tibi præallegatæ auctoritates ſcripturę ſatis probare propoſitum? DIONYS. Auctoritates iſtæ ab expoſitoribus catholicis atque authenticis aliter exponuntur ad literam, idcirco prætacta earum applicatio, non ſatis probat intentum, prout hoc infrà in ſpeciali oſtendam articulo. FRATER. Quid ſentis de hoc quod Innocentius aſſerit, & Ludolphus allegat, CHRISTVM in cruce poſitum ſingulis credentibus apparere in morte, antequam animæ egrediantur de corpore? an doctores alij communiter id affirmant? DIONYS. Quid circa hoc videatur dicendum, infrà diligenter ſcrutabitur. In nullo quoque doctore alio legi hoc, niſi in deuoto quodam tractatulo de arte moriendi, compoſito à magiſtro Gerando Rondelli, doctore Theologiæ, decano Leodienſis Eccleſiæ nuper defuncto, qui ex Innocentio, hoc ipſum allegat, ac tenet. FRATER. Precor proſequere, & deſcribe, quid de propoſita

quæſtio

quæſtione, atque materia, ſecundum doctores authenticos, & famoſos, potius ſit tenendum.

De particulari iudicio animarum, ex dictis beati Thomæ.

ARTICVLVS III.

SVper quartum Sententiarum, diſtinctione viceſima, mouet ſanctus Thomas hanc quæſtionem: Vtrum in extremo, ſeu vltimo vitæ ſuæ, poſſit aliquis pœnitere. In cuius ſolutione inter cætera dicit: *Deus qui dat omnibus affluenter*, nulli ſuam denegat gratiã, dummodo faciat, quod in ſe eſt, ſe ad gratiam præparando. Præparatio autem ad gratiam fit per motum liberi arbitrij. Idcirco quamdiu manet homini vſus liberi arbitrij in hac vita, tamdiu poteſt pœnitere, & veniam obtinere. Talis autem vſus liberi arbitrij manet homini, vſque ad vltimum vitæ præſentis, quia in ea liberum arbitrium, non eſt confirmatum in malo: ideò vſque ad extremum vitæ, poteſt vnuſquiſque ſalubriter pœnitere. Inſuper probat hoc, quia ſapientia, & miſericordia Dei, vincit humanam malitiam: ſed homo poteſt vſque ad extremum vitæ ſuæ peccare, ergo poteſt vſque tunc, per miſericordiam Dei veniam conſequi.

An in extremo vitæ aliquis pœnitere poſsit.

Iacob. 3.

Iob.38. qui. Dicit enim ſuper quartum, diſtinctione viceſimaquinta, quòd per vinculum carnis anima detinetur in via. Ideò quamdiu hoc vinculum non eſt ſolutum, manet in via, & ſtatu merendi, ac demerendi. Hinc eodem libro, diſtinctione 47. apertius ſcribit: Quilibet homo eſt, & ſingularis perſona, eſt etiam pars quędam totius generis humani. Ideò duplex iudiciũ ei debetur, vnum ſingulare, quod fit de eo poſt mortem, quando recipiet iuxta ea, quæ in corpore geſſit, quamuis non totaliter, quia non quo ad corpus, ſed quo ad animam tantùm. Aliud iudicium debet eſſe de eo, ſecundum quod eſt pars quædam totius generis humani, quemadmodum etiam aliquis iudicari dicitur, ſecundum humanam iuſtitiam, quando iudicium datur de communitate, cuius ipſe eſt pars. Nec tamen *Deus bis indicat in idipſum*, quoniam pro eodem peccato, non infert duas pœnas, quarum quælibet per ſe ſufficiens ſit pro illius punitione peccati: ſed pœna quæ ante finale iudicium completè inflicta nõ fuit, in vltimo iudicio complebitur, quando impij cruciabuntur, quantum ad corpus & animam ſimul. Amplius, idem ſanctus doctor in tertia parte Summæ ſuæ, quæſtione

Iudicium hominis duplex quare.

Naum 1.

ſtione 53. ait: Iudicium de re immutabili perfectione (id eſt, conſummatum & certum iudicium) dari non poteſt ante conſummationem, ſeu finem rei, ſicut iudicium de aliqua actione, qualis ſit dari perfectè non poteſt, antequam ſit conſummata in ſe, & in ſuis effectibus: quoniam multę actiones videntur vtiles eſſe, quæ ex ſuis effectibus inueniuntur nociuæ. Similiter de homine iudicium perfectum dari non poteſt, quamdiu vita eius non terminatur. Porrò vita hominis terminatur per mortẽ idcirco poſt mortem datur de eo ſingulare iudiciũ. Hinc dicendum quòd poſt mortem, quantum ad ea, quæ ſunt ipſius animæ, homo ſortitur quemdam immutabilem ſtatum: ideo quantum ad præmium animæ, non oportet differri iudicium vltra mortem. Rurſus in eadem aſſerit quæſtione: Quãuis pœna, ſeu præmium corporis dependet ex pœna, ſeu præmio animæ, tamen quoniam anima non eſt mutabilis, quo ad ſtatum merendi, & non merendi, niſi per accidens, ſcilicet propter corpus, ideò anima ſeparata à corpore, ſtatim habet ſtatum immutabilem, & accipit ſuum iudicium. FRA. Quantum intelligere valeo ex præhabitis ſancti doctoris verbis euiden

Iudicium hominis quãdo perficitur.

euidenter conſequitur, & habetur, quòd particulare animarum iudicium fiat poſt earũ ſeparationẽ à ſuis corporibus. Nam vſque ad mortem durat ſtatus, ac tẽpus merendi, ac demerendi, ipſaque mors eſt terminus ſtatus, ac temporis huius, ita quòd ſtatim poſt eam ſequitur immutabilitas ſtatus, in qua anima amplius promereri non poteſt. DION. Rectè conſideras: ſed audi, quid adhuc idem conſcribat Doctor. Nempe in ſumma cõtra Gentiles, libro quarto: Animæ (inquit) ſtatim cùm à corporibus fuerint ſeparatæ, immobiles ſecundum voluntatẽ redduntur, vt ſcilicet vltrà voluntas hominis mutari non poſſit, neque de bono in malum, neque de malo in bonum. Quamdiu enim anima mutari poteſt de bono in malum, vel econuerſo, eſt in ſtatu pugnæ, atque militiæ. Oportet nãque, vt ſollicitè malo reſiſtat, ne ab ipſo vincatur, vel vt conetur, quòd liberetur ab ipſo. Sed ſtatim dũ anima à corpore ſeparatur, non erit in ſtatu militiæ, aut pugnæ, ſed in ſtatu recipiendi pœnam, aut præmium, pro eo quòd legitimè, aut illegitimè certauerit. Propter quod vita hæc comparatur militiæ, & dieb⁹ mercenarij, iuxta illud Iob: *Militia eſt vita hominis ſuper terram, & ſicut dies*

Animæ ſeparatæ immobiles ſecundum voluntatẽ reddũtur.

2. *Tim. 2.*

Iob. 7.

dies mercenarÿ dies eius. Itaque tota hæc vita eſt via ad aliam vitam, & ad meritum ſiue demeritum:propter quod ea finita reſtat iudicium. Hinc in eodẽ libro ait:Anima eſt in ſtatu mutabili quamdiu corpori vnitur, hoc eſt quamdiu manet in corpore, non autem poſtquam fuerit à corpore ſeparata.Diſpoſitio nãque animæ mouetur ſeu mutatur per accidens, ſecundum aliquem corporis motũ. Cum enim corpus deſeruiat animæ ad ipſius animæ operationes, ad hoc naturaliter datũ eſt animæ,vt anima in ipſo exiſtens perficiatur, quaſi ad perfectionẽ mota. Quando ergo erit à corpore ſeparata,nõ erit in ſtatu, vt moueatur ad finem, ſed vt in fine adepto quieſcat.Ex quibus verbis elicitur, quòd quamdiu anima nõ eſt à corpore ſeparata, eſt in ſtatu quo poſſit moueri, ſeque cõuertere ad vltimũ finẽ, qui Deus eſt,ſeu beatifica eiꝰ fruitio:idcirco quãdiu in corpore eſt,nõ cõpetit ei iudicari à Deo,ſed ſtatĩ poſt ſeparationẽ.

Prætereà eiuſdem libri penultimo ait capitulo: Duplex eſt retributio, pro his quæ homo gerit in vita præſenti,vna ſecundum animam, quam retributionem percipit homo ſtatim, cùm anima fuerit à corpore ſeparata: alia verò retributio

Duplex retributio eorũ quæ in præſenti vita aguntur.

erit in

erit in reſurrectione corporum. Et prima quidẽ retributio ſingulatim fit ſingulis, ſecundum quod diuiſim moriuntur: ſecunda autem retributio ſimul omnibus fiet, ſecundum quod omnes ſimul reſurgent. Omnis autem retributio, qua diuerſa diuerſis redduntur, ſecundum diuerſitatem meritorum requirit iudicium: Vnum, quo diuiſim ſingulis, quantum ad animam, redditur pœna, vel præmium: aliud autem commune, quo quantum ad corpus, & animam reddetur omnibus, ſimul, quod meruerũt. FRA. Satis diffusè, & euidenter ex dictis ſancti Thomæ oſtendiſti intentum. DIO. Adhuc vnum ipſius teſtimonium introducam, idque doctor iſte ſuper ſecundum Sententiarum diſtinctione ſeptima, cauſam obſtinationis, & impœnitentiæ angelorum, qui corruerunt aſſignans: Quemadmodum (inquit) impoſſibile eſt à voluntate indeclinabiliter adhærente recto fini procedere culpam, ita è contrario impoſſibile eſt à voluntate adhærente inconuertibiliter peruerſo fini procedere actum bonum. Peccatum autem voluntatis contingit dupliciter circa finem: Primò ex paſſione abducente rationem ab actuali conſideratione recti ac debi-

Volũtatis peccatum dupliciter contingit circa finẽ.

ac debiti finis, & taliter peccans pœnitet paſſione ceſſante. Secūdò ex malitia, quæ ſecundum philoſophum ſeptimo Ethicorum, corruptiua eſt finis. Dicitur namque ex malitia peccare, qui ex electione praui finis eſt peccãs, eò quòd qualis eſt ſecundum habitum, talis finis videtur ei conueniens, ſicut qui habitualiter luxurioſus eſt, finem ſibi conſtituit in delectatione Venerea. Et cùm error circa finem in operabilibus ſit, ſicut error circa prima principia in ſpeculabilibus, circa quæ errantem non contingit retrahi, ac dirigi ex aliis magis notis, oportet quòd ſic peccãs ſit impœnitens, vt ibidem ait philoſophus. Igitur de peccato nullus poteſt pœnitere, niſi vel paſſione ceſſante, vel remoto habitu, quo finem malum elegit. Remoueri autem habitum non eſt poſſibile, niſi in eo, qui eſt in ſtatu viæ & mutabilitatis. Vnde quandocumque aliquis deuenit ad terminum viæ, non poteſt deflecti ab eo fine cui inhæſit, ſiue ſit bonus, ſiue malus. Finis verò hominis eſt mors ſua, & finis angeli eſt terminus ſuæ electionis, quo bono adhæſit vel malo. Vnde ſicut homines poſt mortem confirmantur in bono vel malo, ita angeli poſt auerſionem vel cõuerſionem. Hæc Thomas.

Peccatum ex malitia quod.

A. mas.

mas. Ex cui⁹ verbis ſic argui poteſt: Deus particulari iudicio non iudicat animam morientis, quouſque ipſa finaliter & indeclinabiliter fixerit ſe in bono aut in malo, hoc eſt in auerſione à Deo vel in conuerſione ad ipſum. Indeclinabilitatem autem, ſeu immutabilitatē ſuæ conuerſionis aut auerſionis non conſequitur niſi via completa, id eſt, poſt mortem: Idcirco nec iudicatur niſi poſt mortem. FRA. Quamuis hæc rationabiliter dicta videantur, attamen circa prææallegata verba Thomæ dubitatio mihi occurrit. Quomodo enim affirmat peccatum voluntatis dupliciter contingere, ſcilicet ex paſſione & malitia, cùm dicatur communiter quòd contingat tripliciter, vt puta ex ignorantia, infirmitate ſeu paſſione, & ex malitia? DIO. Duo illa tangendo, tertium non excludit. FRA. Qualiter ergo ſtabit quod dixit: De peccato nullus poteſt pœnitere niſi vel paſſione ceſſante, vel habitu malo remoto, cùm is qui ex ignorantia peccat, ceſſare queat à culpa, ignorantia ſua per eruditionem ablata? DIO. Dici poteſt, quòd Thomas diſtinguit & loquitur quantum ad propoſitum ſufficit: vel quòd tertium illud ad aliquod horum reducatur duorum.

rum.

rum. FRA. Ex aliis quoque doctoribus præinducta (ſi placet) declara.

Ex dictis Diui Bonauenturæ, & domini Alexandri de Hales & aliorum doctorum de eadem materia, & præſertim de modo, forma ac duratione particularis iudicij.

ARTICVLVS IIII. DIONY.

DEuotus doctor Bonauentura ſuper quartum Sententiarum, diſtinctione viceſima: Credendum eſt, ait, quòd in egreſſu animæ à corpore aſſiſtunt ſpiritus bonus & ſpiritus malus, vel vnus vel plures, & tunc ſecundum veritatem ferri ſententiam: & ſi bona eſt anima, per miniſterium angeli boni adduci eam in cœlum, aut in purgatorium, quouſque purgata per eius miniſterium educatur: ſi verò ſit mala, per miniſterium angeli mali ducitur ad infernum. Hoc inquam magis probabile, magis eſt concedendum, quamuis in hac parte nihil ſit temere aſſerendum. FRA. Ex his apparet quòd anima iudicetur in eius egreſſu à corpore, non poſt egreſſum: cum dicat, tunc. DIO. Quod ait tunc, intelligendum videtur, ideſt tempore illo, vt puta mox poſt egreſſum: nam vltimum inſtans quo anima eſt in corpore, perti-

nere cenſetur ad tempus, quo in corpore manſit, tamquam illius temporis finis. Denique iuxta hūc ſenſum idem doctor aſſerit ſuper quartum diſtinctione 21. Sicut contingit regnum dupliciter obtineri, videlicet integrè & perfectè, ſiue in toto, & alio modo ſecūdum partem ſiue in anima, ſic duplex eſt iudiciū & duplex ſententia. Nam ſicut homo glorificatur ſecundum partem, ita particulariter iudicatur, & de eo ſententia fertur, quando anima de corpore egreditur. Iudicium autem vniuerſale erit, quando homo erit glorificandus ſecundum corpus & animam. Prætereà, his concordant quæ irrefragabilis doctor Alexander de Hales ſcribit in ſumma ſua, & ſuper ſecundum Sententiarum, & item quæ Thomas de Erfordia de hac ipſa ſcripſit materia. FRA. Ex præallegatis Bonauenturæ verbis manifeſtè ſequi videtur, quòd animæ morientium præſentantur iudici ſummo non in cœlo, ſed infra in medio loco, qui inter cœlum & infernū, ac purgatorium medius perhibetur. Ait enim quòd data ſententia, ſi anima fuerit bona, deducitur ab angelo ſancto ad purgatorium, vel ad cœlum: ſi mala, deducitur per dæmonem ad infernum. Ad iudicem etenim

etenim pertinet diffinire, quò deducenda ſit anima, & quantum ac qualiter punienda. DIO. Bene conſideras, nihilominus obſeruandum quod docet Bonauentura, vt ſcilicet de his nihil temere aſſeratur. FRAT. Qualiter anima iudici præſentatur? DION. Cum anima ſit inuiſibilis, & incorporalis ſubſtantia, conſtat ꝙ inuiſibiliter præſentetur, tamẽ verè realiter. Iudex autem ſecundum ſuam deitatem verè vbique eſt. FRA. Qualiter profert ſententiam? DIO. Cum anima relicto corpore non vtatur auditu corporeo, non profertur de ea iudicialis ſententia verbis vocalibus, ſed intellectuali locutione, qua animæ notificatur ſpiritualiterque exprimitur, & intus oſtenditur, quid promeruit, quò ducetur, quid pro mercede ſuſcipiet. FRA. Quid de duratione huius iudicij ſentis? DION. In momento peragitur & completur, præſertim cum diuinæ, omnipotenti, infinitæque poteſtati conueniat agere in inſtanti. FRA. Quomodo poſſunt præſentatio, accuſatio, diſceptatio atque ſentẽtiæ prolatio, quæ in particularibus quoque iudiciis fieri ſuo modo creduntur, inſtantaneè fieri & cõpleri? DION. Quid hoc miraris de particulari iudicio, cũ de

generali quoque iudicio dicant doctores complures ſuper quartum Sentētiarum, quòd in momento complebitur?ad quod allegant, quod ipſemet iudex apud Lucā proteſtatur: *Sicut fulgetrum coruſcans de ſub*

Luc. 17. *cælo in ea quæ ſub cælo ſunt fulget, ita erit filius*

Mat. 24. *hominis in die ſuo.* Quod in Matthæo ita

Mat. 24. exprimitur: *Sicut fulgur exit ab oriēte & apparet vſque in occidentem, ſic erit aduētus filij hominis.* Hinc Thomas ſuper quartū Sententiarum, diſtinctione quadrageſima ſeptima loquitur: Probabilius æſtimatur, quòd totum illud iudicium & quo ad diſcuſſionem, & quo ad accuſationem malorum, ac commendationem bonorum, & quo ad ſententiam de vtriſque mentaliter perficitur, & per conſequens in momento fieri poſſit. Hinc viceſimo de Ciuitate Dei loquitur beatus Auguſt.

Liber vitæ quid. Liber vitæ de quo in Apocalypſi habetur, intelligenda eſt vis quædam diuina,

Apo. 3. 20 qua fit, vt vnicuique opera ſua bona aut mala ad memoriam reuocentur: & mētis intuitu mira celeritate cernantur, vt accuſet vel excuſet ſcientia conſcientiā, atque ſic ſimul omnes & ſinguli iudicētur. Porrò ſi vocaliter ſingulorum facta narrarentur, inæſtimabilis magnitudo temporis ad hoc exigeretur. FRATER.

Video

Video mihi eſſe reſponſum, ſed cùm frequenter vna hora tot millia hominum moriantur, & quaſi in eodem momento, quod & in magnis ſolet prælijs euenire, quomodo poſſunt tot animæ ſimul eodem iudicari momento? DIO. Iã ad hoc data eſt reſponſio, quoniam incircumſcriptibilis atque omnipotens iudex ita faciliter iudicat eodem momento mille animas ſicut vnam. Nũquid difficilius ei eſt, multas animas eodem momento aut inſtante iudicare, quàm creare?

Ex his etiam innoteſcit, quàm mendoſum & fatuũ ſit, quod impiiſſimus Saracenorũ deceptor Mahometus affirmat dicendo, quòd finale illud generale iudiciũ durabit per quinquaginta millia annorũ. Omnino enim irrationabile eſſet, iniuſtũ & indecẽs, Deum iuſtum, ſapientem, ac omnipotentẽ, ſanctos & electos tam diu differre à mercede & gloria, aut occupari tam diuturnè ad iudicandum genus humanũ, qui in principio ſolo imperio condidit mundum. FRATER. Ex auctoritate illa, & verbis Chriſti, quæ ex Luca & Matthæo iam allegaſti, videtur neceſſariò ſequi, quòd finale illud iudicium inſtar fulguris inſtantaneum, momẽtaneúmve conſiſtet. DIO. Hoc planè

Ineptiæ & mendacium Mahometi.

Gene. 1.
Luc. 17.
Mat. 24.

conſequeretur, niſi verba illa poſſent & aliter accipi & exponi. FRA. Qualiter exponuntur & aliter? DIO. Hi qui putant finale iudicium per tempus notabile duraturum, dicunt, quòd CHRISTVS prælegata protulit verba non ad inſinuandũ illius iudicij momentaneam durationẽ, ſed ad deſignandum ſui aduentus clarã, & omnibus viſibilem manifeſtationem.

Conformatio eorum quæ dicta ſunt de loco & tempore particularis iudicij, ex verbis ſanctorum patrum & præcipuorum doctorum.

ARTICVLVS V. DIONI.

QVam periculoſum ſit pœnitentiam vſque ad finem differre, & tamen in fine poſſe hominem pœnitere, teſtatur beatus Augusti. Periculoſum eſt, inquiẽs, pœnitentiam vſque ad finem vitæ differre, ſi tamen tunc vera habeatur pœnitẽtia, hominẽ liberat, & ſpiritualiter mortuo vitam gratiæ impetrat: non tamẽ ſic, vt nullam ſentiat pœnam, niſi fortè tanta ſit vehementia contritionis & gemitus, quæ ſufficiat ad punitionem iniquitatis. Licet ergo difficile ſit, vt tunc vera ſit pœnitentia, quando venit tam ſera, dum

Pœnitentiã in vitæ exitu veram eſſe poſſe probatur.

cru

cruciatus membra ligat, & dolor opprimit ſenſum, ita vt homo vix valeat aliud aliquid cogitare, melior tamen eſt pœnitentia ſera quàm nulla. Pœnitentia namque, ſi in extremo vitæ hiatu aduenerit, ſanat ac liberat. Hinc magiſter ſententiarum aſſerit quarto lib. Sciẽdum quòd pœnitentiæ tempus eſt vſque ad extremum articulum vitæ: Ideo ait & Leo Papa: Nemo eſt deſperandus, dum adhuc in corpore eſt conſtitutus, quia nonnũquã quod diffidentia ætatis differtur, conſilio mutariore perficitur. Ex quibus ſatis ſequi videtur, quòd anima non iudicatur antequam de corpore egrediatur. Denique ad hoc probandum allegat Climachus quod ait ſcriptura: *In quo inuenero te, iudicabo te, dicit Dominus.* Hinc Damaſcenus libri ſecundi cap. 3. conteſtatur: Quod angelis eſt ruina, hoc hominibus eſt mors: quia nec ángelus poſt ruinam, nec homo poſt mortem eſt pœnitentiæ ſuſceptiuus. Omnes autem iſtiuſmodi authoritates fundantur in ſcriptura canonica. Nam & in Eccleſiaſtè ſcriptum eſt: *ſi ceciderit lignum ad auſtrum, vel ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* In quibus verbis per lignum intelligitur homo, per caſum mors, per

Ezec. 7.

Eccleſ. 11.

auſtrum ſors ſeu ſocietas electorum, aut feruor caritatis, ſeu ſplendor virtutum, per aquilonem frigus vitiorum ſeu conſortium reproborum. Itaque ſenſus eſt, quòd in ea affectione & diſpoſitione mentis, qua anima recedit à corpore, permanet in æternum, ita quòd ad electorũ numerum pertinebit, ſi in caritate diſceſſerit: ad reprobos verò, ſi igne dilectionis carnis in torpore pigritiæ, & peccato abierit. Vnde & per Ezechielẽ Dominus ſecundum antiquam tranſlatio-
Ezec. 18. nem aſſeruit: *In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius amplius non recordabor.* Prætereà, dominus Antiſiodorenſis ſcribit in tertia parte Summæ, & idem fatetur Alexander de Hales, quòd quamuis Deus omnipotens ſit, non tamen poſſet homini abſoluta aſſertione prædicere, quòd ſit damnandus: quia ſic homo teneretur deſperare. Si autem anima iudicaretur à Deo antequam egrederetur de corpore, deſperare mox teneretur adhuc in corpore manẽs, quod opinari non licet.

Obiectiones contra præhabita, & reſponſio ad eaſdem.

ARTI

ARTIC. VI. FRATER.

COpioſè probaſti, quòd homo vſque ad vltimũ inſtans vitæ præſentis incluſiuè, poſſit ſalubriter pœnitere. Quid ergo eſt, quod S. Gregor. in homil. ſuis, *Gregor. in* & alibi de quibuſdam morientibus reci- *4. dial.* tat, quòd in extremis agentes viderunt tæterrimos ſpiritus in ſpeciebus Æthiopum, aut draconum ad ſe venientes, propter quod fuerunt valde perterriti, atque inducias petierunt, in quibus vtique pœnitere propoſuerunt? & tamen affirmat ſanct. Gregor. quòd totum illud illis nihil profuit, nec propter eorum emendationem, ſed ob noſtram admonitionem talia demonſtrata ſunt ipſis. Ex eiſdem recitationibus videtur, quòd illi iudicati fuerunt à Deo, antequam migrauerunt à corpore. Nam & vnus eorum aſtantibus dixit: Draconi ad deuorandum datus ſũ. Inſuper Climachus refert de quodã magno anachoreta nomine Stephano, qualiter ante migrationẽ ſuam à corpore in ecſtaſi mentis poſitus, apertis oculis intendebat ad dexterã lectuli ac ſiniſtrã: & quaſi ad reddendam rationẽ à quibuſdam exactus, cunctis qui aderant audiẽtibus, dixit interdũ ſic: Vtique verum eſt, ſed cõfeſſus ſum, & tanto tẽpore

ieiunaui pro iſto. Quandoque ſic: Nequaquam, ſed mentimini, iſtud non feci. Aliquando vero: Verum eſt quòd hoc feci, ſed ploraui & domino miniſtraui. Atque nonnunquam: Hoc feci, nec reſpondere poſſum, ſed Deus miſericors eſt. Erátque horribile & horrendum executorium inuiſibile illud rationis exactæ, & hic tantus ita ſub rationis reddẽdę exąctiõe poſitus, receſſit à corpore. Ecce ex hac narratione videtur, quòd anima ante receſſum à corpore iudici præſentetur, & rationem reddere exigatur, & accuſetur. Amplius, in epiſt. ad Hebr. ait Apoſt. *quod Eſau non inuenit pœnitentiæ locum, quã-*
Hebr. 12. *quam cum lachrymis inquiſiſſet eam.* Conformiter de Antiocho fertur, quòd orauit ſceleſtus dominum, à quo non erat miſericordiã cõſequuturus, qui tamẽ val de pœnituiſſe videtur. Nã & inter cætera ſua promiſſa vouit ſe Iudæum futurum, & totam terram ſanctam peragraturum ac prædicaturum Dei potentiam, ac templum eſſe ſe ornaturum optimis donis. Poſtremò in Prouerb. loquitur in-
Prou. 1. creata ſapientia de iniquis adhuc in corpore conſtitutis, *quia vocaui & renuiſtis, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu*
veſtro

veſtro gaudebo: & ſubſannabo, cùm vobis quod timebatis aduenerit, cùm irruerit repentina calamitas. Tunc inuocabunt me & non exaudiã: mane conſurgent ad me, & non inuenient me. At verò per Moſem Deus dixit ad Pharaonem: *Quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te fortitudinem meam*, &c. per quę verba prænunciauit ei ſuam reprobationẽ. Adhuc autem ipſe Saluator apertiſſimè dixit de Iuda: *Væ homini per quem filius hominis tradetur. Bonum ei eſſet ſi natus nõ eſſet.* Et hoc Iudas intellexit proferri de ſe. Petro quoque prædixit: *In hac nocte ter me negabis, non tamen ob hoc Petrus deſperauit, deſperaréve debuit ſe poſſe euadere trinam illam negationem.* Poſtremò apud Ioan. legitur: *Qui non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti filij* Dei. Infideles ergo iã ante obitum ſuũ ſunt iudicati. Iterũ multi ſanctorum ſuſcitauerũt defunctos, etiã eos qui in mortalibus obierunt peccatis, qui non fuerunt iudicati in morte, imò doctor ille Pariſiẽſis, cuius dãnationis occaſione ſanctus ordo noſter ſumpſit exordiũ, primo die poſt obitũ ſuum miraculosè ſe erigens perhibuit eſſe ſe accuſatũ, ſecundo die dixit ſe iudicatum tertio condẽnatũ. Non ergo videtur, ſtatum poſt mortem ſuam iudicatus & condem-

Exod. 9. *Rom.* 9. *Mat.* 26. *Luc.* 22. *Marc* 14. *Ibidem.* *Ioan.* 3. *Inſtitutionis ordin. Carthuſiẽſis exortdium & origo.*

dem.

demnatus fuiſſe. Conſimilia multa poſſem obiicere,ſed ex horum(vt reor)ſolutione patebit ad illa reſponſio.

Solutio inſtantiarum iſtarum.

ARTICVLVS VII. DION.

EX caritatiua & modeſta diſputatione veritas clarius innoteſcit. Ideo tua obiecta ſunt diligenter ſoluenda: & quoniam ea, quæ ex verbis B. Gregorij obiecisti, duplicem includunt impugnationem,videlicet quòd multi in fine vitæ ſuæ nequibant veniam obtinere, & item quod tales videntur ante ſuum obitum iudicati: idcirco ad primum reſpondeo: quòd tanta eſt pietas Dei, quòd nulli facienti quod in ſe eſt, veniam negat aut gratiam, ſed ipſe cordium eſt inſpector, nec humanæ aſtutiæ verbis ex repentino aut vehementi timore prolatis decipi poteſt. Porrò, vt Bonauentura ſuper quartum fatetur, tunc dicitur homo facere, quod in ſe eſt, quando toto poſſe ſuo deteſtatur peccata,inquantum peccata ſunt,vt puta fœda & vilia,& contra iuſtitiam,offenſiuáque Dei: & hoc eſt deteſtari ac vitare peccata ex zelo quodam iuſtitiæ & quodam Dei amore, & vltra hæc inuocat Dei auxilium, ac ea

Homo quã do facit quod in ſe eſt.

quę

quæ Deus requirit ab ipſo, proponit implere. Qui autem ex ſolo ſeruili timore deteſtatur peccata, & pœnitet, emendationémque ſpondet, is quantum in ſe eſt, adhuc amat iniquitatem, neque ad bonum honeſtum afficitur, neque ad Deũ, ſed ſolo horrore incommodi proprij incitatur ad pœnitendum: quod non eſt meritorium apud infallibilem iudicem, quoniam ex amore proprio, & priuato procedit. Nec dubites, quin tales fuerunt, de quibus ex Gregorio obieciſti. Ad aliud dico, quòd illi non fuerũt ante ſuum obitum iudicati, quamuis quædam ſigna ſuæ inſtantis diiudicationis, vel ob eorũ commonitionem, vel ad noſtrã præmonitionem apparuerũt eis. Is quoque qui dixit: Draconi datus ſum ad deuorandum, ita putauit, non tamen ſic fuit. Nam & paulò poſt verè pœnituit. Ad id quod ex Climacho obieciſti, arbitror reſpõdendum, quòd ſecreta diſpenſatione omnipotentis, & ex ſpecialibus cauſis altiſſimo notis, anachoreta ille ante obitum ſuum ſic fuit exactus reddere rationem: & accuſantibus eum dæmonibus ita reſpondit, vt etiam ſancti viri humilient ſe & diuinum formident iudicium, & vt agnoſcamus quàm metuenda & diſtricta

Timor ſeruilis ſine merito.

ſint

ſint Dei iudicia in obitu ſingulorum. Climachus tamen nõ refert, quòd anachoreta ille accepit diuinam ſententiam ante animæ ſuæ de corpore egreſſionem: & dato quòd ante egreſſionem acceperit eam, hoc tamen prędictis non obuiat: quia intelligenda ſic ſunt, quod de lege communi fertur iudicium poſt animarũ egreſſionem. Omnipotens autem & ſuperbeatiſſimus Deus nulla lege arctatur. Certum eſt etiam quòd multis electis & ſanctis reuelata fuit diuinitus futura eorum ſaluatio, antequam exierunt de corpore, quod fuit ex gratia ſpeciali. Nam & diuino ac ſãcto Dionyſio in carcere clauſo apparuit Chriſtus, dánſque electo illi proprium corpus: Accipe, inquit, hoc, ô care meus, quia merces tua apud me magna eſt nimis. Denique, S. Martinus aſtanti dixit diabolo: Recede à me funeſte, nihil in me reperies. Abrahæ me ſinus ſuſcipiet. Conformiter ſanctus pater noſter Hugo Lincolnienſis epiſcopus, poſitus in extremis diſſeruit: Non erit iudicij, ſed refrigerij dies, cum defunctus fuero ego.

Deus nulla lege arctatur.

Ad illud quod de Eſau obiecisti, dicendum quòd verba Apoſtoli intelliguntur ad literam quantum ad hoc: quòd Eſau non

Hebr. 11.

non inuenit pœnitẽtiæ locum, ita vt poſſet recuperare ius primogenituræ, quam vendidit fratri ſuo: ſi tamen poſtea pœnituit, verè de ſuis peccatis veniã eſt adeptus. Communiter tamẽ tenetur, quòd ad finalem pœnitentiã non peruenit, lachrymæ quoque ipſius non fluxerunt ex vera contritione, ſed magis ex impatientia & indignatione aduerſus Iacob, vt Haymo ſcribit, vel ex dolore amiſſionis paternæ benedictionis, quantum ad temporalem proſperitatem, quam magis, quam æternam fœlicitatem amauit.

Similiter ad inſtãtiam illam de Antiocho factam, dicẽdum quòd calidiſſimus, ac ſceleratiſſimus ille ex præſenti dolore ſibi inflicto, & timore maioris ſupplicij, atque ex deſiderio recuperandæ incolumitatis, non aliquo iuſtitiæ zelo aut virtutum amore pœnituit. Idem dicendum ad verba Salomonis, quæ tetigiſti. Ad ea, quæ de prænunciatione facta Pharaoni adducta ſunt, reſpondet Gulielmus Antiſiodorenſis in ſecunda parte Summæ ſuę, quòd dum Deus alicui prædicit ſuam culpam, aut condemnationẽ, intelligendum eſt dictum hoc eſſe ſub conditione, videlicet niſi pœnituerit, aut cauerit ſibi. Nec Deus hoc prædicit ad certificandum ali-

1. Mat. 2.

Prou. 1.

quem de ſua culpa, aut condemnatione, quia ſic ei præcluderet viam ſalutis. Per quod patet reſpõſio ad obiecta de ſacratiſſimo Petro, & nequiſſimo Iuda. Ad id quod tactum eſt, quod non credẽtes, iam iudicati ſunt, reſpondetur verba illa ſic eſſe intelligẽda, quòd ſententia de eis in communi, nunc data eſt, & ſub conditione, videlicet niſi conuertantur ad fidem, & quoniã habent in ſe manifeſtam cauſam damnationis, cùm ſint abſque fidei fundamento, nec aliquid boni meritorij habeant ſibi admixtum: vnde nec iudicio diſceptationis ſunt iudicãdi. Veruntamen loquendo de iudicio retributionis, iudicantur ſigillatim in morte, quantum ad animam: generaliter quoque in die nouiſſimo, quo ad corpus & animam. Nam & Deus iuſtus, ac ſanctus præfigit eis mẽſuram pœnarum, iuxta menſurã exigentiámque culparum. Non enim omnes æquè iniqui ſunt. Itaque & eis ad memoriam reuocantur, ac deſuper oſtenduntur vniuerſa eorum peccata, vt ſciant ſe iuſtè damnari, nec rationabiliter conqueri queant. Præterea, ad id quod obieciſti de reſuſcitatis, concorditer dicunt doctores, quòd in mortali culpa defuncti, & reſuſcitati, non fuerũt à iudice ſummo omnia præſcien

Mat. 26. Marc. 14. Ioan. 3.

Infideles etiam iudicandi ſunt.

præſciente finali ſententia condemnati, ſed præſcius futurorum omnipotens, ob id quod ſciuit futurum, ſuſpendit, ac diſtulit eorum finale, & abſolutum iudiciũ, interim tamẽ fuerunt adiudicati tormentis ad tempus. Ad vltimum reſpõdendum quòd quamuis ille defunctus vicibus interpolatis apparuit, & narrauit ſe eſſe accuſatum, iudicatum, & cõdemnatum, tamen omnia illa potuerunt ſimul eſſe peracta. Tribus quippe apparuit vicibus, vt plures confluerent, & miraculum tantò celebrius redderetur ac fructus copioſior ſequeretur. Vel Deus diſpenſatione ſpeciali, ac rationabili ſuſpẽdit damnationis illius iudicialem ſententiam, ob cauſas prætactas. Quamuis enim de lege communi fiat ſingulorum particulare iudicium ſtatim (vt dictum eſt) poſt animarum à corpore exitum, nibilominus certis ex cauſis poteſt omnipotẽs aliter agere de quibuſdam, differendo de eis ſententiam. FRATER. Non ſolùm ad obiecta lucidè, ac rationabiliter reſpondiſti, ſed etiam ex iam prætactis aduerto, quid de infidelium generali ac particulari iudicio ſit tenendum. Attamen opto agnoſcere, an etiam Angeli ſancti aſtant

infidelium animabus, dum iudicantur: & videtur quòd non, quoniam animæ illæ nihil boni deferunt ſecum, nec poſſunt
Rom. 14. iuuari. Nam & Apoſtolus loquitur: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* DIONYSIVS. Apud Danielē legitur, quemadmodum Gabriel Angelus dixit ad Danielem: *Princeps Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus.* Quod ſanctus Gregorius, & Thomas, ac alij multi exponunt de angelo ſancto, qui præfuit toti genti Perſarum, qui angelus fuit de tertio ordine, vtpute Principatuum choro, ſicut & Michael, qui præfuit tunc ſynagogæ.
Dani. 12.
Dani. 12. Quemadmodum ergo angelus ille coram Deo defendit, pro poſſe cauſſam plebis Perſarum, ſibi cōmiſſæ, quamuis gens illa fuit idololatra: ſic forſan, quis opinari poteſt, quòd Angeli ſancti cuſtodes infidelium ſingulorum, comitentur animas ſibi commiſſas, vſque ad Dei iudicium, quatenus à dæmonum accuſatione eas quantum queant releuent, vel excuſent, & bona ex genere, quæ egerunt in corpore, pro ipſis allegent. Quamuis etenim infideles, nihil meritorij operentur, agunt tamē aliqua bona ex genere, præſertim qui vni⁹ veri Dei qualeſcūq; ſunt cultores, vt ſubuenien

ſubueniendo pauperibus, honorando parentes, Deum laudando, & talia forſan valent eis ex infinita miſericordia Dei, ad ſuarum minoratione͂, aut mitigationem pœnarum. Veruntamen, quicquid agunt propter finem, quem in ſua perfidia præſtolantur, peccatum cenſetur, vt ſi Sarracenus eleemoſynam largiatur, quatenus tandem in paradiſo terreſtri, carnis voluptatibus perfruatur, prout in Alchorano promittitur. Hinc quod ait Apoſtolus: *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, ita exponitur: Omne quod eſt contrarium fidei, culpa eſt. FRATER. Verbum illud ex Daniele, iam allegatum, *princeps Perſarum reſtitit mihi*, putabam de angelo malo, ſeu dæmone intelligendum. Quomodo enim inter ſanctos angelos poteſt pugna, aut reſiſtentia eſſe, cùm ſcriptum ſit, *Poteſtas & terror, apud Deum eſt, qui facit concordiam in ſublimibus ſuis*? DIONYSIVS. Quamuis quæſtio iſta, non multum ſit ſpeculationis præſentis, tamen breuiter reſpondebo. Atque id fateor, quòd & ſanctus Hieronymus ſuper Daniele͂, auctoritatem illam, exponit de Angelo malo, opinatiuè tamen, & ſobriè, non aſſertiuè: Aptius tamen videtur exponenda de Angelo bono, quoniam Angelus ille

Rom. 14.

Deut. 10.

Iob. 19.

non potuiſſet tot diebus reſiſtere Gabrieli, niſi iuſtam cauſſam aliquam habuiſſet, & ſi iuſtam habuit cauſſam, potuit reſiſtẽtia illa fieri per Angelum bonum. Itaque iuxta expoſitionem Gregorij, cum *imperſcrutabilia ſint diuina iudicia*, eorum profunditatem nõ intelligunt Angeli ſancti, niſi in quantum eis diuinitus reuelatur: idcirco non ſemper agnoſcunt, quid vnicuique plebi, aut homini debeatur, ſecũdum diſpoſitionem, atque iudicium Dei, quouſque eis deſuper reueletur. In diuerſis autem gentibus ſæpe ſunt diuerſa merita, & demerita, propter quæ vna debeat alteri ſubdi, vel ab eius dominio liberari. Quilibet verò Angelus merita plebis deputatæ ſuæ cuſtodiæ, ad diuinæ iuſtitiæ examen, ac iudicium refert: ſicque Angelorum ſanctorum mutua pugna nihil aliud eſt, niſi reuelationes, & allegationes, contrariorum meritorum plebium eis creditarum, dum vnus Angelus ſanctus allegat pro plebe ſua aliqua bona & Angelus alius pro gente ſibi commiſſa allegat meliora, quæ poteſt. Nihilominus inter Angelos ſanctos vera concordia eſt, nulla diſſenſio, quoniam Dei ſententiam vnanimiter præſtolantur: & quicquid iudicauerit Deus, con-

Rom. 11.

corditer

corditer volũt, & approbant. FRATER. An ſicut quilibet homo habet duos Angelos, vnum in cuſtodem, alium in tentatorem, ſic quælibet gens habeat Angelum vnum bonum, pro communi cuſtode, & alium malum, pro generali impugnatore? DIONYS. Hoc ex verbis Hieronymi, Bedæ, Alberti, Thomæ & aliorum manifeſtè habetur, ſed non nimium euagemur.

Reſponſio ad auctoritates, quibus aliqui probare conati ſunt, quòd animæ iudicentur à Chriſto, antequam egrediantur à corpore.

ARTICVLVS VIII.

FRATER.

QVia hucuſque probaſti, quòd animæ iudicantur finita hac vita, reſtat, vt ad auctoritates alterius poſitionis reſpondeas. DIONYS. Ad primam illam auctoritatem: *Videbunt in quem pupugerunt*, Zach. 12. dicendum quòd ad literam loquitur de Iudæis: qui Chriſti crucifixionem procurauerũt, & de Pilato ac eius miniſtris, qui impleuerũt. Vnde ad hunc ſenſum allegatur iſta auctoritas à Ioanne, qui dicit: *Videbunt in quem transfixerunt.* Similiter in Ioan. 19. Apocalypſi, vbi legitur: *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Sicque Apoc. 1. Auguſtinus, Beda, Albertus, & alij eam

exponunt. Loquitur quoque auctoritas iſta, ad literam de finali & generali iudi-
Apoc.1. cio. Siquidem in Apocalypſi immediatè ante hæc verba præmittitur: *Et ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus,* & hoc dicunt ibi expoſitores. Sumpta eſt
Zach. 12. quoque iſta auctoritas ex Zacharia Propheta, vbi legitur: *Aſpicient ad me, quem confixerunt.* Secunda auctoritas, vt puta. *Vſque ad diem aduentus Domini noſtri* IESV
1. Theſ.3. CHRISTI, habetur in prima ad Theſſalonicēſes, & in gloſſa exponitur, vſque ad finem vitæ præſentis. Sic etiam Gorra exponit. Veruntamen confitendum eſt, quòd CHRISTVS veniat ad quemlibet morientem, nō quòd ad ſingulos perſonaliter veniat, & deſcendat, ſed per effectum ſuæ pietatis, ſeu æquitatis venire aſſeritur, viſitando, atque iudicium exer-
Apoc. 3. cendo, quemadmodū in Apocalypſi comminatur quibuſdam: *Alicquin veniam ad te, tanquam fur, & veniam tibi citò.* Sic etiam poteſt exponi, quod dixit dominus de
Ioan 21. Ioanne: *Sic eum volo manere*, id eſt, in hac vita expectare, ac perſeuerare, & in vita contemplatiua quieſcere, *donec veniam*, tempore mortis ſuæ, eum ad me gratioſè vocando, & aſſumendo. Denique, quamuis Chriſtus viſibiliter apparuerit
Ioanni

Ioanni Apoſtolo, & eum de beatitudine ſua aſſecurauerit ante obitum eius, ex hoc non ſequitur, quòd aliis omnibus ita appareat: quia vt ſanctus Auguſtinus exponit, quòd CHRISTVS voluit Ioannem ita manere, donec veniret, fuit priuilegium ſpeciale. Priuilegium autem dicitur, quaſi lex priuata, vt Gratianus fatetur. Idcirco ex hoc non ſequitur lex communis.

Declaratio ex reuelationibus ſanctæ Brigittæ viduæ, quòd animæ iudicantur poſt egreſſum à ſuis corporibus.

ARTICVLVS IX.

Libri quarti capitulo ſeptimò, cælestium reuelationum Brigittæ ſanctæ narratur, qualiter in imaginaria apparitione videbatur ipſi Brigittæ, in oratione vigilanti, nõ dormienti, quòd dæmon clamauit ad iudicẽ ſummũ de anima cuiuſdam peccatoris, adhuc in corpore exiſtẽtis, & protinus exituræ: O iudex, adiudica mihi hanc animam, & audi opera eius. Modicum enim reſtat de vita ipſius in corpore. Permitte etiam mihi punire corpus cum anima, donec abinuicem ſeparentur. Ad quod Angelus bonus animæ cuſtos reſpõdit: Miſericordia Dei, quam- *Exempla ex reuelationibus ſanctæ Brigittæ.*

 libet

libet animam ſequitur, vſque ad mortem & vſque ad vltimum punctum vitæ & poſteà fit iudicium. In iſto autem adhuc coniuncta ſunt corpus & anima, & manet diſcretio. Deinde in viſione illa deſcribitur, qualiter anima illa precibus virginis glorioſæ, & amicorum Dei, accepit à Deo gratiã verę contritionis ante ſuam à corpore egreſſionẽ. Propter quod Angelus ſanctus dixit ad Brigittã: Tu prius audiſti, quòd propter preces amicorum Dei illa obtinuit veram contritionem ex caritate modicũ ante mortem, quæ contritio ſeparauit eam ab inferno. Ideò poſt mortèm iudicauit iuſtitia, quòd ardere debeat in purgatorio. Multa alia in viſione hac deſcribuntur, ſed ex his patet propoſitum.

Aliud exẽplum. Præthereà in alia viſione, in eodem legitur libro, quemadmodum de anima coram Deo grauiſſimè accuſata, Angelus eius dixit: Audi ô iudex, qui omnia noſti, audi vltimam cogitationem & affectionem, quã anima iſta habebat in corpore. Ipſa quippe in vltimo puncto, ſic cogitauit: O ſi Deus vellet mihi dare ſpacium vitæ, vellem vtique libenter emendare mea peccata, omniq́ue tẽpore vitæ meæ Deo ſeruire, nec eum vnquã offendere.

Memen

Memento etiam domine iudex, quòd perſona iſta non vixit tamdiu, quòd obtineret plenè intelligibilẽ conſcientiam. Ideò iuuentutem eius attende, & facito miſericordiam. Tunc reſponſum eſt de libro iuſtitiæ: Talibus cogitationibus in fine non debetur infernus. Et ait tunc iudex: Propter paſſionem meam aperietur huic animæ cœlum, cùm fuerit ſufficienter purgata. Inſuper ſeptimo libro reuelationum beatæ viduæ Brigittæ recitatur diffusè, qualiter beatiſſima virgo animam Caroli militis, filij ſanctæ Brigittæ, de corpore exeuntem defendit, atque ad obtinẽdum æternam fœlicitatẽ adiuuit, in qua viſione miſericordiſſima virgo inter cætera ait: Statim dum egreſſa fuit à corpore anima, accipi eã in meam cuſtodiam. Deinde dixit ad Brigittam: Qualiter poſt mortem ipſius Caroli filij tui factum eſt iudicium animæ eius, oſtendetur tibi cùm mihi placuerit. Porrò diabolus aduerſus ſacratiſſimam virginem exclamauit: Ego ô iudex coram te conqueror, quòd mulier iſta, quę eſt mater tua, fecit mihi iniuſtitiam de anima iſta. Nam ego ſecundum iuſtitiam, poſtquam egreſſa fuit de corpore, debui mihi eam aſſumere, & ante tuum iudicium præſenta *Aliud.*

Aliud. præſentare. Amplius, ſexto Reuelationũ illarum libro deſcribitur, qualiter dæmõ animam cuiuſdam defuncti, coram Deo, acerrimè accuſauit, quia putauit eam in mortali peccato, emigraſſe de corpore ſuo. Virgo autem dulciſſima gratiosè accedens, atque ſubueniens, dixit iniquo: Præcipio tibi diabole, vt mihi reſpõdeas, quoniam domina tua ſum: Dic mihi, ſcis tu vniuerſas hominis cogitationes? Et reſpondente illo quòd non, benigniſſima virgo oſtendit, quòd anima illa, in fine vitæ ſuæ, vehementer pœnituit, quòd item nullus eſt tam immundus peccator, aut tam aduerſus à Deo, quòd non poſſit pœnitere, & veniam conſequi quamdiu viuit in mundo. Ex quibus omnibus multiſque aliis viſionibus, verbis, ac reuelationibus in præallegato libro deſcriptis, monſtratur, quòd animæ poſt receſſum à corpore iudicantur, & quòd iudicia talia fiant inuiſibiliter in momento, quãuis per corporalia prolixè ac ſimilitudinariè exprimantur & reuelentur, quoniam aliter ab hominibus in carne degentibus nequeunt comprehendi.

Confirmatio prediſtorum ex his quæ in libro de obitu ſancti Hieronymi recitantur.

ARTICVLVS X.

DIONYSIVS.

REfert (vt creditur) ſanctus Cyrillus Hieroſolymitanus Epiſcopus quẽadmodum defuncto glorioſo Hieronymo, quædam inter Græcos orta ſit hæreſis, negans purgatorium eſſe, & aſſerens animas ſanctorum ac electorũ ante futuram generalem reſurrectionem non poſſe ad beatificam deitatis pertingere viſionem, nec animas impiorum interim ſenſibilem pati pœnam. Ad cuius impiiſſimæ hęreſis extinctionem ſanctus Hieronymus tunc defunctus procurauit à Chriſto tres mortuos ſuſcitari: qui reſuſcitati retulerunt vniuerſis, qui aderãt ſupplicia purgatorij, ac inferni, atque ſanctarũ gaudia animarum. Cumque beatus Cyrillus ad vnum trium illorum acerbiſſimè & incõſolabiliter lachrymantem veniſſet, interrogauit eundem obnixe, vt ſibi referret quid circa ſe geſtum eſſet in hora mortis. At ille: Adueniente (inquit) exitus mei hora, tanta immundorum ſpirituum affuit multitudo in loco, quo iacui, vt præ multitudine dinumerari non poſſent: quorum forma fuerat talis, quòd ea nihil pœnalius, nihil formidabilius poteſt excogitari. Potius namque

Exẽplum ex Cyrillo Epiſcopo ſed hic Cyrillus nullus vnquã fuit.

Tres mortui reſuſcitati intercedente Hieronymo iam tum defuncto.

namque quilibet hominis flammis ardentibus exponeret ſe arſurum, quàm ictu oculi potiretur viſione formæ eorum. Tandem apparente glorioſo Hieronymo aufugerunt, & iubente eodem anima mea receſſit à corpore tam grauiter & acerbè quòd certè quantæ fuerint illæ anguſtiæ & preſſuræ, non caperet humana mens, niſi, vt ego, per experientiam didiciſſet. Itaque anima mea cùm tam ineffabilibus pœnis atque doloribus ſeparata ſubito in ictu oculi fuit ante Dei iudicantis præſentiam ineffabiliter deportata: ſed qualiter, non agnoſco. Nec inde mireris, quia nunc carnis aggrauor mole, tunc autem anima fuit ſine carne. Vniuerſa & ſingula peccata noſtra iudici clariſſimè patuerunt, imò & cunctis aſtantibus. Dæmonum quoque aſtitit multitudo accuſans: locum, modum, tempus, numerúmque mearum declarans culparum, & contradicere non valebam. Heu quid dicam, qualem præſtolabor ſententiam? Cùm igitur nihil reſtaret niſi damnationis ſententiam promulgari, glorioſus Hieronymus impetrauit à iudice noſtram differri ſententiam. Deinde me & duos mecum reſuſcitatos aſſumens, oſtendit nobis lo-

bis locum & beatitudinem animarum ſanctarum: deinde ad infernum & purgatorium nos deducens, non ſolum quæ ibi gerebantur oſtendit, ſed etiam voluit vt ea experiremur. Quibus peractis iuſſit vt rediremus ad corpora, & ea quæ vidimus ac ſuſtinuimus aliis denunciaremus, ſicque animæ noſtræ noſtris corporibus ſubito ſunt coniunctæ. Inſuper inter miracula ſancti Hieronymi legitur, quòd quidam Andreas nomine cardinalis, cũ eſſet defunctus & iudici præſentatus, fuerat æternis ſuppliciis deputandus ob ſuam in veſtimentis & cibis ac potibus ſuperfluitatẽ, niſi glorioſus Hierony. ſubueniſſet, qui meritis ſuis ac precibus impetrauit à iudice animam illius reſtitui corpori: ſicque anima illa fuit in ictu oculi corpori reſtituta. Prætereà in vita ſancti narratur Martini, qualiter ipſe magnus ſanctus Martinus, quendam qui ſeipſum ſuſpenderat laqueo, ſuſcitauit à mortuis, & alium quendam catechumenum qui nondum conſecutus fuit baptiſmum. Qui reſuſcitatus ſæpius retulit qualiter anima ſua à corpore ſeparata, fuit à iudice locis tenebroſis adiudicata, quò cũ à malignis duceretur ſpiritibus, duo angeli iudici ſuggeſſerũt hunc eſſe,

Miraculum ex vita Hiero.

eſſe,pro quo oraret S. Martinus: quo audito,precibus tanti pontificis,reddita eſt eſt anima illa ad corpus. Amplius,in vita Chriſtinæ mirabilis, quam deſcripſit venerabilis vir qui & librũ Apum compoſuit, ipſamet admirabilis virgo Chriſtina narrauit, qualiter anima ſua exuta à corpore ac iudici præſentata, fuit ab eo benignè recepta. Cúmque & pœnas inferni purgatorúmque vidiſſet, data eſt optio ei manere cum Chriſto, vel redire ad corpus, & diuerſa pati ſupplicia pro liberatione animarum in purgatorio detentarum,quæ cùm ex ardentiſſima caritate & pietate petiſſet ad corpus reuerti, repente reuixit. Et breuiter, huiuſmodi quaſi innumerabilia leguntur miracula, in quibus reſuſcitati teſtati ſunt ſe poſt receſſum à corpore,fuiſſe iudici præſentatos ac iudicatos. Nec recolo me de aliquo reſuſcitato legiſſe, quòd dixerit ſe iudicatum, anima ſua adhuc in corpore exiſtente. FRAT. Sufficienter (vt reor) iſtud per exempla monſtratum eſt, Precor autem vt exprimas quid ęſtimas ſentiendum de hoc,quod(vt prætactum eſt) Innocentius ſcribit in libro de miſeria conditionis humanæ, Chriſtum in cruce poſitum vnicuique fideliũ apparere ante

Exẽplum ex vita Chriſtinæ mirabilis.

exitum

exitum animæ ſuæ de corpore, bonis ad conſolationem, malis ad confuſionem.

An Chriſtus quaſi in cruce poſitus appareat ſingulis ante mortem.

ARTICVLVS XI. DIONY.

QVid neceſſe eſt incautè & temere diffinire, quod abſque periculo ignoratur? tamen quoniam prouide ſciſcitaris quid æſtimem, nō quid affirmem super hoc ſentiendum ſeu potius opinandum, tangam breuiter quod occurrit. Porrò quæ fidei ſunt, & naturalem rationem prorſus tranſcendunt, probari poſſunt vel per miracula, aut per ſcripturas, ſeu per determinationem Eccleſiæ, deinde etiam per auctores authenticos, præſertim ſi communiter atque concorditer dicunt quid tale. Auctoritates verò ad huius dicti probationem inductæ, ſatis ſolutæ ſuprà articulo 7. quo patuit, quòd auctoritates illæ à doctoribus ad literam aliter exponuntur communiter. Dictum eſt quoque quòd doctores & ſancti patres non videntur concurrere in huius rei aſſertione ſeu opinione Inſuper, cum multi valde ſint reſuſcitati à morte, qui & expoſuerunt viuentibus quæ eis in morte, & antè, & poſteà contigerunt, non tamen recolo

De incertis nihil temere diffiniēdum.

me legiſſe aut audiuiſſe de aliquo tali reſuſcitato, quòd dixerit ſe habuiſſe talem CHRISTI appari:ionem tempore mortis. Sed non eſt ambigendum, quia multi ſancti vtriuſque ſexus, tam martyres quàm confeſſores ex ſpeciali beneficio pietatis diuinæ & propter merita ſua Chriſtum antè ſuum obitum conſpexerunt, de quibus tamen non legitur, quòd apparuerit eis tamquam in cruce diſtentus. Denique à ſequentibus illam Innocentij poſitionem eſſet quęrendum, quali viſione videant omnes Chriſtum ante obitum ſuum, an ſcilicet viſione corporali & exteriori, an viſione imaginaria, an ſolum intellectuali, & circa hoc multa occurrerent inquirenda, an etiam Chriſtus in propria perſona illis appareat, & qualiter ſpecies illa crucifixi exiſtat in ipſo, an miniſterio angeli formetur in vi imaginatiua huiuſmodi forma Chriſti taliter reprę ſentatiua. Verùm de iſta materia tutius arbitror pertranſire, quàm pro incertis certa inſerere. FRATER. Quia iam ſatis locutus es de particulari ſingulorum iudicio, & vbi ac qualiter fiat, iam cupio vt reſpondere non abnuas ad dubitationes & quæſtiones, quæ mihi circa prætactam occurrunt materiam. DIO.

Quantum

Quantum Domino concedente potero, reſpondebo.

Vtrum horum iudiciorum duorum videatur magis horribile ac timendum, particulare'ne an generale.

ARTICVLVS XII.

DE vtroque verificatur quod ſcribit Apoſtolus: *horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis.* Porrò particulare iudicium, quantum ad aliqua poteſt horribilius reputari, tum quia propinqui⁹ imminet. Vnde & Iacobus ait Apoſtolus: *Ecce iudex ante ianuam aſſiſtit*, tum quia pericula ſingularia ac propria ſolẽt amplius formidari, quàm generalia atque cõmunia: tum quoniam qui in particulari ſuo iudicio ſententiam damnationis euaſerit, in iudicio illo generali erit ſecurus. Verumtamen abſolutè loquendo, videtur generale iſtud iudicium formidabilius eſſe ob multa, quæ quiſque faciliter poteſt perpendere, quoniam coram vniuerſis rationalibus ac intellectualibus creaturis agetur, ſingulorúmque vitia ſingulis innoteſcent, & tam iudex quàm angeli tunc viſibiliter apparebunt ſtabítque mundus in igne conflagrationis, & reprobi, qui nunc quantum ad animam

Hebr. 10.

Iacob. 1.

Iudicium generale quare horribilius iudicio particulari.

Iudicium vtrumque pauēdum ratione quintuplici. inferno adiudicantur, tunc quo ad corpus & animam damnabuntur, tartareum quoque chaos patebit. Hinc ſancti patres de terribilitate illius iudicij & copioſius ſunt loquuti. Vtrumque tamen ineffabiliter eſt terribile ac pauendum: Primò ex
I. parte iudicis ſummi, cuius omnipotentiæ nullus poteſt reſiſtere, cuius ſapientiam nihil valet latere, cuius iuſtitia tunc flecti nequibit, qui & reprobis iratus ac
II. terribiliſſimus apparebit. Secundò ex parte iudicandorum, qui comparatione iudicis tanti, nullius ſunt momenti, neque tunc poterunt appellare, nec vllo ſe modo poterunt excuſare: imò & accu-
III. buntur acerrimè. Tertiò ex parte ſententiæ, quæ impiis acutiſſima & pœno-
IIII. ſiſſima eſt. Quartò ex parte retributionis, quæ in generali iudicio erit vel infernalis damnatio, aut ſempiterna ſalua-
V. tio. Quintò ex parte circunſtantium ipſum iudicium, quoniam particulare iudicium in præſentia fit multorum, generale autem in conſpectu vniuerſorum elementis ardentibus, circũſtantibus angelis, imò & omnibus ſanctis. Si metuendum eſt iudiciũ creaturæ mortalis, quàm expauendum eſt iudicium Dei omnipotentis? Si ſententia temporalis mortis

eſt

eſt formidanda, quàm formidoloſa eſt æternæ damnationis ſententia? Si confuſibile eſt & pœnale, coram paucis hominibus increpari, & ſecretorum vitiorum denuntiationem audire, quàm confuſibiliſſimum pœnaliſſimúmque conſiſtet, coram vniuerſis & ſingulis angelis ſanctis ciuibúſque ſupernis atque dæmonibus ac cunctis hominibus manifeſtari de omni peccato quantumlibet paruo & magno, fœdo & turpi, enormi ac erubeſcendo. FRA. Mirum quòd iſta non magis veremur. DIO. Si ea debitè, & circũſtantionaliter, ac frequenter conſideraremus, ea vtique penetratiuo horrore metueremus. Affectiones namque, vt timor, amor ſpes, deſiderium, ex præuia aliqua apprehenſione cognitiua naſcuntur, cum obiectum appetitus ſit bonum cognitum. FRAT. De terribilitate vtriuſque iudicij plenius aliquid tange, ſi placet. DIO. De terribilitate finalis iudicij alibi ſatis multa legiſti, ac plurima aliunde audiſti. Porrò de horribilitate particularis iudicij, de quo in iſto opuſculo principalis ac ſpecialis eſt mentio aliqua tangã. FRA. Nihilominus aliquid precor tãge & de generalis terrore iudicij, vt ea tantò tenacius commendem

memoriæ, quantò ſpecialius propter me, aut mei occaſione cõmemorãtur. DIO. Præter & vltra prætacta quæ illud iudicium tam metuendiſſimum reddunt, id quoque nos debet inducere ad intenſiſſimum eius timorem, quòd viri eximiæ ſanctitatis, vt diuiniſſimus Dionyſius, glorioſus Hierony. illuminatus Gregorius, aliique innumerabiles viri virtutũ, illud tam formidoloſè atque aſſiduè expauerunt. Ait quippe Hieronymus: Quoties diem illum conſidero, toto corpore contremiſco. Siue etenim comedo, ſiue b bo, ſiue aliud aliquid facio, ſemper videtur mihi tuba illa terribilis inſonare auribus meis: Surgite mortui, venite ad iudicium. Iudicaturo equidem domino lugubre mundus immugiet, & tribus ad tribũ pectora feriet. Hinc quoque Gregorius: Præſentis (inquit) temporis ita eſt agenda lætitia, vt numquam amaritudo ſequentis iudicij recedat à memoria. Sic nanque omnipotens Deus vias noſtras conſiderat, & cunctos greſſus noſtros dinumerat, vt nec minimæ co-
Iob. 31. gitationes, nec minutiſſima verba, quæ apud nos viluerunt, in eius iudicio indiſcuſſa permaneant. Tũc planè, vt deuotus & ſubtilis ille Anſelmus ait, à dextris erũt

peccata accuſantia, à ſiniſtris infinita dæmonum turba, ſubtus horrendum chaos inferni, ſuperius iudex iratus, foris mundus ardens, intus conſcientia vrẽs. *Ibi vix* 1.*Pet*.4.
iuſtus ſaluabitur. Heu miſer peccator ſic deprehenſus quò fugiet? Latere erit impoſſibile, apparere intolerabile. Inſuper ſanctus Dei propheta Daniel, cum angelũ in forma quadã viſibili conſpexiſſet vt ipſemet ſcribit, dixit: *Domine, in viſione tua diſſolutæ* *Da*.10.
ſunt compages meæ, & nihil in me remanſit virium, ſed & halitus meus intercluditur, & tacui. Si tantum perterritus, cõſternatus, defectus fuit vir iuſtus ex vnius intuitu angeli apparentis in forma terribili, qualiter in die nouiſſimo terrebuntur & affligentur reprobi & iniqui tam innumérabilia angelorum millia intuendo, quæ eis in forma præmetuenda tunc apparebunt? Tunc etenim non ſolum orbis terrarum, ſed & politia tota cœlorũ *pugnabit pro ſuo creatore contra inſenſatos & reprobos.* *Sapien*.5.
FRA. Non inutiliter poſtulaui hæc tangi, quorum aliqua nondum conſideraui, nempe ſi tam metuendus & afflictiuus erit iniquis angelorũ aſpectus, quã intolerabile ipſis erit iudicem ipſum cui tam ingrati fuerunt, conſpicere? ſed & dæmonum, qui tunc (vt credo) viſibiliter

apparebunt, aſpectus erit impiis inæſtimabiliter grauis. Sed cum Ioannes dicat
1. Ioan.4. apoſtolus: *Timor non eſt in caritate, ſed perfecta caritas foras mittit timorem*, quomodo verum eſt, quòd viri in caritate tam eminenter perfecti, eatenus illud timuerunt iudicium? DIONYS. Quemadmodum perfecta caritas foras mittit & expellit timorem ſeruilem, ſic parit timorem filialem. FRAT. Timor filialis directè reſpicit malum culpæ, quemadmodum timor ſeruilis malum pœnæ. Timor autem iudicij eſt timor mali pœnalis, non mali culpabilis: filiali ergo timore non timuerunt illud iudicium. DIONY. Sicut timor ſeruilis directè & immediatè concernit malum pœnale, id eſt, ſupplicium, atque, ex conſequente & ſecundariò malum culpæ, hoc eſt, peccatũ, in quantum pro peccato infligitur pœna: ſic timor filialis directè & immediatè concernit malum culpæ, quam fugit & abominatur ex diuino amore, ne ſeparetur à Deo: ex conſequente autem & ſecundariò poteſt reſpicere malum pœnæ, ſecundum quod pœna culpam concomitatur: nec ſimul cum plena dilectione fruitiua & amoroſa præſentia ſtare poteſt. Et quid miraris ſi viri perfecti in iſto

Timor filialis & ſeruilis.

exilio illud formident iudicium, *cùm & tunc cælorum virtutes atque Angelicæ poteſtates mouendæ ſint*, motu vtique reuerentialis timoris & admirationis cuiuſdam ingentis? Meritò igitur vnus ſanctorum locutus eſt patrum. Si poſſibile eſſet animas exire de corpore præ timore, in Dei aduentu omnis mundus moreretur præ formidine & horrore. Quale enim eſt cęlos ſciſſos videre & Deum reuelatum cũ ira & indignatione, atque innumerabiles angelorum militias, & totum ſimul genus humanum intendere! Propter quod viuere ſic debemus, tanquam ſingulis motibus noſtris rationem daturi. FRA. Copiosè de iſto diſſeruiſti, tamen ſi non grauat, expone qualiter cæli tunc ſciſſi erunt. DION. Non neceſſe eſt opinari, quòd cæli qui eminent elementis ſubſtãtialiter tunc ſcindentur, ſed ſecundùm apparentiam quamdam, ita quod hiatus quidam, & velut apertiones apparebunt in eis ex fulgureis quibuſdam luminibus ſeu coruſcationibus, quæ erunt in cælo aëreo, quemadmodum & tempore fulgurationis aliqualiter cernimus. Nam & in Euangelio cæli leguntur Domino babtizato aperti. FRATER. Iam iuxta promiſſum, de terribilitate particula-

Luc. 21.

Ioan. 1.
Luc. 3.
Mat. 3.
Marc. 1.

ris iudicij placeat loqui.

Quam metuendum ſit particulare iudicium.

ARTIC. XIII. DION.

SIcut iam tactũ eſt, particulare vniuſcuiuſque iudicium ex multis cauſis redditur metuendum, ſicut & vniuerſale iudicium, & præſertim quoniã ſi in particulari iudicio fuerimus deprehenſi in peccato mortali, non ſolùm tunc quantum ad animam adiudicabimur pœnis æternis, ſed in finali quoque iudicio quo ad corpus & animam condemnabimur in æternum. Hinc ſancti patres ex conſideratione ſui particularis iudicij proximè imminentis valde pertimuerunt. Vnde & ſanctus abbas Elias, Ego, inquit, tres res timeo: Vnam, quando egreſſura eſt anima mea de corpore: ſecundam, quando occurſurus ſum Deo: tertiam, quando de me proferetur ſentẽtia. Alius quoq; ſenex locutus eſt fratri: Vade & cogita ſicut cogitant rei incarcerati. Ipſi enim interrogant homines, Vbi eſt iudex? quando veniet? & ſuarum expectatione pœnarũ lugent. Sic monachus debet ſemper ſollicitus eſſe, & animam ſuã obiurgare, dicendo: Væ mihi, quomodo habeo ſtare ante tribunal Chriſti, & actuum meorum reddere rationem? Et alius

Tres res timendæ.

alius: In omni, inquit, re increpet homo animam ſuam dicendo ad eam: Memor eſto quia oportet te occurrere Deo. Sed & alius ſenex dixit: Flere ſemper debemus. Cum enim ſenex quidam obiiſſet, atque poſt longam horam rediſſet ad ſe, interrogauimus eum. Quid vidiſti ibi pater? Reſpondit cum lachrymis: Audiui ibi lugubrem vocem inceſſanter dicentem: Væ mihi, væ mihi. Sic & nos dicere ſemper debemus. Prætereà Climachus refert de quodam ſancto anachoreta, quòd ex intenta atque aſſidua mortis meditatione frequenter patiebatur mẽtis exceſſum, viribúſque deficiens & ferè abſq; flatu exiſtẽs reportabatur à fratribus, qui eũ inueniebant. FRA. Cum dicat Apoſtolus: *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto,* *Philip.1.* itemq;, *infœlix ego homo, quis me liberabit de* *Rom.7.* *corpore mortis huius*; Pſalmograph. quoque, *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum,* *Pſal.42.* *quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* *Pſal. 119.* & denuò: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, &, Educ domine de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo*: con- *Pſal.141.* ſtat quòd perfectorum ſit mortem potius deſiderare, quam formidare. Quomodo igitur ſancti viri mortem taliter timuerunt? DIO. Naturale eſt homini mor

mortem timere, quemadmodum naturale eſt vitam diligere:ſed vigor gratiæ, caritatíſque feruor, ac futuræ prælibatio fœlicitatis ſic poſſunt augeri ac prædominari in homine, vt mortem tanquam huius miſeræ defectuoſæque vitæ termi-
1. Cor. 7. num, atque futuræ beatitudinis ianuam optet. Verùm vt loquitur Pau. apoſt. *Vnuſquiſque ſuum donum habet à Domino.* Et vnus electorum magis in hac, alter magis in illa abundat virtute & gratia. Propter quod de vnoquoque ſancto cantatur: *Nō*
Eccl. 44. *eſt inuentus ſimilis illi.* Quidam ergo electi, qui elegerunt corā Deo, iugiter eſſe ſolliciti, timorati, cuſtoditi, mortē quāplurimū timuerunt, non propter ipſam corporalem mortē principaliter, aut dumtaxat, ſed maximè, propter particulare Dei iudiciū morti ſtatim annexū, & propter
Eccleſ. 7. pœnalia quæ concomitātur, & quoniam certi nō erāt, an amore digni inuenirentur, & an curſum ſuū feliciter terminarent, & quia circa mortis articulū cōtingere ſolēt tētationes grauiſſimæ. Nempe etſi teſte Philoſopho, omnium terribiliū terribiliſſimum eſt mors, loquendo de malis pœnalibus vitæ præſentis, nihilominus prætacta horribilia morti annexa, & eam concomitantia, omni morte
cor

corporali ſunt ineffabiliter terribiliora. Vnde & multi ex eo quòd talia vel viderunt ſpiritu & exceſſu, aut ſuſtinuerunt ad tempus, reuerſi ad ſe, ſeu ad priſtinam vitam, pœnitentiam egerunt mirabilem, & rigoroſiſſimè, ac timoratiſſimè deinceps vixerũt. FRA. De hoc aliqua refer exempla, quia exemplaris narratio magis ſolet ædificare, compungere, atque accendere. DION. Recitat Climachus de ſolitario quodam eremita, qui iuxta montem Sinai, longo tempore negligẽtiſſimè vixit: qui quodam tempore infirmatus extremè, migrauit perfectè à corpore, quaſi per integram horam, deinde reuerſus ad ſe, rogauit omnes, qui aſtabant recedere. Quo facto, ianuam cellulæ ſuæ obſtruens, manſit intus, per annos duodecim, cũ nullo penitus colloquium habens: nec aliud quàm panem guſtans, & aquam, ſedit ſtupens ad ea quæ vidit in ecſtaſi, morẽ ſuum de cætero nũquam mutans, & calidas lachrymas iugiter fundens. A quo cùm migraturus erat, hoc ſolum audiuimus: Indulgete mihi fratres. Nemo habens mortis memoriam poterit peccare. Ecce quàm horribilia vidit in ſpiritu, qui repẽtè tam extremè mutatus eſt. Inſuper legitur de
quo

quodam ordinis Ciſtercienſis conuerſo, in quodam magno peccato defuncto, & precibus glorioſiſſimæ virginis, ad corpus reducto: qui reſuſcitatus, narrauit ſe grauiter coram iudice accuſatum: & orante pro eo dulciſſima virgine, iudicem cum aliquibus contuliſſe ſecretè, quaſi tractando, quid de ipſo eſſet agendum, ſeque interim tam vehementiſſime timuiſſe, quòd ſi anima ſua fuiſſet mons æreus, defluxiſſet, & liquefactus fuiſſet, præ immenſitate ſui terroris. Poſtremò de beatiſſimis patribus Arſenio & Agathone, in Vitis patrum deſcribitur, quòd in extremis poſiti, valde extimuerũt occulta & iuſta Dei iudicia. Dixitque vnus: Non præſumo quod vereor, quoniã alia ſunt iudicia Dei, & alia iudicia hominũ. Arſenius quoque, à diſcipulis inquiſitus: In veritate, & tu ô pater formidas? reſpondit: Timor qui nunc in me eſt, ſemper fuit in me ab ea hora, qua monachus factus ſum, & timeo valde. FRA. Si tales ac tanti ſic timuerunt, quid reſtat nobis agẽdum? Sed precor, vt de ſuppliciis animarũ poſt vitam hanc pauliſper loquaris. DIO. De pœnis purgatorii & inferni tot alibi ſæpe legiſti, vt opus non ſit de his in iſto tractare dialogo. FRAT. Ex

ſpecia

ſpeciali cauſa iſtud deſidero. Intendo equidem adhuc interrogare qualiter intelligenda ſunt quædam, quæ in diuerſis viſionibus, reuelationibus& libellis, imò & libris de huiuſmodi pœnis legũtur, ad quorum ordinatam, & fructuoſam inquiſitionem ex tuis reſponſionibus & doctrinis cupio peruenire.

De pœnis purgatorij.

ARTICVLVS XIIII. DION.

AD tractandum vtcunque de ſuppliciis purgatorij, primò commemoro, quod Magiſter Sententiarum libro quarto, ex verbis allegat Auguſtini dicentis: Prius purgandus eſt igne purgationis, qui in aliud ſeculum diſtulit fructum conuerſionis. Hic autem ignis, etſi æternus non ſit, tamen miro modo eſt grauis. Excellit enim omnẽ pœnã, quam vnquam paſſus eſt aliquis in hac vita. Numquam in carne inuenta eſt tãta pœna, licet mirabilia paſſi ſint tormenta martyres ſancti, & multi nequiter magna nimis ſuſtinuerunt ſupplicia. Prætereà de purgatorij pœnis ſcribit Thomas, ſuper quartum: In purgatorio, inquiens, erit duplex pœna: videlicet damni, inquantum retardantur à viſione diuina: alia ſenſus, inquantum ab igne corporali puniun

Aug. de vera & falſa pœnitent. cap. 18.

Duplicem eſſe in purgatorio pœnam.

puniuntur. Et quantum ad vtrunque, minima pœna purgatorij excedit maximã vitæ præſentis pœnam. Quantò enim aliquid plus deſideratur, tantò eius abſentia eſt moleſtior: & quia affectus, quo deſideratur ſummum bonum, poſt hanc vitam in animabus ſanctis eſt intenſior, quoniam corporis mole non retardatur, & etiam quoniam tempus, ſeu terminus fruendi ſummo bono iam aduenisſet, niſi aliquid impediret, ideo de tardatione maximè dolent. Similiter cùm dolor non ſit læſio, ſed læſionis ſenſus, ſiue perceptio, tãtò plus aliquis dolet de aliquo læſiuo, quantò eſt magis læſiuum, ſeu ſenſitiuum. Propter quod læſiones, quæ fiunt in locis maximè ſenſibilibus, maximum cauſant dolorem. Et quoniam corporis totus ſenſus fluit ab anima, ideò ſi in ipſam agat animam aliquid læſiue, oportet de neceſſitate, quòd maximè affligatur. Hinc vtraque pœna purgatorij, omnem excedit pœnã vitæ præſentis. FRAT. Circa hæc oritur mihi timor, & quæſtio multiplex. DIO. Timor iſte eſt vtilis, ſed quęſtiones curioſæ compunctionem non fouent. Ideo idiotæ, & ſimplices ex ſuo ſalubri timore frequenter magis proficiunt, quàm qui circa ſingula quæſtionibus

Vtranque purgatorij pœnã excedere omnem mundi pœnã.

nibus implicantur. Sed quoniã quæſtiones tuæ non ex curioſitate,ſed ex caritate naſcuntur,dubia tua (ſi placet) propone. FRA. Scientiam ad charitatem eſſe ordinandam noui ex eo,quod in euangelio Ioannis ait Saluator, loquens ad patrem: *Notum feci eis nomen tuum,vt dilectio tua in eis ſit.* Ioan. 17. Fateor tamẽ,quòd circa quæſtiones ſuperfluè occupati, deuotionis ſit impeditiuum. Curioſitas verò humana quæſtionibus immoderatè inuoluitur,ſicut & Salomon conteſtatur: *Deus fecit hominem ab initio rectum, & ipſe ſe immiſcuit quæſtionibus infinitis.* Eccleſ. 7. Quòd ſi huic ſuperfluitati vacauero, tuum erit me caritatiuè dirigere. DION. Audenter quicquid te mouet propone. FRAT. Primò oritur quæſtio,circa id quòd aſſerit conſcius ſecretorum Dei ſanctiſſimus Auguſtinus, pœnam purgatorij, omnem vitæ præſentis pœnam excedere.Cùm enim ſint multa peccata, quib⁹ in hac vita debetur minor pœna, quàm ſunt quædam pœnæ vitæ præſentis, cur in purgatorio debetur eis pœna tam grandis, omni pœna ſeculi huius intenſior. Hoc namque videtur diuinæ contrariari iuſtitiæ, cum in Deuteronomio ſcriptum ſit: *Secundum modum delicti, erit & menſura plagarum.* Deut. 15. Prætereà

capere nequeo, qualiter deſiderium illud fruẽdi ſummo bono, propter dilationem & retardationem fruitionis illius, pariat dolorem omni pœna, ſeu dolore præſentis vitæ maiorem. Cùm enim in anima in purgatorio detenta maneat virtus patientiæ, poteſt de neceſſitate facere virtutem & dilationem illam æquanimiter ferre, nec tantùm affligere ſemetipſam deſiderando, quod ante tempus ſtatutum adipiſci non valet. Deinde apparet, quòd immaterialis incorporaliſque ſpiritus, ſcilicet anima à corpore ſeparata, tam dirè pati & affligi non poſſit, ab igne illo corporeo, à quo (ni fallor) nec caleſieri poteſt, nec corporaliter tranſmutari, cùm iuxta philoſophorum, & theologorum doctrinam, quicquid in aliquo recipitur, in eo recipiatur, ſecundum modum ipſius recipientis. Ideo quicquid talis ſpiritus ab igne recipit, immaterialiter ac ſpiritaliter videtur recipere. Inſuper in anima ſeparata non eſt, nec remanet tactus, nec aliquis ſenſus corporeus, quæ eſt potentia organica. Quomodo ergo à corporalibus rebus poterit lædi, affligi, ſentire, aut læſionem percipere? Non videtur quòd aliter, quàm ſpiritaliter, & immaterialiter, quod nõ eſſet doloroſius omni

doloro

doloroſo ſeculi huius, aut vitæ præſentis. Amplius, ſi anima ſeparata ideo magis affligitur ab igne, quam aliquis in hoc mũdo ob hoc, quòd ignis ille agit in animã ipſam, à qua profluunt omnes corporis ſenſus, conſequens erit, quòd animæ in purgatorio exiſtẽtes grauius affliguntur ab illo, quàm animæ in inferno poſt reſurrectionem futuram: quia tunc animæ condemnatæ, erunt corporibus reunitæ, ſicque ignis ille non aget in animam immediatè. Amplius, non videtur, quòd minima pœna purgatorij, loquendo de pœna ſenſus, maior ſit omni pœna vitæ præſentis, cum multæ ſint minutiſſimæ culpæ, quibus non videtur, tam intenſa pœna deberi: & item, quia ſecundum hoc maiores purgatorij pœnæ, quæ pro grauiſſimis ſceleribus contritis, ſed per ſatisfactionem non deletis infliguntur, eſſent inæſtimabiliter duræ & afflictiuę: & etiam quoniam pœnæ purgatorij, paulatim (vt creditur) remittuntur ac minuuntur. DIONYSIVS. Obiectiones, iſtæ, cariſſime frater, difficiles ſunt, & partim à doctoribus, ſuper quartum Sententiarum mouentur. Ideo in ſequenti articulo, ad eas pro viribus reſpondebo.

Solutio obiectionum præcedentis articuli.

ARTICVLVS XV.

DIONYSIVS.

Deut.15. AD id quod allegaſti, quòd *ſecundum menſuram delicti, erit & plagarum modus,* dicendum quòd verum eſt, in eodem ſtatu, & cæteris paribus. Status autem animarum in purgatorio, & inferno, eſt alius à ſtatu vitæ præſentis. Ideò peccata ibi grauius puniuntur, quàm hîc, præſertim quoniam in punitione culparum, Deus magis aſpicit voluntatem patientis, quàm pœnam in ſe. Qui autem in hac vita, pro ſuis peccatis pœnam aſſumunt, ac ſuſtinent, ſponte & liberè eas aſſumunt, & ſufferunt. Non ſic in purgatorio. Hinc ſuper quartum Sententiarum, diſtinctione ſecunda, ait D. Bonauentura, & concordat dominus Alexander de Hales, *Pœna duplex.* in Summa: Duplex eſt pœna, videlicet aſſumpta & inflicta. In pœna aſſumpta, non ſolum complacet Deo ordinatio pœnæ ad culpam, ſed etiam ordo, & rectitudo *Pœna grauior cur poſt hanc vitam infligenda.* voluntatis, pœnam aſſumentis. In pœna verò inflicta placet Deo ordo pœnæ ad culpam. Quoniam ergo pœna pœnitentium in præſenti eſt pœna aſſumpta, pœna autē exiſtentiū in purgatorio eſt pœna inflicta,

inflicta,quia in eis eſt tempus recipiendi, noa promerendi, ideo modica pœna in præſenti plus ſatisfacit, & de ea magis contenta eſt diuina iuſtitia, quàm de magna in futuro. Hinc quaſi improportionabiliter maiorem exigit pœnã Deus in purgatorio, quàm in ſeculo iſto, vt ſuæ ſatisfiat iuſtitiæ, cuius exemplum accipi poteſt in materialibus debitis. Creditor namque magis acceptat vnam marcam auri,quàm decem marcas argenti. Pœna autem hìc ſponte aſſumpta, plus pretioſior eſt pœna purgatorij, quàm aurum argento. FRATER. Placet reſponſio, & veritas eius delectat,ſed dubitatio oriens auget, & incitat ad quærendum. Videtur quippe ex iſta reſpõſione,quòd pœna purgatorij non ſit voluntaria, ſed coacta, & per conſequens Deo non placita, nec ſatisfactoria. Quæritur ergo an ſit voluntaria, & videtur quòd imò, quoniam exiſtentes in purgatorio ſine huiuſmodi pœna nequeunt beatitudinẽ adipiſci: & rurſus,quia in caritate conſiſtũt, & iuſti,nec Deo rebelles. Idcirco quod Deus eis iuſtè inflixit, voluntariè non inuoluntariè patiuntur. Porrò quòd inuoluntaria ſit, hinc apparet, quoniam cupiunt & precantur liberari ab ea. DIONYS. Ex præ-

habita reſponſione magis accendi debemus ad faciendum pœnitentiam in hac vita condignam & plenè ſatisfactoriam, quàm ad quærendum non neceſſaria ad ſalutem. Veruntamen quæſtio tua eſt vtilis, ad quam breuiter dico, quòd pœna purgatorij dicitur voluntaria, non abſolutè, ſed conditionatè, quoniam aliter ſaluari non valent, quemadmodũ æger vult incidi aut vri. Vnde ſecundum Alexandrum, & idem tangit D. Bonauentura ſuper quartum. Pœna dicitur volũtaria tribus modis. Primò quia à voluntate imperante aſſumitur, & talis eſt pœna pœnitentialis. Secundò, quia à volũtate acceptante æquanimiter toleratur, vt eſt martyrum pœna, quæ intantum placuit eis, quòd ab ea erui noluerunt. Tertiò, quia à voluntate tolerante ſuffertur, ſicut dum cupiẽs ſanitatem infirmatur, ſuſtinet quidem infirmitatem tãquam pœnam diuinitus inflictam, & tamen ab ea liberari procurat: & talis eſt purgatorii pœna: taliſque pœna minus habet de ratione voluntarij quàm prædictæ. FRA. Bona ſolutio, reſponde ad alia. DIO. Ad id quod dicis comprehendere te nõ poſſe, qualiter deſiderium, ſeu dilatio beatificæ fruitionis gignat maiorem pœnam in ani

Pœna voluntaria dicitur tribus mod.

I. II. III.

in animabus purgatorio deputatis, quàm ſit aliqua pœna ſæculi huius, reſpondeo tibi per verba Sancti Bonauēturæ dicentis, quòd cùm magiſter in litera, & multi ſancti affirmēt pœnā purgatorij eſſe omni pœna huius vitæ maiorē, oportet nos ita tenere, etiam ſi nō appareat nobis ratio ad hoc. In huiuſmodi enim magis eſt adhærendum auctoritati quàm rationi, quoniam totum illud eſt potius ſupra naturam & rationem, quàm ſecundum naturam & rationem. Veruntamē prællegatis verbis Beati Thomę dicentis, quòd deſiderium illud, propter dilationem, atque carentiam beatificæ fruitionis inducat tam grauem dolorem & pœnam, doctores aliqui contradicunt, quemadmodum & ipſe Diuus Bonauentura, qui ſuper quartū, diſtinctione viceſima ſcribit: Aliqui voluerūt aſſignare rationem, partim naturalem, & partim ſupernaturalem de acerbitate pœnæ purgatorij. Dixerunt namque, quòd animæ exutæ habent potentias ſuas expeditas, habéntque naturale deſiderium pertingendi ad ſummum bonum, ad quod creatę ſunt: & vltra hoc gratia eſt in eis, quæ iſtud deſideriū magis inclinat. Idcirco cum ſciant hoc vltimum bonum, & retrahantur ab

eo, quaſi in carcere poſiti, modica pœna ſenſibilis cũ iſta triſtitia eſt maxima eis, & pro tanto dicũt purgatorij pœnam maximam eſſe. Nam ſicut delectationes ſpirituales ſunt multum intenſæ, & corporales excedũt, ſic triſtitia de abſentia ſummi boni excedit omnem corporalem dolorem. His verbis addit Bonauentura, ſed certè nec iſta ratio bene manuducit, ſi quis bene aſpiciat. Primò quoniam deſiderium ſummi boni neceſſario habet adiunctam fruitionem quãdam, & aliquam boni illius poſſeſſionem. Ideò facit gaudiũ. Vnde qui magis deſiderat ſummum bonum, magis delectatur in eo: quia in hoc differt deſiderium corporalium ac temporalium à deſiderio ſpiritualium rerum, vt Auguſtinus oſtendit in libro octoginta trium quæſtionum: & hoc veritatem maximè habet, cum Deus per caritatem inhabitat animam: imò ſecundum iſtam rationem pœna lymbi maxima fuiſſet in patribus ſanctis, in quo tamen creditur fuiſſe requies ſancta, non pœnalis. FRATER. Quid tibi circa iſta probabilius eſſe videtur? DIONYS. Inter tantos iudicare doctores non eſt meę iã paruitatis, tamen quia interrogas quid mihi probabilius videatur, ſine incauta aſſer

Triſtitia de abſentia ſummi boni, omnem corporalem excedit dolorem.

Ephe. 3.

aſſertione reſpondeo, quòd poſitio Beati Thomæ prætacta rationabilior eſſe appareat quon am & ſacra ſcriptura in prouerbiis proteſtatur: *Spes quæ differtur, affligit animam. Lignum vitæ deſiderium veniens.* Prou. 13.
Et experiētia docet dilationē boni optati, & eius carentiam tantò eſſe pœnaliorem, quantò bonum illud magis amatur. Inter cæteros quoque caritatis effectus ſunt, vulneratum & languidum facere diligentem. Concedendū eſt etiam, quòd in purgatorio exiſtētes aliquo modo habeant ſummum bonum, vtputa in ſpe. Vnde & aliquam habent conſolationem inquantum certam ſpem obtinendi habent bonum tam infinitum. An tamen fruantur aliquo modo hoc bono per ſpē, fruendoque gaudeant actualiter in eodem, certum non reor. Forſitan enim magnitudo ſupplicij ita abſorbet in eis rationem & voluntatem, quòd à tali aliquantula fruitione & gaudio impediuntur, niſi fortaſſis aliquando habeant aliqua lucida interualla. FRATER. Si ſummi boni carētia & dilatio beatificæ fruitionis tantò plus affligit, quantò bonum illud magis diligitur, ſequi videbitur, quòd animæ in purgatorio exiſtentes habeant pœnam damni tantò dolo-

roſiorem, quantò ſunt magis perfectæ in caritate, ſicque animæ meliores ibi plus affliguntur. DIONYS. Quantum eſt ex parte dilationis atque carentiæ & ex caritatis radice, poſſet ſic eſſe: ſed aliunde creditur fieri recompenſatio, dolorisq; huius mitigatio in animabus in caritate perfectioribus, puta ex maiori fiducia cito obtinendæ fœlicitatis, imò & fœlicitatis maioris, & forſan interdũ ex qualicunque fruitione boni ſummè amati, aliquantique gaudij conſequentis. FRATER. Quid dicis de animabus patrum ſanctorum in lymbo? an carentia beatificæ fruitionis fuit in eis pœnoſa? DIO. Communiter dicũt doctores, quòd in lymbo patrum ante Chriſti deſcenſum ad illum, non erat pœna ſenſus, ſed pœna duntaxat damni ex dilatione atque carentia gloriæ. Vnde in tertia parte Summæ ſuæ, quæſtione 47. loquitur Sanctus Thomas: Chriſtus ad lymbum patrum deſcendendo contulit eis quantum ad gloriæ adeptionem, & per conſequens ſoluit eorum dolorem, quem patiebãtur ex dilatione gloriæ, ex cuius tamen ſpe gaudiũ magnũ habebant. Denique D. Bonauentura ſuper quartũ diſtinctione 45. Sancti, inquit, patres quia in ſuperiori

Loci in quo Patriarchæ detenti fuerunt nomina.

ſuperiori parte inferni erant, & Dei viſionem expectabant, non ſolum in lymbo, ſed etiam in ſinu Abrahæ dicuntur fuiſſe. Ille igitur patrum dicebatur infernus, & quia inferior, & quia aliquo modo fuit locus miſeriæ. Dicebatur etiam lymbus, quoniam erat ibi pœna carentiæ: ſed ſinus Abrahæ vocabatur, quoniam ibi erat expectatio gloriæ. His cõcordant ſcripta Petri de Tharantaſia, Richardi de media villa & Thomæ de Erfordia. FRATER. Prædictis obuiare videtur, quod in Zacharia fertur de Chriſto: *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* *Zach. 9.* Quod de eductione patrum ex lymbo tu ipſe ſuper Zachariam expoſuiſti, vbi & per aquam refrigerium deſignatur. Non ergo erat ibi gaudium aliquod. DIONYS. Gloſſa ibidem aliquid plus inducit: Tu inquiens liberaſti eos qui tenebãtur vincti carceribus, vbi nulla miſericordia eos refrigerabat. Verùm ad h c & ſimilia eſt vna ſecundum ſanctum Thomam ſolutio, quia intelliguntur quantum ad refrigerium perfectæ liberationis, quam ante deſcenſum Chriſti ad eos conſequi non valebant. Porrò vectes ſeu carceres, quibus ſancti patres detinebãtur incluſi,
intelli

intelliguntur impedimenta, quibus prohibebantur exire reatu originalis peccati. FRAT. Cupio edoceri an pœna damni erat animabus patrum ſanctorum in lymbo tam pœnalis, vt exiſtentibus in purgatorio, in quibus ſecundum beatum Thomam excedit omnem præſentis vitæ dolorem. Et videtur quòd ſic, imò apparet quòd ſuit maior in patribus ſanctis: tum quoniam magis diſpoſiti erant ad gloriam quàm in purgatorio exiſtentes: tum quoniam clarius conſiderauerunt, quantum bonum eſſet beatifica illa fruitio, & quantum damnum ex eius dilatione incurrebant. DIONYS. Non puto, quòd dilatio gloriæ fuit eis ita pœnoſa, vt exiſtentibus in purgatorio pœna damni: quia non ſuſtinebant dilationem gloriæ pro perſonali & propria culpa, ſed reatu originalis peccati. Porrò ad argumenta tua reor dicendum, ſicut tactum eſt paulò antè, quòd quamuis illa dilatio potuerit ſanctis patribus eſſe valde pœnoſa, quantum fuit ex parte carentiæ ac dilationis atque ex radice caritatis, tamen aliunde releuatio, & recompenſatio fuit ex conſolatione, & gaudio ſpei certiſſimæ liberationis. Et quoniam Deum per fidem formatã, & per donum ſapien

Pœna patrum in lymbo qualis fuerit.

ſapientiæ aliquo modo contẽplabantur, imò & per caritatem aliqualiter fruebã-tur, omnipotens quoque, iuſtus & pius Deus pœnam damni in diuerſis diuerſi-modè moderabatur, ſecundum quod di-uerſimodè erant diſpoſiti per merita ſiue demerita. Etenim aliter erat & eſt pœna damni in condemnatis, aliter in paruulis in ſolo originali peccato defunctis aliter in purgatorio, & tunc aliter in patrum ſanctorum lymbo. FRATER. Iſtud op-tarem mihi clarius explanari, ſed vereor te nimium fatigari. Nempe cum exiſten-tes in inferno nullatenus diligãt Deum, ſed maximè odiant, non video quòd ca-rẽtia viſionis diuinæ ſit eis moleſta: quia non cupiunt Deo vniri, nec eo frui, ſed rebus caducis, in quarum affectione mi-grauerunt à corpore. DIONYS. Subtili-ter tangis, ſed breuiter dico, quòd quãuis non cupiant gloriam electorum per reſ-pectum ad Dei honorẽ, eiuſque laudem, attamen in quantum gloria illa eſſet eis accommoda, atque à tantis miſeriis e-reptiua, ſic gloriæ huius carentia eſt eis pœnoſa: & ita non cupiunt Deo frui, ſed vti, quemadmodum & hi qui diligunt Deum, ſolum propter beneficia ſua: qui vtique plus amant ſeipſos, quàm Deum,

Quomodo damnati ob carentiam viſionis diuinæ triſtentur.

cupiũt

cupiúntque ſeipſis & rebus tranſitoriis frui, & per conſequens Deo vti, quod eſt merè præpoſterum, ac ſumma peruerſitas. FRAT. Placet reſponſio. Idcirco ſi placet, ad reſidua reſponde obiecta. DIO. Sequentium obiectorum ſolutio præcipuè ſtat in hoc, vt oſtendatur qualiter animæ à corporibus ſeparatæ, & etiã dæmones pati valeãt, & affligi ab igne corporali: & quia de hoc eſt præcipua difficultas, quæ paucis verbis expediri non poteſt, idcirco obiectorum reſiduorum ſolutio in ſequenti ponetur articulo.

Qualiter animæ ſeparatæ, ac dæmones poßint affligi, & torqueri ab igne corporeo.

ARTICVLVS XV.

De hac difficultate ſcribit Magiſter Senten. lib. quarto, diſtinctione 44. Et eadem diſtinctione ſuper hac re multa ſcripſerunt doctores, & longum eſt omnia recitare. Porrò Diuus Thomas recitat ibi diuerſas aliorum opiniones. Quidam namque dixerunt, quod hoc ſit animæ ſeparatæ affligi ab igne, quòd videt ignem: quod reprobatur quoniam viſio illa animæ ſeparatæ eſt intellectualis, quæ vt talis, non eſt ita afflictiua. Ideo alij poſuerunt, quòd anima talis

patitur,

patitur, atque affligitur ab igne corporeo, inquantum apprehendit illum, vt ſibi nociuum, ſicque ex tali apprehenſione afficitur timore & dolore, vt impleatur in animabus damnatis, ſeu in purgatorio conſtitutis, quod ſcriptum eſt: *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor* Iſtud rurſus improbat Thomas: Quoniam ſic non pateretur anima ſeparata ab igne, ſed à ſimilitudine ignis, quam concipit. Nec probabile eſt, quòd animæ ac dæmones ingenij ſubtilitate pollentes, putarent ignem illum eſſe eis nociuum, niſi ſic eſſet in veritate, & niſi veraciter grauarẽtur ab eo. Hinc alij dicunt, quòd ignis ille agit in ſpiritus incorporales, videlicet in animas atque dæmonia, non vt res naturæ, ſed vt inſtrumentum diuinæ iuſtitiæ. Iſtud quoque aſſerit Thomas, non eſſe ſufficiẽter probatum, quoniam agens inſtrumentale non agit in aliquid, niſi in quo habet etiam aliquam naturalem & propriam actionem, quẽadmodum ſerra ſecando lignum, introducit formam artificialem. Idcirco aſſignari oportet igni aliquam naturalem actionem in anima, ad hoc quòd agat in eam tamquam inſtrumentum diuinę iuſtitiæ. Conſequenter ponit hic doctor modum ſibi

Pſal. 13.
Pſal. 52.

Quomodo ab igne anima pœ- natur.

ſibi placentem dicendo: Corpus in ſpiritum naturaliter agere non poteſt, nec ei aliquo modo obeſſe, nec ipſum grauare, niſi ſecundum quod corpori aliquo modo vnitur. Spiritus autem corpori vnitur dupliciter: Primò vt forma materiæ, vt ex eis fit vnum ſimpliciter, & hoc modo anima & dæmon nō vniuntur corporeo

Spiritus corpori vnitur dupliciter.

I. igni. Secundò ſicut mouens mobili, vel
II. ſicut locatum loco, eo modo, quo incorporalia ſunt in locò. Incorporei enim ſpiritus ſunt in loco diffinitiuè, quoniam ita ſunt in loco vno, quòd non ſunt in alio: quamuis autem res corporea ex ſua natura habeat, quòd ſpiritum incorporeum loco diffiniat, non tamē ex ſua natura illud continet. Hoc ſupperadditur, quòd ſpiritum incorporeum loco diffinitum detineat, vt ita illi loco alligetur quod ad alia diuertere nequeat, cū ſpiritus nō ſit naturaliter ita in loco, vt loco ſubdatur. Sed hoc ſuperadditur igni incorporeo inquantū eſt inſtrumētum diuinæ iuſtitiæ, quòd ſic detinet ſpiritum, & ita efficitur ei pœnalis, retardans eum ab executione propriæ voluntatis, ne ſcilicet poſſit operari, vbi vult, & ſecundum quod vult. Hæc D. Thomas, qui etiam in Summa contra Gentiles lib. 4. ponit

Contra Thomam Aquin. obiectiones quorūdā.

ponit hunc modum. Sed contra hũc modum multa obiici poſſunt. Primò quoniam iuxta iſtam poſitionẽ nequaquam videtur, quòd pœna ſenſus animarum ſeparatarum in purgatorio vel inferno exiſtentium, e[illegible]edat omnem pœnã vitæ præſentis. Nam ſpiritũ detineri ab igne, & ei eſſe alligatũ, multò minor eſt pœna, quàm verè corporaliter cremari in medio ignis. Nam & ignis ratiõe ſui caloris, veriſſimè perhibetur eſſe maximè actiuus & afflictiuus. Denique quamuis regis filio eſſet valde graue detineri in carcere, non tamen detentio illa eſſet ei ita pœnoſa, vt alteri cuicunque cremari & comburi in medio æſtuantiſſimi ignis mundani. Amplius, crimina dæmonum ſaltem peiorum, non ſunt minora criminibus hominũ: idcirco ſupplicia dæmonum etiam poſt diem iudicij non erunt minora ſuppliciis hominum reproborũ, qui tunc in corpore & anima punientur ab igne: ſed ſi tunc dæmones ſolum punientur ab igne tartareo per alligationẽ & detentionem præfatam, multò minor eſſet tũc pœna eorum quàm hominum, qui tunc infernali incendio per caloris impreſſionem ineffabiliter torquebũtur. Præterea ſecundum iſtam opinionẽ ſpi-

ritus incorporei multò grauius punirentur, ſi alligarentur ac detinerentur in infimo elemento, vt puta terræ, & præſertim terrę lutoſæ, fœtēti, ac ſordidæ, quoniā talis res corporalis & huiuſcemodi locus eſſet eorū naturæ ac dignitati ſpecificę multò magis contrarius. Vnde vt refert Gulielmus Pariſienſis in libro de vniuerſo quod quidā dixerunt dęmones quoſdam nunc detineri cloacis & huiuſ-
III. cemodi impuriſſimis locis. Inſuper iſta poſitio non videtur cōſonare diuerſis ac plurimis viſionibus ac reuelationib⁹ hominum deuotorum atque ſanctorū, qui dixerunt atque ſcripſerūt ſe vidiſſe pœnas purgatorij ac inferni, & animas ibi verè realiter immutari, pati, affligi vehementiſſimo ignis calore: imò multi à morte reſuſcitati, teſtati ſunt ſe ita eſſe expertos, & quidā in ſpiritu multa talia ſe vidiſſe paſſóſque eſſe aſſeruerūt. Infrà quoque probabitur, quòd iſta poſitio nō ſatis concordare videtur cum poſitione ſanctorū Auguſtini, Gregorij, ac pluriū aliorum. Adhuc autem ſi non affligerentur animæ ſeparatæ, ac dæmones ab igne, niſi per præfatam detētionem, poſſent ex aſſuefactiōe & diuturnitate pœnam huiuſmodi maximè mitigare, faciendo

ciendo de neceſſitate volũtatem quamdam patientiámque coactam. Quemadmodum incarcerati ſcientes ſe non poſſe euadere, aſſumunt ſibi patiẽtiam quamdam. Poſtremò quod Thomas affirmat, agens inſtrumentale non agere aliquid virtute ſuperioris agẽtis, niſi habeat aliquam naturalem & propriam actionẽ in illud, quamuis in naturalibus cõmuniter ita ſit, non tamen oportet ſic eſſe in effectibus, qui ſunt ſupra naturã, quales ſunt punitiões ſpirituũ ab igne materiali: imò Deus altiſſimus, qui eſt ſuper omnem legem naturæ & ſuper omnem ordinẽ vniuerſi, interdum ad oſtendendam ſuperliberrimã & illuminatiſſimam omnipotentiam ſuam agit aliqua per ea quę minimè per naturam poſſunt cooperari ad illa, imò per ea quæ ex ſua natura habent operari contrariũ. Vnde ſuper illud Iſaię: *Iuſsit Iſaias vt tollerẽt maſſam de ficis, & cataplaſmarent ſuper vulnus Ezechiæ, & ſanaretur:* dicunt cõmuniter expoſitores, quòd applicatio illa ficorum naturaliter erat contraria curationi vulneris Ezechiæ. Ideo Deus per Iſaiam iuſſit apponi tale emplaſtrum, quatenus curatio Ezechiæ miraculoſior monſtraretur: nempe vt ait Hierony. pęr vuln⁹ Ezechiæ Theodotio,

Verborum Thomæ ſolutio.

Iſa. 38.

Hie.lib.11. ſuper Iſa. cap. 38. Symmachus & Aquila intellexerunt regium morbum, alij apoſtema, quorum vtrique contrariatur applicatio dulcium. Vnde ſecũdum Hierony. vt ſanatio Ezechiæ oſtenderetur diuinior, per res noxias, atque aduerſas fertur collata. Itaque ad indagandum qualiter ſpiritus illi patiãtur ab igne corporeo, nõ expedit nimis inniti naturali inueſtigationi, quẽadmodũ nec in aliis multis, quæ credimus. *In ſpiritualibus indagandis nõ eſt naturaliter procedendum.*

FRA. Vt mihi apparet ad deuotionis & compunctionis profectum; plus confert in his ſimpliciter credere, quàm ea quæ fidei ſunt, per rationem diſcutere: tamen quia materiam iſtam ingreſſi ſumus, opto audire, quid alij quoque doctores de hac ipſa ſcribant materia.

De alia quorundam doctorum poſitione circa modum, quo incorporei ſpiritus affliguntur ab igne materiali

ARTICVLVS XVII.

DE hac re ſuper 4. diſtinctiõe 44. ſcribit Bonauent. Aliqui ſumere voluerunt modum actionis iſtius ex parte naturæ ipſius animæ, & ſumpſerũt iſtud ex verbis Auguſt. 12. ſuper Geneſim, vbi oſtendit quòd anima pati poteſt corpore nõ patiẽte, etiam acerbiſſimas paſſiones queẽadmodũ probat ibi ꝑ exẽpla in sõnis *Aug. lib. 12. ſuper Gene. cap. 17.*

& in

& in ægritudine quadam, vexationibúſque quibuſdam. Si ergo anima ſecũ trahit affectiones & imagines corporales, & in illis atq; per illas potuit pati in corpore, corpore nõ patiẽte etiã ad ignis abſentiam, multò plus cũ ſeparata fuerit à corpore poterit pati per illas & in illis, igne purgatorij ſeu inferni pręsẽte. Quoniã quamuis non ſit ibi paſſio corporalis, eſt tamen paſſio ibi animalis, ſeu ſpiritualis, quæ vera eſt paſſio & vera afflictio. His verbis addit Bonauen. Sed iſtud non videtur animæ fideli ſufficere, quoniam crędimus etiam dæmones, qui carent huiuſmodi imaginationibus & affectionibus à corpore tractis, pati ab illo igne. Credimus etiam quòd pœna illa infernalis & etiam purgatorij ſit per veram ignis actionem, non per phãtaſticam imaginationem. Amplius, ſi ſubſtãtia ſpiritualis ſeparata certa eſt, quòd ab igne lædi non poteſt, ergo imaginatio illa ignis non generat in ea terrorẽ, niſi aliud occurrat quàm ipſius animæ natura aut diſpoſitio ex corpore contracta: & ideo cùm nõ poſſit ſufficiens ratio ſumi ex parte diuinæ iuſtitiæ, quæ rationem noſtram quietet, nec ex parte ſolius animæ quæ fidei per omnia cõcordet: ideo

ratio ſumi poteſt aſpiciendo ad vtrumq;. Inter plures autem modos perſuadendi iſte videtur probabilior eſſe nam ſecundum Auguſt.14 de Ciuitate: Dolor ſiue triſtitia eſt diſſenſus ab his rebus,quę nobis nolentibus accidunt. Ad hoc igitur ꝙ dolor generetur in anima ab aliquo,duo concurrunt ex parte animæ patientis,videlicet perceptio ex parte cognitionis, & deteſtatio ex parte affectionis. Similiter duo requiruntur ex parte agẽtis: Vnũ eſt quod immutet animæ perceptionem: aliud, quod violenter & inſeparabiliter adhæreat contra repugnantiã voluntatis. Ex his quatuor duo ſunt ſecũdum ordinem naturæ, & duo ſecundum ordinem diuinæ iuſtitiæ Quòd enim ignis immutet cognitionem animæ, & anima percipiat actionem & calorẽ ignis, hoc eſt de naturali potẽtia vtriuſq; quod patet ſic: Quia dũ ignis agit in cõpoſitũ ex anima & corpore, duplex ibi eſt paſſio: vna naturalis, quę eſt calefactio corporis: alia animalis, & hæc eſt immutatio ſẽſus: & prima eſt vera naturaliſq; paſſio, quoniam eſt ab igne tanquã à naturali agente: ſecũda paſſio eſt ab anima ſeipſam mouẽte, & ab igne occaſionem præbẽte, vt dicit Aug. 6. Muſicæ. Quẽadmodum ergo poſt

Ad dolores generationẽ duo concurrũt.

Ignis quãdo in cõpoſitum agit duplex oritur paſſio.

Aug. lib. 6. de Muſica, cap. 5.

poſtquam ſeparata eſt anima à corpore ſuo, corpus poteſt pati ab igne paſsione naturali, quoniam poteſt calefieri & inflammari, & hoc per naturalem potentiã vtriuſq; ſic ſpiritus ſeparatus poteſt pati ab igne paſsiõe animali, & ab igne præſenti immutari naturali potentia ignis & animæ. Duo ergo ſunt ibi per ordinẽ naturæ, & alia duo per ordinem diuinæ iuſtitiæ. Quòd enim ignis animæ indiſſolubiliter alligetur, & anima in eo recludatur tãquã in carcere, hoc eſt diuinę iuſtitiæ, ad quã ſpectat malefactorẽ includere carceri. Quòd item anima refugiat ignis calorẽ, qui ei per naturã nocere nõ poteſt, & trepidet timore, vbi non eſt timor, hoc eſt diuinæ iuſtitiæ, quæ facit trepidare peccatores, immittendo timorem & horrorẽ huius rei, qua ſecundum naturã ſunt ſuperiores: & quamuis iſtud ſit opus diuinæ iuſtitiæ, non tamen eſt contra ordinem naturæ, vel ſpiritum trepidare quod trepidandum non eſt, *Thomæ & Bonauẽt. diſcrepantia.* vel ſpiritum corpori alligari. Hæc Bonauentura. Cuius poſitio partim concordat cum præinducta Thomæ poſitione, & partim ab ea diſcordare videtur. Nẽpe cum Thoma dicit ſpiritus illos igni alligari, & detineri in igne velut in carcere

cere. Quòd vero ſubiũgit eos trepidare, vbi trepidandum non eſt,recedit à Thoma. Multáque alia in iſta opinione tanguntur, quæ impugnationibus patent. Nam quòd ait animam mouere ſeipſam ad ſentiendum & ignem præbere occaſionem,ſic videtur ſonare quaſi ſenſatio fieret non recipiendo ſed extrà mittendo, & quaſi ſenſus ſit actiua non paſſiua potẽtia,quod Platonicum eſt. Item quòd dicit animam ſeparatã pati ab igne paſſione animali, qua ſenſus immutatur à ſuo ſubiecto:non enim manent in anima ſeparata vires organicæ, aut ſenſus exteriores. Conformiter quòd ait ſpiritus illos trepidare vbi non eſt timor, non apparet: niſi Deus intellectum illorum ſpirituum taliter hebetet & obſcuret,vt naturã, proprietatem & vim ignis ignorẽt, qui multa valde altiora & ſubtiliora intelligunt. Denique iuxta iſtam opinionẽ non videtur poſſe defendi, quòd etiam poſt reſurrectionem cõmunem dæmones punientur tam grauiter, vt homines reprobi, vt præcedenti tangebatur articulo:nam & ibi obiecta cõtra hanc quoque poſitionem militare videntur. Tantis tamen doctoribus non eſt irreuerenter, aut temere contradicendum. FRA.

Quid

Quid de iſta materia verius putas? DION. Ad hoc ſine aliorum præiudicio in ſequenti reſpondebo articulo.

Quid verius videatur de modo, quo animæ ſeparatæ, ac dæmones affliguntur ab igne materiali.

ARTICVLVS XVIII.

DIONYSIVS.

EGo firmiſſimè, atq; ſimpliciter credo, teneo & affirmo, quòd ignis ille purgatorij & inferni verè realiter ac pœnaliſſimè influat, agat & imprimat in animas ſeparatas ac dæmones immutãdo & affligendo eoſdem ſuo calore ineffabiliter acrius ac pœnalius, quàm aliquis in hoc mundo affligi & immutari queat ab ignis calore. Veruntamen modum, & qualitatem immutationis illius arbitror comprehendi non poſſe ab homine viatore, quoniam ignis ille non agit vt agẽs naturale, ſed vt inſtrumentum diuinæ omnipotentis iuſtitiæ, & ſicut omnipotens Deus ſupernaturaliter contulit materialibus ac ſenſibilibus rebus, vt puta ſacramentis, vt aquæ ſeu tinctioni in aqua, & vnctioni, ac ſacramentalibus verbis, virtutẽ agendi ſalubriter in incorporeas animas adhuc in corpore exiſtẽtes

Dionyſij Carth. cẽſura circa iã dicta.

ſic ſupernaturaliter cruciat, affligit, immutat & vrit animas ſeparatas ac dæmones. Rurſus quemadmodum creator benedictus & glorioſus dedit inuiſibilibus creaturis, vt angelis ſanctis, imò & dæmonibus virtutem naturaliter influẽdi ac imprimendi creaturis corporeis, & mouendi, tranſmutandi, puniendi eaſdẽ: ſic corporalibus ac ſenſibilibus rebus ſupernaturaliter dedit virtutem hanc immutandi affligendíque animas ſaparatas, quod & iuſto ac decentiſsimo egit iudicio. Ex quo enim animæ ac dæmones peccando fecerunt ſeipſos ſenſibilibus, corporalibus, inanimatíſque entibus viliores per culpam, iuſtum eſt, vt rebus huiuſmodi ſubiiciantur per pœnã, detentionem & immutationem maximè afflictiuam. Nam & huiuſmodi afflictionibus ac paſsionibus vult iudex omnipotens ſpiritus prauos ſubdi & affici, quãuis ineffabili modo aliter ſint in eis, quã in rebus huius mundi corporeis. FRAT. Hæc omnia, vt mihi videtur, Catholicè ſonant, ſed auctoritatibus ſanctorum & exemplis ea corrobora. DIO. Quoniam diuerſi diuerſimodè, imò & truncatè ac incompletè verba allegant ſancti Gregorij, volo verba eius integrè commemora

morare, vt clarius pateat mēs ipſius. Itaq; IIII. Dialogorum lib o diſſeruit: Si viuentis hominis incorporeus ſpiritus tenetur in corpore, cur non poſt mortem igne teneatur corporeo? Ad quod Petrus (cū quo diſputauit ſicut & ego tecū) reſpondit: In viuente quolibet idcirco incorporeus ſpiritus tenetur in corpore, quia viuificat corpus. Ad quod Gregorius: Si incorporeus ſpiritus in hoc teneri poteſt, quia viuificat, cur non & ibi pœnaliter teneatur, vbi mortificatur? Teneri autem ſpiritum per ignem dicimus, vt in tormento ignis ſi videndo ac ſentiendo: ignem namque eo ipſo patitur quo videt: & quia concremari ſe aſpicit, concrematur: ſicque fit, vt res corporea incorpoream rem exurat, dum ex igne viſibili ardor ac dolor inuiſibilis trahitur: vt per ignem corporeum mens incorporea flamma crucietur. Quamuis colligere ex dictis Euangelicis valeamus, quòd incendium anima non ſolùm videndo, ſed etiam experiendo patiatur: veritatis etenim voce diues mortuus dicitur in inferno ſepultus: qui deprecatus eſt Abraham, dicens: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hoc*

Spiritus igne quomodo detineantur.

Luc. 16.

flamma

flamma. Denique veritas in fine reprobis
Mat. 25. dicet: *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt diabolo & angelis eius.* Si ergo diabolus, eiúſque angeli, cùm ſint incorporei, corporeo igne ſunt cruciandi, quid mirum ſi & animæ antequam recipiant corpora, corporea tormenta ſentire cogantur? Ad hæc Petrus ille reſpondit: Placet ratio, nec debet animus de hac quæſtione vlterius dubitare. FRAT. Quomodo ignis ille corporeus dicitur, quum aliqui ſancti videantur ambigere, an corporeus, incorporeúſve exiſtat: quēadmodum te legiſſe, ac melius ſcire non dubito. DIO. Fateor doctorum egregium beatiſsimum Auguſtinum, de his interdum inquiſitiuè, & quaſi dubitatiuè locutum. Nam & ſuper Geneſim ait: Spiritualem arbitror ignem illum. Et iterum dicit: Cuiuſmodi ſit ignis ille æternus arbitror ſcire neminem poſſe, niſi cui ſpiritus diuinus oſtēdit. In libris quoque de Ciuitate Dei: & ſuper verba illa
1. Cor. 3. Apoſtoli: *Alij ædificant lignum, fœnum & ſtipulam:* loquitur de his dubitatiuè. Et rurſus 12. ſuper Geneſim: Spiritualem, inquit, arbitror eſſe locum, in quem anima defertur poſt mortem. Inſuper Damaſcenus quarto libro: In fine, inquit,

tradetur diabolus & dæmones, & homo eius videlicet Antichriſtus, & impij in ignem æternum, non materialem, qualis eſt, qui apud nos eſt, ſed qualem nouit eũ Deus. Verùm vt Bonauentura fatetur, ipſe beatus Auguſtinus in ſuis ſermonibus manifeſtè teſtatur, ignem illum eſſe corporeum. Damaſcenus quoque non negat ignem illum eſſe materialem, ſed dicit quòd non ſit taliter materialis, vt ignis qui apud nos eſt: vel dicit eũ eſſe immaterialem quãtum ad ſuas proprietates. Verùm vt rurſus ſcribit Bonauentura: Talem dubitationem in die purgatorij ac inferni abſtulerunt nobis poſteriores ſancti doctores, vt Gregorius, cui ſpiritus ſanctus multa reuelauit: atque Iſidorus in libro de ordine creaturarum, ac alii ſancti, qui euidenter teſtati ſunt, ignem illum eſſe corporeum. FRATER. Cum diues in inferno ſepultus, non habuerit ibi linguam corpoream, nec Lazarus in lymbo patrum digitum corporalem, videtur quòd totum illud de flamma, intinctioneque digiti, & refrigeratione linguæ, ſit ſpiritaliter intelligendum. DIONYSIVS. Verum eſt, verba illa de lingua & eius refrigeratione, intinctioneque extremitatis di-

giti in aquam eſſe ſpiritaliter accipienda, prout ſuper Lucam poteris inuenire. Flāma tamen corporalis ibidem eſt, quæ qualiter agit in ſpiritum, iam audiſti. FRATER. Propoſui quærere, quid ſpiritaliter per diuitis condemnati, ſeu potius ſuæ animæ linguam, & quid per digitum extremitatémque digiti animæ Lazari, quid etiā per intinctionem eius in aquam ſit intelligendum: ſed quia ad expoſitores ſuper Lucā me remiſiſti, nūc iſta interrogare non audeo: Nam & ſuper Lucam te iſta expoſuiſſe non ambigo. Sed precor, vt ex aliorum quoque ſanctorum patrum doctrinis elucides, qualiter incorporei ſpiritus affligantur ab igne corporeo.

Proſecutio declarationis, qualiter animæ ac dæmones poßint tam dirè affligi à corporeo igne.

ARTICVLVS XIX.

DIONYSIVS.

AD huius rei veritatem declarādam, primò affirmo, quod ſanctus aſſerit Auguſt. in quodā ſermone: Ignis ille purgatorij durior eſt, quàm quicquid pœnarū in ſeculo iſto videre, ſentire, au cogitare

tare quis poterit. Deinde quod quarto Sententiarum Magiſter ex verbis ſapiētiſſimi Auguſtini allegat,dicentis : Quiſquis profiteri renuit animā poſſe habere ſimilitudinem corporis , corporaliumq; membrorum,poteſt negare animam eſſe,quæ videt in ſomnis ſe ambulare , ſedere , vel huc illúcque ferri volatu , aut greſſu, quod ſine quadam corporis ſimilitudine non fit. Proinde ſi hanc ſimilitudinem & apud inferos gerit, non corporalem , ſed corpori ſimilem , poteſt & ibi ſic pati. Inſuper ad idem probandum inducit Magiſter verba Iuliani Epiſcopi,qui verba Gregorij præcedenti capite introducta , allegat in forma , & ſequitur ea. Addit quoque Magiſter : In Caſſiani etiam voluminibus legitur , quòd animæ ſeparatæ non ſint otioſæ,neque nihil non ſentiāt , cum diues ille in inferno flamma cruciari ſe clamet: vnde probatur,a- *Luc. 16.*
nimas defunctorū non ſolùm ſuis ſenſi- *Animæ*
bus non priuari, ſed nec iſtis affectibus, *defuncto-*
ſcilicet ſpe,gaudio, triſtitia, metu care- *rum ſen-*
re. Hæc Māgiſter. FRA. Ex his non ſatis *ſibus non*
intelligo , qualiter animæ ſeparatæ , ac *priuātur.*
dæmones affligantur ab igne corporeo, niſi fortè ex quadam phantaſtica ignis apprehenſione , & imaginatione rei læ-

ſiuæ , à

giti in aquam eſſe ſpiritaliter accipienda, prout ſuper Lucam poteris inuenire.Flā-ma tamen corporalis ibidem eſt, quæ qualiter agit in ſpiritum, iam audiſti. FRATER. Propoſui quærere, quid ſpiritaliter per diuitis condemnati, ſeu potius ſuæ animæ linguam, & quid per digitum extremitatémque digiti animæ Lazari, quid etiā per intinctionem eius in aquam ſit intelligendum: ſed quia ad expoſitores ſuper Lucā me remiſiſti, nūc iſta interrogare non audeo: Nam & ſuper Lucam te iſta expoſuiſſe non ambigo. Sed precor, vt ex aliorum quoque ſanctorum patrum doctrinis elucides, qualiter incorporei ſpiritus affligantur ab igne corporeo.

Proſecutio declarationis, qualiter animæ ac dæmones poſſint tam dirè affligi à corporeo igne.

ARTICVLVS XIX.

DIONYSIVS.

AD huius rei veritatem declarādam, primò affirmo, quod ſanctus aſſerit Auguſt.in quodā ſermone: Ignis ille purgatorij durior eſt, quàm quicquid pœnarū in ſeculo iſto videre, ſentire, au cogitare

tare quis poterit. Deinde quod quarto Sententiarum Magiſter ex verbis ſapiẽtiſſimi Auguſtini allegat, dicentis: Quiſquis profiteri renuit animã poſſe habere ſimilitudinem corporis, corporaliumq́; membrorum, poteſt negare animam eſſe, quæ videt in ſomnis ſe ambulare, ſedere, vel huc illúcque ferri volatu, aut greſſu, quod ſine quadam corporis ſimilitudine non fit. Proinde ſi hanc ſimilitudinem & apud inferos gerit, non corporalem, ſed corpori ſimilem, poteſt & ibi ſic pati. Inſuper ad idem probandum inducit Magiſter verba Iuliani Epiſcopi, qui verba Gregorij præcedenti capite introducta, allegat in forma, & ſequitur ea. Addit quoque Magiſter: In Caſſiani etiam voluminibus legitur, quòd animæ ſeparatæ non ſint otioſæ, neque nihil non ſentiãt, cum diues ille in inferno flamma cruciari ſe clamet: vnde probatur, animas defunctorũ non ſolùm ſuis ſenſibus non priuari, ſed nec iſtis affectibus, ſcilicet ſpe, gaudio, triſtitia, metu carere. Hæc Magiſter. FRA. Ex his non ſatis intelligo, qualiter animæ ſeparatæ, ac dæmones affligantur ab igne corporeo, niſi fortè ex quadam phantaſtica ignis apprehenſione, & imaginatione rei læ-

Luc. 16.

Animæ defunctorum ſenſibus non priuãtur.

ſiuæ, à

ſiuæ,à qua tamen nequeũt immutari : & magis à ſimilitudine ignis, quã ab igne. DION. Ea quæ fidei ſunt, rationem & comprehenſionem tranſcendunt,nihilominus per ea quæ naturaliter fiunt, aliqualiter declarantur. Si ergo anima adhuc exiſtens in corpore poteſt abſq; corporis paſsione tam horribiliter affligi in ſomno ex ſola imaginatione & ſimilitudine corporalium rerum, quantò magis per omnipotentiam Dei poſſunt animæ ſeparatę,ac dæmones numquã dormientes affligi & immutari, ineffabilitérque puniri igne corporeo, ex ignis illius apprehenſione,præſentia, impreſſione, per ſimilitudines, ſpecies, ac diuinationes ipſius: ita quòd ſicut ſpiritus illi vitioſi ac turpiter in rebus caducis ſunt delectati, ſic iuſtè & innaturalitèr, violentè & ſupernaturaliter compellantur rerũ corporearum ac vilium impreſſionibus, atque punitionibus ſubiacere & affici. Inſuper, non obſtante omni animæ rationalis ſimplicitate & incorporeitate, anima naturaliter efficitur intrinſeca corporis forma ſubſtãtificans,eſſentians,atque viuificans illud:& ex cõſequenti,paſſionibus, afflictionibúſque corporalibus communicans, ſubiacens, & formata.
Nónne

Nónne ergo omnipotēs iudex poteſt tam animas ſeparatas, quàm dæmones taliter alligare, & vnire corporeo igni, vt verè ſubiaceant, afficiantur, ac torqueãtur impreſſionibus eius? FRA. Cùm nec in dæmonibus, nec in animabus ſeparatis conſiſtant ſenſus interiores, qui ſunt vires organicæ, inter quas ſunt vis imaginatiua ac memoratiua, quomodo poterit in illis ſpiritibus eſſe imaginatiua apprehenſio, ſeu imaginaria cognitio ignis & corporalium rerum? DIONYSIVS. Nónne ſuperſimpliciſſimus & immaterialiſſimus Deus cognoſcit vniuerſa hæc corporalia, deinde & angeli ſancti, in quibus nequaquam eſt ſenſus interior, aut imaginatiua potentia? Nónne etiam anima diuitis *Luc. 16.* condemnati poſita in tormentis, recordabatur fratrũ ſuorum? Porrò an & qualiter potentiæ ſenſitiuæ exteriores & interiores maneant & conſiſtant in anima *Quomodo potentiæ ſenſitiuæ ſint in anima ſeparata.* ſeparata, & qualiter non, ſpecialis eſt difficultas, quæ à doctoribus ſuper quartum Sententiarum determinatur, & circa hoc aliter ſenſerunt Platonici, quos in hac parte Auguſtinus & alij quidam Catholici ſequi videntur: alitérque Peripatetici: quos doctores noſtri communiter ſunt ſecuti. Certum eſt autem quòd potentiæ

ſenſitiuæ ad minus radicaliter & originaliter manent in anima ſeparata. Verun tamen Auguſtinus in libro de Spiritu & Anima dicit: Recedit anima à corpore ſecum trahens ſenſum, imaginationem, rationem, intellectum, concupiſcibilitatem & iraſcibilitatem; & rurſus: Anima, inquit, recedens à corpore ex his, puta ex imaginatione, concupiſcibilitate, iraſcibilitate, ſecundùm merita aut demerita afficitur, ad delectationem, vel ad dolorem: imò ſuper Geneſim 12. ait: Neque enim video cur habeat anima ſimilitudinem corporis ſui, dum iacente ſine ſenſu corpore, non tamen penitus mortuo, videt talia, qualia multi ex tali ſeductione ad ſe reuerſi, aliis narrauerunt, & non habeat ſimilitudinem hanc, dum perfecta morte penitus de corpore exierit. FRATER. Cum iſta ſint ſatis difficilia mihi, cupio de iſta materia plenius per exempla certificari.

Demonſtratio per exempla, quàm acerbiſſimè patiantur animæ defunctorum ab igne purgatorij & inferni.

ARTICVLVS XX. DION.

DE hac re recitat multa exẽpla Gregorius Papa, quarto Dialogorum, quæ

quæ te puto legiſſe, videlicet qualiter vir nomine Reparatus, eductus de corpore vidit rogum ingentem paratum, cui ſuper impoſitus fuit Tiburtius presbyter lubricus, & igne ſuppoſito eſt crematus, eadémq; hora obiit ille Tiburtius, cuius anima fuit incendio deputata. Aliũ quoque vidit rogum parari, cuius cacumen videbatur à terra vſque ad cœlum extendi. Vidit autem rogos parari, non quòd in inferno ignis conſtruatur ex lignis, ſed per ea ex quibus apud nos ignis nutritur, oſtenſa ſunt ei ſupplicia impiorum, vt ea viuentibus, per ſolita aptius recitaret. Inſuper refert de quodam curiali repente defuncto, eo quod puellam quam de fonte leuauit baptiſmatis, violauit: de cuius ſepulchro cunctis cernentibus, diu flamma erupit, quouſque omnia eius combuſſit, imò & totum eius ſepulchrum conſumpſit: quod vt ait Gregorius, ideò fecit omnipotens Deus, vt oſtẽderet quid anima eius pertulit in occulto, cuius corpus ſic combuſtum eſt in ſepulchro: atque vt hinc penſemus, quid anima viuens ac ſentiens pro ſuo patiatur exceſſu, cuius inſenſibilia oſſa, tanto ſunt cõcremata ſupplicio. Amplius ſcribit de eremita monacho nomine Petro,

Reparati viſiones.

qui antequam eremiticam vitam aſſumpſit, defunctus fuit, ſed corpori protinus reſtitut[9], teſtabatur ſe vidiſſe inferni ſupplicia, atque innumera loca pœnarum, quoſdam quoque ſæculi huius potentes, in eiſdem flammis ſuſpenſos: cumque & ipſe iam demergēdus eſſet in ignem, Angelus mox apparens eripuit eum & dixit: Egredere, & qualiter tibi deinceps viuendum ſit, attende cautiſſimè: Qui reſuſcitatus, tantis deinde vigiliis ſe, ieiuniiſque conſtrinxit, vt eum inferni tormenta vidiſſe ac timuiſſe conuerſatio loqueretur, etiam ſi id lingua non fateretur. Præterea recitat de milite nomine Stephano, qui defunctus iacuit inhumatus vſque ad diē ſequentem, & tunc reſuſcitatus, perhibuit ſe vidiſſe inferni ſupplicia, quæ non credidit prius audita. Refert quoque de alio milite educto de corpore, qui reductus ad corpus retulit ſe pontem vidiſſe, ſub quo ponte decurrebat niger, caliginoſúſque fluuius, nebulam intolerabilis fœtoris exhalans. Tranſacto autē ponte, erant amœna atque virentia prata, odoriferis herbarum floribus decorata, in quibus dealbatorum hominum conuenticula videbantur, & tantus erat ibi odor ſuauitatis, quòd vniuerſos illic habitantes ambulan

Stephani militis viſio.

bulan

bulantesque ſanauit, ibi mãſiones diuerſorum ſingulæ multitudine lucis fuerunt plenæ, ibi quoque ædificabatur domus miræ potentiæ, quæ aureis videbatur laterculis conſtrui: ſed cuius erat nequiuit agnoſci. Erant etiam ſuper ripam prædicti fluminis nõnulla habitacula, quorum aliqua ab exurgente fœtoris nebula tangebantur, alia verò exurgens fœtor non tetigit. Porrò, hæc erat in ponte illo probatio, vt quiſque iniuſtorum vellet per eum procedere, in tenebroſum & fœtidum flumen delaberetur: iuſti verò quibus culpa non obſtitit, ſecuro per eum ac libero greſſu ad prata amœna pertingerent. Ibi quoque vidiſſe ſe dixit Petrum quendam maiorem, ante 4. annos defunctum deorſum in locis illis teterrimis poſitum, magno pondere ferri religatum atque depreſſum, quoniam reos magis ex crudelitate, quàm ex obedientia & æquitate puniuit. Aſſeruit item ſe vidiſſe in ponte illo Stephanum quendam, quo volente tranſire per põtem lapſus eſt pes ipſius, atque ex media corporis parte fuit extra pontem deiectus, & à quibuſdam viris tæterrimis ex flumine ſurgentibus per coxas deorſum, & à quibuſdam albatis ac ſpecioſiſſimis viris cœpit trahi per

brachia ſurſū:per quod dabatur intelligi, quòd in Stephano illo erant eleemoſynarum largitio, & carnis laſciuia. FRATER. Diu te de his recitantem libenter audiui: & quamuis circa narrata multæ mihi dubitationes & quæſtiones occurrerent, has tamen proponere diſtuli:quia perpendi ex tua relatione mihi dari occaſionem diligentiſſimè inquirēdi, quod diu ac ſæpe inquirere concupiui, vtputa quid æſtimes ſentiendum de viſionibus reuelationibusque nonnullis,quibus quidam modicam adhibent fidem, quæ tamen ex prçinducta magni Gregorij relatione roborari videntur, atque credibiles fieri. DIONYS. Quænam ſunt viſiones reuelationesque illæ? FRATER. Viſio Tondali, viſio cuiuſdam monachi, quæ Anglicana vocatur, viſio facta de purgatorio Patritij, & viſio Chriſtinæ mirabilis. DIONYS. Quid tibi in viſionibus illis videtur amplius inquirendum,& mirum ſeu magis ambiguum?

Quid ſentiendum videatur de viſione Tondali militis, & an viſio illa facta ſit anima Tondali exiſtente in corpore, an eo veraciter mortuo.

ARTI

ARTICVLVS XXI.

FRATER.

DE viſione Tondali prolixũ eſt cuncta referre,& longa narratione molestare te vereor , cũ in omnibus ſtudeas breuitati. Verùm aliqua compendioſius quò potero, enarrabo. Itaque ſicut is qui viſionem illam deſcripſit,teſtatur , Tondalus miles Hyberniæ,poſt viſionẽ ſuam reductus ad corp⁹. dixit:Cùm anima mea corpus exueret,& illud mortuum eſſe cognoſceret, conſcia ſibi de malo,cœpit timere,voluitque ad corpus redire,nec poterat illud intrare:ſicque miſerrima confidebat in ſola Dei miſericordia. Tãdem vidit venire ad ſe tantam multitudinem immundorum ſpirituum , vt non ſolùm domum , ſed & omnes vias ac plateas viderentur implere , qui dentibus ſuis ſtridebant in eam , & vnguibus propriis præ nimio furore laniabãt genas teterrimas. Poſt hæc miſit Deus Angelum in occurſum ipſius,quem vidẽs anima mea à longe venientem,indeſinenter eum aſpexit, qui dixit:Eſto ſecurus,quia non deerit tibi miſericordia Dei , qui patieris pauca de pluribus,quæ pati promeruiſti,ſequere me , & quæcunque monſtrauero tibi,

memoriter retine, quia debes iterum ad corpus redire. Cumque longius pergerēt ſimul, tandem venerunt ad vallem valde terribilem, tenebroſam, profundam, ardentibus carbonibus plenam, habentem operculum ferreum ſex cubitorū, quod nimio ardēs calore, ſuperabat carbones, cuius fœtor animam præ omnibus (quas ſuſtinuit hucuſque) pœnis afflixit: deſcēdebat autem ſuper ferream laminam illa multitudo miſerrimarum animarum, & illic cremabantur donec omnino liqueſcerēt, inſtar cremij in ſartagine concremati: & quod grauius eſt per illam laminam colabantur, ſicut colari ſolet cera per pannum, ſicque in carbonibus ignis ardentibus renouabantur ad pœnas. Dein de anima cum Angelo venit ad quādam incredibilis magnitudinis beſtiam, cuius os videbatur poſſe capere nouem millia hominum armatorum, intra quam erant multa millia virorum ac mulierum, dira tormenta luentium: tunc Angelo diſparente, dæmones traxerunt animam in beſtiæ ventrem: vbi ineffabilia tolerauit tormenta, ferocitatem canum, vrſorum, leonū, ſerpētium, & innumerabiliū aliorum animalium monſtroſorum, dæmonum ictus, ardorem ignis, aſperitatē frigoris,

Beſtia incredibilis magnitudinis.

goris,fœtorem ſulphuris,caliginem oculorum,fluxum lachrymarum, dentiumq́; ſtridorem, ita quòd proprias genas præ dolore potuit lacerare. Poſt hæc miro quo neſcio modo eruta de beſtia,cũ longius debilis iaceret,aperiens oculos,vidit Angelum propè ſe ſtantem,qui eam confortans,duxit ad ſtagnum amplum & tẽpeſtuoſum,in quo erant terribiles beſtiæ mugientes, nec aliud poſtulantes,niſi animas deuorare. Porrò per lacum eius erat pons lõgitudinis duorũ milliarium, & latitudinis palmæ vnius, cui inſerta erat tabula clauis ferreis acutiſſimis plena, omnésque beſtiæ conueniebant ad pontem ſumere eſcas,vtputa animas pertranſire non valentes, dixitq́ue Angelus animæ:Oportet te pontem iſtum tranſire, nec vacua ibis:ſed vaccá indomitam (quam, dum in corpore eras, compatri tuo furata fuiſti) oportet tecum ducere, & illæſam mihi vltra pontem exhibere. Tunc anima ait. Quomodo ego miſerrima potero tranſducere vaccã in tali periculo,vbi ſtare non poſſum omnino? Vidẽs autem anima quòd oporteret eam ſic facere,cœpit reluctãtem trahere vaccam, & cum ea ire per pontem, & cum ſtaret anima cadebat vacca: cum ſtaret vacca,

cadebat anima:ſicque viceuerſa, modò ſtabant, modò cadebant, quouſque venerunt ad medium pontis, vbi obuiauit eis quidam furatos manipulos ſuper ſe portans?ſicque animæ iſtæ rogabant ſe inuicem, ne vna alteram à ſuo impediret itinere, & plantarum ſuarum ſanguine pontem cruentabant, tandē (neſcientes qualiter) ſenſerunt, quòd vna aliam pertranſiſſet. Cumque anima pontem tranſiſſet, vidit Angelum ſuum, oſtenditque ei pedes ſuos cruentatos. Poſt hæc Angelus duxit eam ad domum ignibus plenam, de qua exibat flamma, per mille paſſus comburens omnes animas quas inuenit. Vidit autem anima ante domus portam ſtantes carnifices cum ſecuribus, cultris, ſarmentis falcibusque acutis, cum dolabris, terebris, vangis foſſoriis, cum quibus poterant animas excoriare, decollare, ſcindere, detruncare: & ſub manibus illorum carnificum viderunt animas innumerabiles hæc omnia ſuſtinentes, tunc (Angelo permittente) dæmones animam rapuerunt, & præfatis inſtrumentis diſſipauerunt, & diſſipatam ac fractam tradiderunt incendio. Doloribus verendorum maximè torquebantur luxurioſi. Conſequenter duxit Angelus animam ad loca atque

Domus ignibus plena.

Luxurioſorum pœnarum genera in inferno.

atque tormenta prædictis horribiliora, monſtrauitque ei infernum, & principem tenebrarum in horribiliſſima forma. Tandem cum anima vidiſſet & experta eſſet huiuſcemodi pœnas, proceſſit cum Angelo, & vidit murum excelſum, intra quem erat plurima multitudo virorum ac mulierum, vẽtum ac pluuiam, famem ac ſitim ſuſtinentium, & erant valde triſtes: & interrogante anima qui eſſent, Angelus dixit: Iſti ſunt mali, ſed non valde mali, qui in mundo ſe habuerunt honeſtè, ſed bona temporalia non communicauerunt pauperibus, quemadmodũ debuerũt: ideo patiũtur has pœnas per aliquot annos, & tunc deducuntur ad requiem bonam. Poſt hæc Angelus & anima venerunt ad portam, quã ingreſſi viderunt campum pulcherrimum, odoriferum, floribus conſitum, lucidum & amœnum, in quo erat multitudo innumerabilis animarum virorum ac mulierum, & nox ibi non erat, nec ſol occumbebat, & erat ibi fons aquæ viuæ. Interrogante que anima, quarum animarum eſt requies iſta? Angelus ait: Hîc habitãt boni, non valde boni, qui de ſuppliciis liberati, nondum merentur ſanctis cõiungi: & inde procedens anima, vidit laicos ſibi

Locus nõ valde malorum.

ſibi notos. Cumque Angelus & anima proceſſiſſent, viderunt murum nimis ſublimem & præclarum: & ingreſſis eis ibidem vidit choros Angeloru Deum laudantium, viros ac mulieres lætantes pulcherrimè veſtitos, & ſuauiſſimus odor fuit ibi, dixitque Angelus: Iſta ſunt præmia coniugalium, qui fidem cõiugalem ſeruantes, & ſuam familiam bene regentes temporalia ſua communicauerunt pauperibus & peregrinis atque eccleſiis. Cùm ergo Angelus & anima ſic plurimos pertranſiſſent, apparuit eis murus tam altus vt primus de auro puriſſimo, quo pertranſito, apparuerunt ſedilia de auro & gemmis conſtructa, pretioſiſſimis ſericis cooperta, in quibus ſedebant ſeniores viri & fœminæ, veſtiti ſericis, & ſtolis albis, & tiaris, & vniuerſis ornatibus, & ſplenduit facies vniuſcuiuſque ſicut ſol in meridie, cecineruntque Deo
Apoc. 19. dulciſſimè Alleluia. Et Angelus dixit: Iſti ſunt continentes, qui per aliquod tempus carnis debitum perſoluentes, reli-
Gala. 5. quum vitæ in ſeruitio Dei duxerunt, vel martyrium patientes pro Chriſto, vel ſeipſos cum vitiis & concupiſcentiis crucifigentes. Verùm dũ anima curioſius conſpiceret, vidit caſtra & papiliones ex purpu

purpura, byſſo, argento, auro & ſerico mira varietate conſtructos, in quibus audiuit quàm plurimos omni muſicorũ genere ſuauiſſimè concinentes, quorum beatitudo & gloria omnium præcedentium gloriam tranſcendebat. Dixitque Angelus: Iſti ſunt monachi & moniales, qui verè regulariter ſub obedientia ſanctà vixerunt. Poſt hæc viderunt murum altitudine, pulchritudine & ſplẽdore diſſimilem aliis, ex omni lapide pretioſo conſtructum, qui pro cæmento habuit aurum, erantque in muro omnes lapides pretioſi. Conſcenſo itaque muro viderũt nouem ordines angelorum, & audierunt inenarrabilia verba, quæ nec potuerunt, nec licet hominibus loqui. Ab illo igitur 2. Cor. 12. loco (mirabile dictu) viderunt omnem gloriam antè viſam, & totum mundum quaſi ſub vno radio ſolis: ſtantes enim nec ſe gyrantes, cunctos ex eodem loco, & antè & retro poſitos cernebant. Non ſolum autem viſus, ſed & ſcientia acceſſit inſolita animæ illi, vt iam non egeret interrogatione, ſed omnia noſceret integre, qua exultante & ibi manere ſperante angelus blandè locutus eſt ei: Vidiſti hæc omnia: ideo quæ vidiſti memoriter retine, quoniã te ad corpus redire oportet: iu

1. *Tim.* 4. tet : iuſtè & ſobriè amodo viue, Argue, obſecra, increpa peruerſos & laſciue viuentes. Hoc audito ingemuit anima, & corpus reinduere horruit, attamen eodem momento quo in cœlo loquebatur cum angelo, ſenſit ſe in terris induere corpus ſuum, & debiles aperiens oculos circunſtantes aſpexit, & cuncta quæ vidit, narrauit. Iſta prout breuius potui ex viſione præfata perſtrinxi. DIO. Satis ſuccinctim hæc (multis omiſſis) narraſti : nunc ſi placet, propone dubia, quæ tibi circa hæc oriuntur.

Introductio dubiorum quæ circa hæc oriuntur.

ARTICVLVS XXII. FRAT.

Qualis fuerit Tondali viſio. PRimò me mouet, an anima Tondali iſta videndo fuerit realiter in corpore illud viuificando, an ſeparata à corpore & ſubſtantialiter extra illud, ita quòd corpus verè mortuum fuerit, & quidem viſionis huius deſcriptor manifeſtè teſtatur, & aſſerit, quòd Tondalus per triduum quo anima eius conſpexit hæc, erat defunctus. Sed oppoſitum huius videtur ex multis : nam animæ ſeparatæ non competit videre dæmones in forma corporali ſenſibili, neque localiter ambulare,

lare, nec pedes corporales, qui ſanguine cruententur, habere. Nec realiter in inferno, aut purgatorio ſunt beſtiæ, nec animabus ſeparatis competere poteſt excoriari, decollari, ſcindi, liquefieri, aut ſecari. Nec in illis tormentis ſunt canes, vrſi, leones, ſerpẽtes, & ſimiles feræ. Nec rurſus anima ſeparata potuit ſic ducere realiter indomitam vaccam per pontem. Nec videtur quòd iſta poſſint animæ ſeparatę per formas imaginarias, aut per ſimilitudines corporales oſtendi: cùm in ea non maneant niſi potentiæ intellectuales, propter quod omnia iam prætacta aptius oſtenderentur ei per intelligibiles ſpecies. Prætereà ſecundum ſanctorum patrum doctrinam omnes animæ ſanctæ ſeparatæ à corpore & ſufficienter purgatæ in purgatorij igne, mox euolant in regnum cœleſte: & quamuis in inferno diuerſa genera ſint pœnarum, in purgatorio tamen non eſt niſi ſupplicium ignis, loquendo de pœna ſenſus. Dicunt item doctores, quòd animæ in purgatorio non puniuntur per dæmones, quomodo ergo quidam defuncti nõ ſuſtinebant niſi ventum & pluuias, quod non videtur omnem huius vitæ excedere pœnam: & quomodo anima iſta vidit de-

functos

functos puniri per dæmones antequam ad inferni loca peruenit? Inſuper ſecundum fidei veritatem, omnes beati ſunt in vno paradiſo cœleſti, non in pratis virentibus, nec in regno cœleſti, aut manſionibus beatorum ſunt muri aurei ſiue argentei, nec caſtra, aut papiliones, ergo nullum horum oſtenſum eſt animæ huic ſecundum veritatem ſeu exiſtentiam rei, ſed ſolum per imaginariam repræſentationem, & ita videtur in tota hac viſione fuiſſe in corpore, & rapta fuiſſe in ſpiritu, ac alienata prorſus ab omni actu atque officio exteriorum ſenſuum ac membrorum. Poſtremò quamuis angelici ſpiritus ſint altioris naturæ & dignioris ſpeciei quàm animæ ſeparatæ aut homines, nihilominus ex electis, & ſanctis animabus ac angelis glorioſis conſtat vna triumphans Eccleſia, ita quòd ad ſingulos ordines angelorum aliquæ animæ ſanctæ perueniunt, quemadmodum & ex ſingulis angelorum ordinibus aliqui corruiſſe credũtur. Quando ergo hæc omnia vidit in loco altiſſimo, infra aureum murum nouem choros angelorum, quaſi ibi ſint vniuerſi angeli glorioſi, & ibi duntaxat. Porrò ſi anima iſta videndo hæc omnia fuit realiter ſeparata à corpore, atque

Eccleſia triumphãs ex quibus conſtet.

localiter

localiter ducebatur, & vniuerſa prætacta veraciter vidit, precor vt mihi exponas, quo & quali viſu ac qualiter vidit hæc; & qualiter à dæmonibus trahebatur in beſtiæ vẽtrem, & qualiter iuit per pontem, an etiam in re fuerunt, aut ſunt talia prata, caſtra, papiliones, muri ac muſica inſtrumenta: & ſi non ſunt, qualiter oſtenſa ſunt animæ ſeparatæ. DIO. Multa ardua & profunda compendiosè ſententioſeque tetigiſti, ſed quia hæc eadem circa alias quoque viſiones, de quibus dixiſti te velle inquirere, poſſunt moueri & obiici, idcirco ſi placet de aliis etiam viſionibus tange quæ mouent te, vt ad omnia ſimul reſpondeatur.

De quibuſdam in viſione monachi Anglicani contentis.

ARTICVLVS XXIII. FRAT.

VIſio & reuelatio illa Anglicana de multiplici pœna purgatorij & inferni, videtur mihi per omnia viſioni Tondali conſonare. Nam & in viſione hac Anglicana inter cętera cõtinetur, quẽadmodum frater deuotiſſimus, cui reuelatio illa eſt facta, dixit ſibi apparuiſſe ſanctum & venerabilem ſenẽ, videlicet beatiſſimum Nicolaum, qui apprehenſa dextera fratris ait: Sequere me, ſtatimque *Viſio horrenda.*

 frater.

frater fuit in ecſtaſi mentis, in qua à nocte cœnę Domini vſque ad veſperas ſabbati Paſchę permanſit, omnium exteriorum ſenſuum ac mẽbrorum orbatus officio, & reuerſus ad ſe in die Paſchæ poſt prãdium, ad importunam, affectuoſam, humillimam fratrum inſtantiã dixit: Ibamus ſenex ille & ego ſimul quouſque peruenimus in regionem ſpatioſam & horrendã: in qua videmus multitudinem infinitã variis & inenarrabilibus immanitatibus ſuppliciorum expoſitam, & tamen omnes in ſpe futuræ liberationis aliqualiter reſpirabant, quia non erant damnati. Gemebãt, flebant, & pœnis vrgentibus eiulabant, quorum quidam repente exilire conãtes, mox ab emergente flamma inuoluebantur, ac dirè conflagrati occurrentibus & reſiſtentibus tortoribus, cum flagris, atque tridẽtibus, ac vario ſuppliciorum apparatu relabebantur in pœnas. Nihilominus ſic exuſti, cęſi, diſcerpti, ſic frigore glaciali contracti, paulatim ad tolerabiliora pergebant tormenta. Infinitæ erant ibi ſpecies tormentorum, hi adq; ignem torrebantur, hi in ſartagine frigebantur, hos ignei vngues vſque ad oſſa, & ſolutionem compagum radendo ſulcabant, alios balnea

Tormentorũ ſpecies variæ.

confecta

cõfecta ex pice & ſulphure, ære & plumbo reſolutis, calore cum fœtore excoquebãt horrendo, alios vermes monſtroſi cum dentibus venenoſis rodebãt. Multos mihi olim in ſeculo agnitos & familiares ibi aſpexi. Porrò clericos & monachos, laicos & fœminas tam ſeculares quàm ſanctimoniales cò minoribus cruciatibus vidi addictos, quò in vita ſua minoribus fuerunt honorum ſeu officiorũ priuilegiis fulti. In veritate dico, quòd ſpeciali acerbitate ſupplicij vniuerſos affligi aſpexi in linguis ſuis, quos aliorum iudices aut prælatos fuiſſe cognoui temporibus noſtris. Nulla tamẽ hominis lingua ſufficienter valet exprimere leuiſſima regionis illius ſupplicia, nec æſtimatio poteſt concipere varietatem ac multiplicitatem, quia viciſſim alternantibus pœnis ſubduntur, nec aliquis poſſet ea dinumerare. Teſtis mihi eſt Deus, quia ſi viderem aliquem hominem (qui me & omnes caros meos affligiſſet omnibus pœnis atque iniuriis quę poſſunt homini in vita hac irrogari, [illegible] etiã occidiſſet) deputari ſuppliciis, quę vidi ibidem, millies (ſi fieri poſſit) pro eius ereptione mortem appeterem, in tantum cuncta quę vidi ibi excedunt menſuram & mo-

dum doloris & anguſtiæ, animaritudinis atque miſeriæ.

Locus. 2. Poſt hæc venimus ad locum alium tormentorum, videlicet ad tenebroſiſſimam ac profundiſſimam vallem, in qua erat tæterrimus fluuius, nebulam ineffabilis fœtoris exhalans, rogus quoque vſque ad cœlum ſuccenſus. Tanta etiam immanitas frigoris, ſæuientibus procellis niuis & grandinis, vt putarem me nihil pœnalius illo conſpexiſſe algore. Tanta fuit ibi multitudo animarum, vt ſolent alucaria apum multitudine abundare: animabus illis fuit hoc generale ſupplicium, quòd nunc in amnem fœtidum, nunc inde erumpentes ignibus immergebantur. Tormenta huius loci erãt grauiora ſuppliciis loci prædicti.

Locus. 3. Tandem venimus ad tertium purgatorij locum, ad campum horribili chao opertum, vbi erat ſulphureus fumus fœtoris immenſi, planities campi ita ſcatebat multitudine vermium, vt ſolet pauimentum domus iuncis cooperiri; & hi vermes vltra omnem æſtimationem horrendi, monſtroſi, deformes, terribiles, rictu, & igne ſpirãtes, inexplebili voracitate miſeros lacerabant, quos & dæmones fruſtatim p mẽbra ſingula igneis

ferra

ferramentis truncabant Deum teſtor, parum eſt,imò tamquam nihil,quicquid dicere nitimur de pœnis loci illius.In breuiſſimo enim temporis ſpacio intuebar eos centum vel amplius pœnarum diuerſitatibus annullari,moxq́ue reſtaurari,& rurſus quaſi in nihilũ redigi, & harum viciſſitudinum nullus erat finis. Tã edax fuit incendium ignis illius, vt quaſi tepere crederes,quicquid in mundo feruere aut exurere ſolet : vermes dirupti ac mortui,ac per fruſta cõminuti ſub infælicibus cõgerebantur,qui fœtore execrandæ putredinis adeò vniuerſa replebant,vt fæculentia illa omnem prędictarum pœnarũ excederet cruciatum.Denique viſis tot cruciamentis , cœpit procedentibus nobis lumen gratiſſimũ apparere , hinc fragrantia odoris dulciſſimi, atque amœnitas cãpi multimoda florũ iucunditate vernantis incredibilẽ nobis præſtitit voluptatem. In hoc campo inuenimus infinita millia hominum , ſeu potius animarum , fœlici quiete poſt expleta tormenta gaudentiũ : quos in prima illius campi parte inuenimus:vtebantur veſtibus albis,ſed non ſatis nitẽtibus, nihil tamen nigredinis aut maculæ erat in iis minori tamen gratia candoris pol-

ſebant. Vide ibi quamdam venerabilem Abbatiſſam, quæ magnæ fuit virtutis in vita hac, & nuper de tormentis euaſerat, quę in campo hoc veſtibus immaculatis, ſed non ſatis candentibus vtebatur: hæc marcida ſpecie, & tali habitudine videbatur, quaſi longa ægritudine confecta, & ex balneis nuper fuiſſet egreſſa. Vidi ibi & quendam Priorē, beata quiete cū ſpiritibus iuſtorum fœlicē, certa expectatione viſionis diuinæ, qua erat remunerandus, incomparabiliter lætiorem. Poſt hæc ad interiora huius cāpi progreſſi, vidimus in medio ſpirituum beatorū, quorum ibi infinita millia circunſtabāt, crucis myſterium adorari. Videbatur Saluator quaſi in ſtipite crucis ſuſpenſus, ad quod vitale ſpectaculum cū ineffabili alacritate vndique cōcurrebatur: mira intuentium deuotio, magna pro tantis beneficiis gratiarum actio. Quis non admiretur tantam in Saluatore noſtro clemētiā, vt quod ſemel pro nobis in carne paſſibili pertulit in hoc mūdo, hoc impaſſibilis nunc exiſtens, ob nimium humanarū animarum amorem, ad earum gaudiū & deuotionē ampliandam, imaginaliter repræſentare dignetur in paradiſo? Deinde poſt horā non modicam viſio ipſa

diſparuit, & ſinguli ad proprias ſedes cū gaudio redierunt. Poſt hæc vidi eminus quaſi murum chryſtallinum, cuius nec altitudo, nec longitudo poterat perpendi, per cuius lucidiſſimam portam intrauimus, ibi delicioſiſſimus ſplendor Porrò ad altiora proſpiciens, vidi dominum Saluatorem in throno gloriæ reſidentem. Veruntamen locus iſte non fuit vbi videtur Deus facie ad faciem, ſed inde iam remota omni difficultate, & omni dilatione, aſcenditur in cœlum illud æternæ, deitatis viſione beatum. His viſis & auditis, ſanctus Nicolaus ductor meus me breuiter ſalubriterque admonuit, dicens: Iam tibi ad tuos eſt redeundum. Hæc pauca ex viſione iam perſtrinxi. DION. Magiſtraliter perſtrinxiſti, ideo dubia quæ tibi circa hæc occurrunt propone. FRAT. Penè omnia quæ præcedenti articulo tetigi, hic quoque poterunt tangi, quæ nunc repetenda non ſunt. Specialiter verò me mouet qualiter verum ſit, quòd animæ in purgatorio emundatæ, dicuntur in hac viſione venire ad paradiſum terreſtrem antequam ad cæleſtem perueniunt paradiſum, præſertim quoniam inter receptacula animarū poſt vitā hanc non cōputatur para-

diſus terreſtris, ſicut tu melius noſti. Denique cum animæ poſt hanc vitam non ſint amplius in ſtatu merendi, cur eis in paradiſo fieret talis repræſentatio dominicæ paſſionis? D I O. Sapiẽter interrogas, & rationabiliter dubitas. Veruntamẽ antequam ad ſolutionem omnium horum procedã, adhuc tange de aliis viſionibus aliqua, quæ maiorem tibi pariunt dubitationem.

De purgatorio ſancti Patritij.

ARTICVLVS XXIIII.

Deſcriptio purgatorij Patritij. QValiter ſanctus PATRITIVS impetrauerit ſibi à Domino demonſtrari quendam purgatorij locum ſub terra, vulgatum eſt ſatis: qualiter etiã inter multos, qui locum huiuſmodi intrauerunt, quidam miles introierit, atque exierit, & quæ ibi conſpexit de ſuppliciis peccatorum, gaudiíſque iuſtorũ, reuerſus retulit, communiter legitur in libello, qui de purgatorio ſancti Patritij intitulatur. Retulit quippe, quòd foſſam profundam ingreſſus, primò deuenit in campum & aulam, in qua venerunt ad eum quadringenti & quindecim viri ſancti, admonẽtes eum de futuris periculis, & de conſtantia obſeruanda. Poſt quorum diſparitionem apparuerunt ei viſibiliter dæmones

mones multi in formis horrendis cum ſtrepitu magno, quorum dum verba cō- I.
temneret, ab eiſdem proiectus eſt in magni rogū incendij, de quo CHRISTVM inuocando repente ereptus eſt: quo facto *Purgato-*
dæmones eum traxerunt ad campum *rij cāpus.*
quemdam longiſſimum, plenum hominibus nudis vtriuſque ſexus, qui ventre humo hærebant, & clauis ferreis atque candentibus terræ affixi extendebantur. II.

Deinde traxerunt eum ad alium cāpū maioribus plenum miſeriis, in quo homines diuerſæ ætatis & ſexus reſupini iacebant fixi in terram, ſuper quos iacebant dracones igniti, quaſi comedentes ac lacerantes ſubiectos. Aliorum capita, vel brachia, aut totum corpus circumcinxerunt ſerpentes, & capita ſua pectoribus miſerorum imprimentes, ignitum ac venenoſum oris ſui aculeum illorum cordibus infigebant. Bufones quoque miræ magnitudinis & quaſi ignei, ſuper quorundam pectora conſidebant, quibus ſua roſtra deformia infigentes, ipſorū corda quaſi extrahere nitebātur: ſuper quos etiam dæmones diſcurrebāt: flagris cruciantes eoſdem.

Inde traxerunt eum in tertium cam- III.
pum, miſeris plenum hominibus, qui à

ſummitate capitis vſque ad digitos pedum i.a erant clauis transfixi, quòd in eorum membris locus vacuus non videbatur: inſuper vento frigido ac vrente flagriſque dæmonum cruciabantur.

IIII. Deinceps traxerunt eum in quartum campum, multis ignibus, & omni tormentorum genere plenum, in quo catenis igneis ſuſpendebantur, alij per pedes, alij per manus, alij per membra capitibus eorū ad ima verſis, atque ſulphureæ flāmæ immerſis: alij in fornacibus ſulphureis cremabantur, alii ſuper ſartagines vrebantur. Omnia genera tormentorum quæ excogitari poſſunt, erant ibidem. Ibi vidit hic miles aliquos ſibi notos. Eiulatus & clamores vniuerſorum, quos ibi audiuit, nec lingua exprimere, nec ſenſus mortalium ſufficit excogitare.

Domus incendiis plena. Poſt hæc traxerunt eum in domū permaximam incendiis plenam, rotundis & profundiſſimis foſſis repletam, quæ erāt plenæ liquefactis metallis feruentibus, in quibus plurimi torquebantur. Deinde traxerunt eum ad flumen magnum ac fœtidum, totaliter coopertum ſulphurei flamma incendij: ſuper quod flumen à ripa in ripam pons lubricisſimus ac ſtrictisſimus tendebatur, qui in tantam altitu

titudinem paulatim fuit extenſus, quòd horribile erat videre, per quem hunc militem oportuit ire: qui fiducialiter trãſeundo inuenit pontem continuè latiorem. Quibus peractis, dæmones militem reliquerunt: ipſe verò vidit ante ſe murum magnum & altum, pulchritudinis admirandæ incomparabiliſque ſtructuræ, in quo extitit porta ex gẽmis & pretioſis metallis reſplendens, ex qua venit ei obuiam proceſsio maxima cum crucibus & vexillis, cum cereis & aurearum ramis palmarũ, quæ militem cum ingenti veneratione & concentu dulciſsimo introduxit per portã, dixerúntque archiepiſcopi duo ad militem: Regio iſta eſt paradiſus terreſtris, de qua ob ſuã culpam eiectus eſt Adã. Omnes nos per loca pœnarũ ad requiẽ iſtam tranſiuimus, ad quam etiã venient omnes, quos in purgatorij pœnis vidiſti, cùm fuerint expurgati. Nullus noſtrum nouit quamdiu hic erit: & licet ab omni hic liberi ſumus culpa, ad ſupernam tamen ſanctorum lætitiam nondum digni ſumus aſcendere: quotidie ſocietas noſtra creſcit & decreſcit, dũ ſingulis diebus & à pœnis ad nos, & à nobis ad cæleſtem aſcẽditur paradiſum. Deinde duxerunt militem in montẽ

ſubli-

ſublimem,oſtenderúntque ei portam paradiſi cæleſtis:quibus auditis & viſis: reuerſus eſt miles. DION. Cōuenićter hoc recitaſti, ſed quid tibi circa iſta apparet? FR. Specialia dubia mihi ex his naſcuntur,quæ tibi mouebo.

Dubiorum circa hæc orientium propoſitio.

ARTICVLVS XXV.

Dubium primum.

FRATER.

HIc apertiſſimè dictum eſt, quòd à purgatorio non aſcenditur ad paradiſum cæleſtem, niſi per paradiſum terreſtrem, cuius oppoſitum (ſicut & tu certius noſti) dicunt doctores communiter, qui & multipliciter probant, quòd ſatisfactione in purgatorio perſoluta, animæ mox volent in cælum empyreū: quod & rationabile eſſe videtur, cùm nulla ſit cauſa dilationis à gloria, quàm culpæ reatus. Denique ſicut prchabitum eſt,ſola dilatio gratiæ, quæ & pœna dāni vocatur, excedit in animabus ſeparatis non condemnatis, omnem pœnam vitæ præſentis. Si ergo animæ in paradiſo terreſtri nondum Deo beatificè per-
II. fruuntur,ergo ſunt ibi in pœna grauiſſima. Inſuper qualiter potuit miles ille intra diem naturalem pertingere vſque ad para

paradiſum, atque reuerti ad portam per quam fuit primam foſſam ingreſſus. Iterũ dubitatur, qualiter tot animæ in purgatorio exiſtentes apparuerunt militi huic viſibiliter in humanis corporibus: quomodo etiam animæ in paradiſo terreſtri (vt dicitur) conſtitutæ, apparuerunt & occurrerunt militi in humana effigie. Et quicquid de viſionibus præmemoratis dicatur, viſio iſta dici non poteſt imaginaria extitiſſe, ſed exterior & in plena vigilia, ſicq; taliter viſa realiter ita ſe habuerunt vt videbantur: & iuxta hæc dicit nõ poterit, quòd ſoli Elias & Enoch ſunt in paradiſo terreſtri, cum ibi ſint & innumerabiles. alij. DION. Fortia ſunt quæ moues, & difficilia ad ſoluendum, mallemque ſuper his inſtrui quàm docere: vnde nec de iſta materia volo quid dicere cum aſſertione incauta. Porrò ſi & aliquot alias vis tangere viſiones, & ex eis proponere quæſtiones, hoc facito antequam ad horum ſolutionem progrediar. FRAT. Poſſem & alia quædam referre ac ſciſcitari, præſertim ex Reuelationibus Brigittæ ſanctæ, cuius reuelationes prædictis ſatis conſonare videntur. Verùm vt arbitror, ex horum ſolutione, illorum quoque ſatis eluceſcet ſolu

Gene.5.
Eccl.44.
Hebr. 11.

ſolutio : imò & infrà oportunè poterunt tangit : idcirco ſi placet, ad præinducta diſcutienda, declaranda ac ſoluenda te modò accinge.

De triplici viſione.

ARTICVLVS XXVI.

DIONYSIVS.

Viſio triplex. *Luc.1.* TRiplex ſecundùm Auguſtinum eſt viſio: Prima eſt exterior, qua ad oculum exteriorem aliquid ſenſibiliter I. cernitur, aut apparet, quemadmodum *Exterior.* beatiſſima virgo vidit angelum Gabrielem, qui ei multa prædixit futura: ſic quoque Zachariæ patri ſacratiſſimi Ioãnis Baptiſtæ idem apparuit, atque locutus eſt angelus. In veteri etiam teſtamẽ*Iud.* 13. 6. to patri Sampſonis ac Gedeoni, imò om2. nibus filiis Iſraël angeli ita apparuerunt, *Exod.* 14. ſicut in libro Iudicum ſcribitur: ſic etiã 32. aſſiduè viſus ac locutus eſt angelus Moſi, & hæc viſio non fit niſi in vigilia.

II. Secunda eſt viſio imaginaria, qua per *Imaginaria.* ſimilitudines in interiori ſenſu, puta vi imaginatiua formatas, aliquid conſpicitur: & tales fuerunt communiter viſiones *Ierem.* 1. prophetarum, quemadmodum Ieremias vidit virgam vigilantem, & ollam ſuccẽſam, atque Ezechiel ædificium templi ac *Ezec.* 40 ciuitatis in mõte. Porrò huiuſmodi viſio ali

aliquando fit in ſomno. Vnde & in Euã-gelio legitur angelus apparuiſſe, & locutus eſſe ſancto Ioſeph in ſomnis. In Numeris quoq; Dominus proteſtatur: *Si fuerit inter vos propheta in viſione apparebo ei, vel per ſomnum loquar ad eum.* Et in libr. Iob. *Per ſomnium in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo, aperit Deus aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina.* Aliquando verò imaginaria viſio fit in vigilia, exterioribus tamẽ ſenſibus alienatis & abſtractis ab omni actu & exercitio à ſuis obiectis, ſicque Iſaias vidit *Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum.* Tales fuerunt viſiones ſancti Ioannis Euangeliſtæ, quæ in Apocalypſi conſcriptę ſunt Vnde fatetur. *Fui in ſpiritu in dominica die, & audiui poſt me vocem magnam*, & rurſus. *Vox*, inquit, *prima quam audiui tamquam tubæ loquentis mecum, dicens: Aſcende huc. & oſtendam tibi quæ oportet fieri cito, & ſtatim fui in ſpiritu.* Tertia eſt viſio intellectualis & anagogica, ſeu ſurſum ductiua, qua per ſpecies intelligibiles & mentalem illuminationem, puríque luminis infuſionẽ aliquid homini demonſtratur: & tales fuerunt viſiones & reuelationes Dauid prophetæ, ſecundũ quod ipſemet innuit in libris

Mat. 1.
Num. 12.
Iob 33.
Iſa. 6.
Apoc. 1.
Apoc. 4.
III. *Intellectualis.*

Regum:

2.Reg.23. Regum : *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam, ſicut lux aurore oriente ſole mane abſque nubibus rutilat, & ſicut pluuiis germinat herba de terra.* Præterea ſcire oportet, quòd viſio dicitur imaginaria dupliciter. Primò, quoniã ſola eſt

Viſio imaginaria duplex. imaginaria, & non intellectualis, quando videlicet alicui aliquid demonſtratur per imaginarias ſpecies, nec tamẽ agnoſcit,

1. quid per huiuſmodi ſpecies ſeu ſimilitu-

Dan. 24. dines deſignatur: ſic viſio Nabuchodono

Gene. 41. ſor, qua vidit ſtatuam magnã, & illa qua vidit arborem pulchram in ſomno: viſio quoque qua Pharao vidit in ſomno ſeptẽ boues, & ſeptem ſpicas, fuerunt imaginariæ, & tales viſiones non merentur dici

Dani. 10. propheticæ, quia (vt apud Danielem legitur:) *intelligentia eſt opus in viſione.* Hinc præfati reges non fuerunt prophetæ, ſed

Gene. 41. Ioſeph & Daniel, qui viſiones illas ex-

Dan. 2. poſuerunt.

4. Secũdò dicitur viſio imaginaria, quo-

11. niam partim eſt imaginaria, & partim intellectualis, quando videlicet is qui habet imaginariam viſionem, intelligit

Viſio intellectualis duplex. quid deſignetur per eam.

Similiter viſio dicitur intellectualis dupliciter: Primò, quoniam eſt purè &

1. ſolum intellectualis, quando per ſolas intelli-

intelligibiles formas repręſentatur,& per ſpiritualem illuſtrationem intelligitur.

Secundò, quoniam pro parte eſt imaginaria,atque pro parte intellectiua,propter quod interdũ imaginaria & aliquando intellectiua vocatur,talíſque viſio intellectualis non differt à viſione imaginaria ſecundo modo ſic dicta. Denique per hanc diſtinctionem poſſent faciliter ſolui ac concordari verba doctorum, qui de hac materia diuerſimodè loqui videntur. Præterea,ſicut ex doctrina diuini & magni Dionyſij in libris de cœleſti & Eccleſiaſtica hierarchiis manifeſtè habetur, propheticæ viſiones miniſterio angelorum ſanctorũ adminiſtrantur, & fiũt prophetis, quod etiam Thomas in ſecunda ſecundæ,Alexander de Hales ſuper ſecundum Sentẽtiarum, Albertus quoque ibidem, ac alij concorditer tenent, & ex ſcriptura probatur canonica,Iſaia teſtante: *Volauit ad me vnus de Seraphim.* Vnde & Zacharias frequẽter: *Dixi*, inquit,*ad angelum qui loquebatur ad me*: & rurſus idem aſſerit Zacharias: *Ecce angelus qui loquebatur in me, egrediebatur, & alius angelus egrediebatur in occurſum eius & dixit: Curre & loquere ad puerum iſtum.* Hoc ipſum inſinuatur in Apocalypſi,vbi ait Ioannes Apoſtolus,

Margin: I I. — *Iſa.6.* — *Zach.1.* — *Zach. 2.* — *Apoc. 1.*

lus,& propheta: *vidi ſimilem filio hominis veſtitum podere.* Nam non ait, Vidi filium hominis, ſed, Similem filio hominis, id eſt, angelum in perſona Chriſti apparentem, atque loquentem, vt Haymo, Beda, Albertus exponunt. Propter quod in Apocaly-
Apoc. 22. pſi filius hominis conteſtatur: *Ego Ieſus miſi angelum meum teſtificari hæc vobis in Eccleſiis* FRA. Placet per omnia iſta viſionum diſtinctio, ſed inſtrui cupio qualiter diſcernatur, quòd viſio ſit vera, nec fallax.

Ex quibus queat cognoſci aut perſuaderi, quòd viſiones & reuelationes, illuminationes & conſolationes ſint verè à Deo.

ARTICVLVS XXVII.

DIONYSIVS.

MEritò iſtud inquiris, quia in viſionibus poteſt de facili euenire peri-
2. Cor. 11. culum maximũ, cùm dicat Apoſt. *Ipſe ſatanas ſe transfigurat in angelum lucis.* Hinc quidam diabolicis viſionibus decepti miſerabiliter corruerunt, ſicut & Caſſianus deſcribit. Verùm multa ſunt ex quibus perpẽditur, quòd viſiones ſint verè à Deo. Primum eſt, ſi ſcripturis ſanctis concordent: ſecundum, ſi à ſanctorum patrum doctrina non diſſonent: tertium, ſi communi

Viſionum certitudo & veritas vnde cognoſcatur

muni documento doctorum Catholicorum conſentaneæ ſint: quartum, ſi ad ſpiritalem profectum & ſanctam deuotionem inueniantur accommodæ: quintum, ſi quod in eis prædicitur verè impletur: ſextum ſi perſonæ in quibus fiũt, ſunt verè Catholicæ virtuoſæ, ac ſtabilitę in bonis, quamquam etiam malis hominibus interdum fiunt reuelationes, vt conſtat de Balaam, quoniam Prophetia & viſio *Num.* 22.
ſunt dona gratiæ gratis datæ, quæ bonis *&* 23.
& malis, electis & reprobis ſunt communia. Præterea, ex hoc communiter poteſt aduerti, an illuminatio, viſitatio ſeu conſolatio aut reuelatio ſit à Deo, dum homo ex huiuſmodi influentia inclinatur ac trahitur ad ſuiipſius cordialem contemptum, ad humiliationem profundam, ad omnium vanitatum ac vitiorum deteſtationem, ad feruidũm boni communis amorem, ad generalem caritatis ac gratię ſibi conceſſæ communicationem ad omnes, ad ardentem ſpiritalis profectus affectum, ad boni propoſiti ſinceriſſimam integritatem, ad purũ deitatis amorem, ad fidei illuminationem, & ad eorũ quæ ſunt fidei intelligentiam clariorem, ad patientiam firmam & obedientiam ſanctam. Nempe quemadmodum ex ſolis

præſentia oriũtur in aëre ſplendor & calor, ita ſummo ſapientiæ, atque iuſtitiæ ſole apparente, radiante ac operante in anima, mox naſcuntur in ea veræ ſapientiæ fulgor, caritatiſque ardor: & quamuis practicante diabolo poſſit in homine gigni ſenſibilis quædam deuotio, & conſolatio quædam, ſeu dulcedo ſuo modo interna, præfati tamen affectus eſſe non valẽt à dæmone, nec diabolus poteſt agere immediatè in apicẽ affectiuæ aut verticem intellectiuæ, nec ita perſtringere mentem, vt velit nolit rapiatur ſincere ad Deũ, atque in lucis demergatur abyſſum, ita quòd ex huiuſcemodi præuentione, influxu, aut viſitatione oriuntur in mente ſaluberrimi affectus præfati. FRATER. Videntur mihi hæc omnia ſonare valde Catholicè, nec his (vt reor) poterit contradici. Verùm vt ſuſpicor, hæc introduxiſti, vt per ea reſpondeas ad quæſita ſuperius: idcirco ſi placẽt, oſtẽde ex his quid æſtimes ſentiendum de viſionibus & reuelationibus præmemoraris, quæſtiones etiam circa eas ſuprà inductas ſolue.

Quòd viſiones Tondali & monachi Anglicani, & quæ de purgatorio Patritij factæ ſunt, videantur veræ & fide dignæ.

ARTI

ARTICVLVS XXVIII.

DIONYSIVS.

SI attendamus viſiones & reuelationes Prophetarum veteris teſtamẽti & ſancti Ioannis Apoſtoli, nõ video quòd præfatæ viſiones ac reuelationes ſint reprobandæ: primò, quoniam ſimiles leguntur in ſcripturis vtriuſque teſtamenti canonicis, vbi inueniuntur horribiles ac myſticæ apparitiones Prophetis oſtenſæ, & ſancti Prophetæ referũt ſe trãſlatos fuiſſe in ſpiritu ad loca remota, in quibus oſtenſa ſunt eis inuiſa antè & inaudita, & quæ ſecundum quod ſonat litera, intelligi nequeunt, ſicut dum ſanctus Ezechiel *Ezech. 1.* aſſerit ſe vidiſſe quatuor animalia, cum diſpoſitionibus, formis ac motibus ibi expreſſis: & rurſus alibi deſcribit ſe tranſportatum à Chaldæa in Ieruſalem in viſionibus Dei, ſpiritu vtique, non corpore: *Ezech. 8.* quod ſubtiliſſimè innuit, dicens: *Emiſſa ſimilitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me ſpiritus inter cœlum & terram, & adducit me in Ieruſalem in viſione Dei,* & reliqua quæ ibi habentur. Et iuxta expoſitores, tota viſio illa fuit imaginaria, ipſo Ezechiele in Chaldęa in ſuo *Ezec. 40* loco realiter ac immobiliter permanente, atque in interiori ſuo ſenſu, vi ſcilicet

imaginatiua formatis per Angelum ſimilitudinibus repræſentātibus vniuerſa, quæ ibi deſcribit, ſeque vidiſſe & feciſſe teſtatur. Similiter & alias *Facta eſt*, inquit, *ſuper me manus Domini, & adduxit me in viſionibus Dei in terram Iſrael, & dimiſit me ſuper montem excelſum nimis, ſuper quem erat quaſi ædificium ciuitatis.* Et ibi per aliquot capitula ſcribit ſe in illa viſione multa vidiſſe, audiſſe, egiſſe, cùm tamen totum hoc ageretur, & eſſet in ſola imaginaria viſione, non tamen inani, ſed magna quædam repræſentante. Iuxta hunc modum ait etiam in Apocalypſi Ioannes: *Venit ad me vnus de ſeptem Angelis, & ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum, & oſtendit mihi ciuitatem ſanctam Ieruſalem: & habebat murum magnum & altum, habētem portas duodecim: & erat ſtructura muri eius ex lapide iaſpide: ipſa verò ciuitas ex auro mundo, fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata.* Alias multas viſiones imaginarias, admirabiles & horrendas ſcribit in Apocalypſi Ioannes, dicendo: *Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominibus blaſphemiæ, habentem capita ſeptem & cornua decem.* Itemque, *Vidi, inquit, cælum apertum, & ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper eū, vocabatur fidelis, & verax, & exercitus*

Ezec. 41. 42. 43. & ſeq.

Apoc. 21.

Apoc. 17

Apoc. 4.

qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in veſtibus albis, & apprehenſa eſt beſtia, & cum illa pſeudopropheta, & viui miſsi ſunt hi duo in ſtagnũ ignis ardentis ſulphure. Multa huiuſmodi habentur in Apocalypſi, ex quibus probatur, *Apoc.19*
quòd viſiones Tondali & monachi Anglicani, & quæ de purgatorio PATRITII ſunt oſtenſæ, non diſcordant à ſcriptura Canonica nec à fidei veritate. Porro, quòd nec à doctrina ſanctorum diſſonent patrum, monſtratur ex his quę ſuprà ex dictis ſancti Gregorij quarto Dialogorum ſunt allegata. Siquidem ſanctus Gregorius refert ibidem at ue in homiliis, ad morientes frequenter veniſſe Angelos bonos & malos: & angelos malos in forma apparuiſſe Æthiopum, aut draconum, ac morientium membra l gaſſe, eorumque animas ad loca amœna, aut pœnalia deduxiſſe: animas quoque defunctorum rediſſe ad corpora ſua, atque viuentibus retuliſſe ſe maxima cõſpexiſſe, aut etiam toleraſſe tormenta, & deinde iuſtorum gaudia, gaudioſaque loca vidiſſe, & in recitationibus ſuis quaſi per omnia nominibus corporalium rerum, ſimilitudinibuſque earum ſunt vſæ, videlicet flamma ignibus, põtibus, pratis florẽtibus, domibus, atque nauigiis. Inſuper

perſonæ quæ iſta viderunt, poſt horum viſionem & experientiam tam abſtinenter, rigoroſè, compunctè, & ſanctè vixerunt, quòd tanta eorũ conuerſio, aut profectus atteſtabatur verbis eorũ. His quoque quæ de purgatorio ſancti Patritij leguntur, atteſtatur legẽda ipſius & paſſionale ſanctorum. Poſtremò, præfatæ viſiones valde ſunt inductiuæ & inflammatiuæ ad Dei timorem, ad internam compunctionem, ad ſanctam deuotionem, ad pœnitẽtiam ſalutarem, ad mundi contemptum, ad cordis cuſtodiam, atque ad emẽdationem in omnibus. FRATER. Libentiſſimè hanc tuã audiui cenſuram ſeu poſitionem, confidens quòd & alij multi his auditis cum maiori credulitate, copioſiorique fructu, præfatas & conſimiles lecturi ſint viſiones. Nunc ſupereſt, vt quæſtiones circa viſionem Tondali motas diſſoluas.

Viſionum vtilitas.

Solutio dubiorum quæ circa viſionem Tondali motá ſunt ſupra, articulo vigeſimo ſecundo.

ARTICVLVS XXIX.

DIONYSIVS.

Solutio dubij primi.

Circa viſionem Tondali primò quæſiſti, an anima eius fuit realiter ſeparata

rata à corpore in tota illius viſione, an potius realiter mãſit in corpore, ita quòd vidit omnia illa ſola imaginaria viſione, & in ea per ſimilitudines quaſdam ſuſtinuerit tot & tanta, de quibus ſcribit, tormenta. Ad quod (vt tetigi) videtur haberi reſponſio ex recitatione hiſtoriæ de Tondalo illo, in qua fertur, quòd pro tũc mortuus fuerit. Vnde & ipſe reductus ad corpus ſeu corporis vſum, ac ſenſum, dixit: Cùm anima mea corpus exueret, & illud mortuum eſſe cognoſceret, voluit ad corpus ſuum redire, nec poterat illud intrare. Verumtamen huius oppoſitum poſſet probari, ex eo quod in eodem narratur libello, quòd Tondalo ſubitò corruente, apparuerunt in eo omnia ſigna mortis, dempto quod calor modicus in ſiniſtro eius latere ſentiebatur ab his, qui corpus eius diligenter palpabant: propter quod & corpus inſepultum ſuper terram ſeruabant vſque ad tertium diem, quo reuiuiſcere videbatur. Ideo poſſet quis probabiliter dicere, quòd anima ei⁹ manſit toto tempore viſionis illius realiter in corpore ſuo, atque quòd ſola imaginatiua viſione conſpexit, ac ſupplicia pertulit per omnipotentiam Dei diſpenſatione occulta, & modo quodammodo

incomprehēſibili nobis, quemadmodum de animabus ſeparatis, ac dæmonibus dictum eſt, quòd verè & ineffabiliter atque grauiſſimè affliguntur ab igne corporeo. Hinc Auguſtinus in libro de cognitione veræ vitæ ait ad quæſtionem interrogatus: Nónne legitur, quòd ſæpe multæ animæ de corpore eductæ viderunt multa loca pœnalia, loca quoque amœna ac florida, & multas animas in vtriſque, atque ad corpus reuerſæ retulerunt ſe multa audiſſe ab illis? Ad hoc Auguſtinus reſpondet: Sciendum quòd hæ animæ non penitus reliquerant corpus, ſed ſenſus tãtùm corporeos ſuis deſtituerunt officiis. Corpus autem non ex toto vitali caruit ſpiritu: vnde ea quæ audierunt, non res corporeæ, ſed ſimilitudines corpo earum rerum fuerunt, quas reuerſæ conſtitutis in corpore narrauerunt. Sicque vlterius diceretur quòd propter vehemẽtem illam alienationem & abſtractionem animæ Tondali à corpore ſuo & omni ſenſu, motu & actu corporeo, & propter intenſiſſimam occupationem eius circa ea, quæ ſunt alterius ſeculi, videbatur ei quòd eſſet ſeparata à corpore. Nec hoc incredibile reputetur de anima Tõdali, cùm diuus dicat Apoſtolus ſe neſcire,

Animæ quæ viſiones illas imaginarias conſpexerunt non erant ſeparatæ à corpore.

2. Cor. 12.

neſcire, *an in corpore vel extra corpus fuerit raptus*. Aliqui quoque interdum tanta replentur ſuauitate cœleſti, vt eis videatur, quòd animæ eorum de corporibus ſuis exiliant, aut extra corpus conſiſtant. Fronto quoque Epiſcopus dixit ſe interfuiſſe ſepulturæ beatæ Marthæ: ſimiliter ſanctus Ambroſius perhibuit ſe ſepulturæ ſancti interfuiſſe Martini: & tamen Richardus de Media villa ſuper primum Sententiarum diſtinctione decima ſeptima, & alij multi dicunt ſanctos illos antiſtites non fuiſſe in ſepulturis illis perſonaliter, nec animas eorundem. Sic quippe ait ibi Richardus: Dici poteſt quòd in veritate nec corpus nec anima Ambroſij interfuit ſepulturæ S. Martini, ſed fortè Angelus in ſpecie Ambroſij apparens: quod dum neret, videbatur Ambroſio ſoporato quòd intereſſet illi ſepulturæ. Nec eſt putandum, quòd phantaſticum hominis realiter exeat de homine dormiente, ſed quandoque contingit, quòd homo ſomniat ſe eſſe præſentem alieno conſpectui: & quando hoc ſomniat, tunc ſpiritus in ſpecie illius hominis apparet illi, cuius conſpectui ille dormiens ſomniat ſe eſſe præſentem. Hæc Richardus. De hac autem materia

Ambroſij dictum quomodo intelligendum.

diffu

diffuſius ſcribit beatus Auguſtinus 18. de Ciuitate Dei, vbi ſatis miranda refert de transformationibus, apparitionibúſque quibuſdam. Prætereà ad intelligendum qualiter anima in corpore manens poſſit per imaginariam viſionem talia cernere, ſicque moueri, pati, terreri, valet, quod 12. ſuper Geneſim loquitur Auguſtinus de iacentibus abſque ſenſuum vſu, quòd gerunt quamdam ſimilitudinem corporis ſui per quam poſſunt ad loca corporalia ferri, & talia qualia vident ſimilitudinibus ſenſuum experiri.

Alia opinio. Nihilominus poteſt quis etiam probabiliter dicere, quòd in omni præfata viſione fuerit anima Tondali verè ſeparata à corpore, & interiori, intellectualique viſu conſpexerit ea, quæ ſe vidiſſe narrauit. Intellectus namque (vt docet Boëthius) quodammodo in ſe includit, ac comprehendit omnes exteriores interioréſque ſenſus, & actus illorum exercet ſimpliciori, altioriq; modo quàm illi. Vnde quemadmodum Deus æternus & glorioſ per ideales ſimpliciſſimas & immaterialiſſimas formas videt & noſcit vniuerſa & ſingula quantumcumque corporalia & terrena diſtinctiſſimè atque pleniſſimè, ac deinde angeli ſancti ac dæmo

dęmones quamuis immateriales, tamen per ſuas intelligibiles ſpecies, diſtinctè cognoſcunt corporea & ſenſibilia quæque, ita & anima ſeparata poteſt per intelligibiles ſpecies, ſecundum quod ſibi tunc inſunt, ſenſibilia & corporea intueri diſtinctè, ac talium reminiſci. Verumtamen ad iſtud facilius reſponderetur ſecundum beati Aug. inueſtigationem, qui ſuper Geneſim duodecimo ait lib. Non video an habeat anima ſimilitudinem corporis ſui, dum iacente corpore ſine ſenſu, non tamen penitus mortuo videt talia qualia multi ex illa ſubductione ſeu alienatione viuis redditi narrauerunt, & non habeat ſimilitudinē illam, dum perfecta morte penitus de corpore ſuo exierit. Huiuſmodi autem ſimilitudines dicitur anima ſeparata habere ſecundum quod inſpicit eas. De hac re multa ſcribit Caſſianus in libro de anima ſeparata, quòd ſcilicet anima ſeparata à corpore, adhuc videt, audit, imaginatur & recordatur. Vnde vt ſuprà eſt allegatum, Aug. in lib. de ſpiritu & anima fertur dixiſſe, quòd anima recedens à corpore, ſecum trahit ſenſum, imaginationem, intellectum & intelligentiam, concupiſcibilitatem & iraſcibilitatem. In li. quoque de

eccleſia

eccleſiaſticis dogmatibus loquitur Auguſt. Homines ſolum credimus habere animam ſubſtantiuam, quæ exuta corpore viuit, & ſenſus ſuos atque ingenia viuaciter tenet. Verumtamen prætacta Auguſtini & Caſſiani ac aliorum quorũdam verba ſecundum quod ſonant, magis conſonant & concordant Plantonicorum, quàm Peripateticorũ doctrinis. Sed in his quæ fidei ſunt, præſertim in omni iſta materia, magis arbitror inſiſtendum auctoritati quam philoſophicæ rationi: quia ſecundum ſupernaturalem omnipotentis Dei operationem nobis in vita hac imperſcrutabilem, multa cõtingunt in his. FRA. Prolixè diſſeruiſti, qualiter vtrumque prædictorum probabiliter queat teneri, quòd ſcilicet in corpore vel extra corpus realiter fuerit anima Tondali in viſione præſcripta: reſtat vt ſoluas argumenta ad hoc introducta, quòd tunc extra corpus realiter eſſe nequiuit. DION. Hoc noueris, tantam eſſe infirmitatem intellectus humani quamdiu in corpore eſt, quòd etiam animæ à corpore realiter ſeparatę, dum ad corpus fuerunt reductæ, non potuerunt perfectè intelligere, nec aliis plenariè recitare ea, quæ ipſis extra corpus contigerunt, &

Intellectus humani infirmitas.

quæ

quæ de immaterialibus rebus viderunt: ſed per corporalia quædam, prout aptius poterant, expreſſerunt. Hinc, vt refert Cyrillus, vnus trium meritis ſancti Hieronymi reſuſcitatorum, interrogatus à Cyrillo de his quæ ſibi poſt diſſolutionem à corpore contigerunt, reſpondit: Quod me interrogas, non eſt bene poſſibile plenè fari, quoniam ſpiritualia noſtris ſenſibus minimè comprehēduntur. Nam ſcis Deum & angelos eſſe, & tamen quid ſint, perfectè intelligere nequis. Cùm enim ſint multa notiſſima in natura, quæ noſtræ intelligentiæ paruitate comprehendere non valemus, ſupercœleſtia & ſpiritualia omnino aliena à noſtra cognitione, quomodo intelligeremus? Itaque ſi anima Tondali in illa viſione fuit realiter ſeparata à corpore, ſic ea quæ vidit, ſeparata retulit, prout potuit corpori reſtituta, præſertim quia & Tondalus miles non videtur naturali philoſophia multum fuiſſe inſtructus aut aſſuetus, ita vt de ſpiritualibus per appropriationem diſſereret. Itaque reſpondendum quòd nec ſitus, nec ambulatio, nec eſſe in loco, propriè competant incorporeis rebus. Vnde quòd Tōdalus retulit, animam ſuam ſupra corpus ſtetiſſe,

& vndi

& vndique circunſpexiſſe, dæmonéſque vidiſſe per loca & ambulaſſe, ac conſimilia, ſunt ſpiritualiter intelligenda. Quemadmodum enim conuenit animæ ſeparatæ eſſe in loco diffinitiuè, non circūſcriptiuè, ſic competit ei moueri, ambulare, & ferri de loco ad locum. Qualiter autem poterat corporalia intueri ac pati, modò diſcuſſum eſt. Porrò animarū tormenta eo modo oſtenſa ſunt animæ Tondali, ac animæ monachi Anglicaui, atque Chriſtinæ Mirabilis & aliorum quorumdam, quo vtique modo debuerunt ac potuerunt ea aptius, intelligibilius ac fructuoſius recitare hominibus poſt earum reditionem ad ſua corpora, ſicque ſeparatarum & inuiſibilium animarum ac dæmonum ſupplicia, ac perſonæ demonſtrata ſunt animabus præfatis ſub ſimilitudinibus corporalium rerum & beſtiarum, materialiúmque pœnarum: non quòd anima Tondali habuerit corporeos pedes, aut quòd animæ in purgatorio excoriabantur, ſcindebātur, decollabantur, liquefiebant aut vrebantur in verubus, ollis patellis, aut quòd redigebātur quaſi in nihilum, aut in vnam maſſam cōglobabātur: ſed quòd omnes iſtiuſmodi pœnæ verè & ineffabili modo ſint

Anima quomodo eſſe in loco competit.

Quomodo intelligendæ ſint corporeæ pœnæ, quas hæc anima ſibi viſa eſt ſuſtinere.

do ſint

do ſint in animabus in purgatorio conſtitutis, aliter tamen, imò & ſupernaturaliter & incomprehenſibilius, ac prorſus pœnali⁹ quàm eſſe poſſunt in aliquo homine, aut in quibuſcunque hominibus in hoc mũdo. Et iuxta hunc modum ſunt intelligenda, quæ de ſtagnis, ponte, lamina ferrea ardente, & conſimilibus aſſeruntur. Dæmones quoque in formis diuerſarum apparuerũt ferarũ, bufonum, draconum, ſerpentum, ad inſinuandum diuerſas eorum crudelitates, atque multiplices atrociſſimáſque pœnas, quas minantur aut inferunt animabus: nã & frequẽter in talibus formis apparuerũt ſanctiſſimis viris, Antonio, Hilarioni ac cõſimilibus, quos ſuis tentamentis ac terroribus cupiebant deiicere. Prætereà vtrum animæ de purgatorio euolent immediate in regnum cœleſte, an mediate: ita quòd primò terreſtrem introeant paradiſum, infrà in ſpeciali diſcutietur articulo. Similiter & id, an minima purgatorij pœna (loquendo de pœna ſenſus) maior ſit omni præſentis vitæ tormento. Cætera etiam ſupra 24. articulo circa viſionem Tondali obiecta & tacta, infrà clarius exponentur. Poſtremò, doctores ſuper quartum Sententiarum cõmuniter *Diſtinctione 50.*

dicūt, quòd animę in purgatorio nō puniuntur per dæmones, quoniam eos vicerunt: neque per angelos ſanctos, qui ſuos conciues futuros non punirent tam dirè, ſed quòd ſolo igne torquentur per diuinam iuſtitiam. Huic tamen contrarium non in prænarratis viſionibus tantum, ſed & in aliis reuelationibus multis inſinuari videtur. De iſto tamen non eſt aliquid ab Eccleſia determinatum, vnde nec periculoſum aut illicitum reputatur circa hoc diuerſimode opinari, nec ratio iſta multum cogit, quòd ideò à dæmonibus non torquētur, quoniā eos vicerunt. Quamuis enim vicerūt finaliter, frequēter tamen victæ fuerunt ab illis: nec pro hoc ſatisfecerūt in ſeculo iſto, ſicque poſſet quis dicere, quòd meruerunt adhuc puniri ab ipſis dæmonibus, vt ſubdantur eis in pœnis quibus ſe ſponte ſubdiderūt
Deut. 25. in culpis: & per quos peccauerūt, per hos & puniantur, quēadmodum & in 4. Sentētiarum ait Magiſter: Hos habebunt in tormentis tortores, quos habuerūt in vitiis incētores. Verùm de hac re nihil diffinio, quemadmodum nec de iſto, an ſola pœna ignis animæ in purgatorio affligātur, loquēdo de pœna ſenſus: circa quod Thomas, & alij multi tenent quòd imò, quoniam

quoniam pœna purgatorij ordinatur ad purgationẽ, quæ maximè competit igni. Ex multis tamẽ reuelationibus aliter eſſe videtur, nec apparet negandum, quin ad minus dæmonum aſpectus ſit etiam his, qui in purgatorio ſunt, valde pœnalis.

An animæ in purgatorio ſatis punitæ, & igne purgatorio ſatis purgatæ, mox euolent in paradiſum cœleſtem.

ARTICVLVS XXX. FRA.

DE iſto nunc cupio diligenter tractari, an animę ex purgatorio liberatæ perducantur ad paradiſum terreſtrem, & ibi demorentur ad tempus, antequam ad cœleſtem patriam deducantur atque ingrediantur. DIO. Ad hæc videretur protinus reſpondendum, quòd in purgatorio ſufficienter punitæ & expurgatæ, immediate introeãt regnum cœlorum, niſi prætactæ, & etiam quædam aliæ viſiones viderentur oppoſitum affirmare. Sed forſan me aliqui irridebunt, quòd in tanta materia non reſpondeo indilatè, abſolutè & aſſertiuè, iuxta generalem & cõcordem doctorum traditionẽ, propter reuelationes quaſdam phãtaſticas & incertas. Verumtamẽ nec doctoribus contradico propter viſiones prætactas, nec propter doctorum traditiõem audeo tot

ſanctorum hominum viſiones & reuelationes appellare phantaſticas aut mendoſas., quamdiu Eccleſia ſuper hoc nihil determinat. Nam & qui eas deſcripſerũt & approbauerunt, fuerunt religioſiſſimi ac doctiſſimi viri, & quidam eorum fuerunt doctores in Theologia. FRATER. Si placet, breuiter tange quid ad huius quęſtionis vtramque partẽ poſſet induci & allegari. DIO. Ad probandum quòd animę de purgatorio immediatè pertingant gloriã paradiſi cœleſtis, multa ſatis authẽtica & robuſta poſſunt argumenta adduci. Primò, quoniã ſuper quartũ Sententiarũ, diſtinctione 45. vbi Magiſter ex verbis Auguſtini tractat de abditis receptaculis animarũ, ſcribũt doctores cõcorditer, quòd ante paſſionẽ Chriſti, receptacula illa fuerũt lymbus patrũ, quãtum ad iuſtos & ſufficiẽter purgatos: & lymbus paruulorũ quantũ ad animas in ſolo originali à corpore ſeparatas: & infern⁹, quantũ ad reprobos: ac purgatoriũ, quãtũ ad animas ſine mortali, tamẽ cũ obligatione ad pœnam exeuntes de corpore. Porrò poſt Chriſti paſſionem ac aſcẽſionem, lymbus ceſſauit patrum, & pro eo cœlum empyreum factũ eſt receptaculũ animarum ſanctarum, atque in purgatorio

Receptacula animarũ ante paſſionem Chriſti quæ fuerint.

rio plenarie purgatarũ. Iſtud eſt doctrina Alexandri de Hales, ſancti Thomæ, Alberti Magni, Diui Bonauenturæ & aliorũ:nec quiſquã ſanctorum patrum,aut ſcholaſticorum doctorũ videtur paradiſum terreſtrem inter receptacula ponere animarum, imò ſuper quartum aſſerit Thomas: Quemadmodum leuia per leuitatem ſtatim feruntur ſurſum, niſi aliunde impediantur,ſic animę ſoluto vinculo carnis, mox præmium ſeu beatitudinem conſequuntur, niſi aliquid impediat,ſcilicet veniale peccatum quod purgari oportet. Et quoniam locus deputatus animabus, ſecundum congruentiam præmij aut pœnæ,ſtatim vt anima à corpore abſoluitur, in infernum demergitur aut ad cœlum euolat,niſi impediatur aliquo reatu quo oporteat euolationem differri,vt anima prius purgetur. Et huic veritati auctoritates ſcripturæ canonicæ manifeſtè atteſtãtur, & documenta ſanctorum patrum: vnde contrarium pro hæreſi eſt habendum, vt patet 4. Dialogorum, & in libro de eccleſiaſticis dogmatibus.Hæc Thomas, qui etiã in ſumma contra Græcos iſtud multiplicitet probat.FRAT.Si huius contrarium eſt hęreticũ,ergo non licet aliter opinari.DIO.

Hæreticum eſt dicere animas ante futu-ram generalem reſurrectionem nō præ-miari,& hoc Gregorius quarto dialogo-rum ex ſcriptura oſtendit canonica:quid verò ad ea quæ Thomas & alij introdu-cunt valeat reſponderi, infrà habebitur. FRATER. Diſputationem tuam proſe-quere. DIONYSIVS. Ad huius partis probationem Thomas de Erfordia bre-uiter multa introducit motiua in ſuo compendio non paruipendenda: Animæ (inquiens) cum fuerint ſufficienter pur-gatæ in igne, euolant ſtatim ad gloriam, quod patet multiplici ratiōe.Primo,quo-niam poſt purgationem non manet in anima aliqua diſſimilitudo ad gloriam, ideò merito debet gloriæ iungi. Secun-dò,quoniam ianua cœli aperta eſt ei,quę nullum habet introeundi obſtaculum.

Animarum purgatarum euolationis rationes 8.

I. Tertiò, quia neceſſe eſt illos ſpiritus, in
II. quibus eſt caritas ſurſum eleuans, & ni-
III. hil retardans,ad gloriam eleuare Quar-
IIII. tò,cùm Deus pronior ſit ad miſerendum & beatificandum, quàm ad puniendum, merito debet purgatos coniungere glo-
V. riæ,quos purgádos ſubiecit pœnę.Quin-
Nahū. 2. tò,quia *non punit Deus bis in idipſum*,idcir-co dum quis ſatisfecit in pœnis ignium, non debet amplius puniri in dilatione

præ

præmiorum. Sextò, quia poſt purgatio- VI.
nem non debet talis amplius eſſe in purgatorio, cùm iam ſit purgatus, non purgandus: nec debet eſſe in lymbo, cùm non ſit de numero paruulorum: neque in inferno, quia non habet mortale: ergo oportet quòd ſit in cœlo, cùm non ſint alia poſt mortem receptacula animarum. Septimò, quia afficacior eſt ca- VII.
ritas quã iniquitas: ſed iniquitas ſtatim ducit ad ſupplicium, ergo caritas ſtatim ducet ad præmium. Octauam quoque VIII.
ſubiungit, quæ iam ex verbis Thomæ eſt introducta. FRATER. Auguſtinus in Enchiridio ſcribit, quòd vſque ad diem iudicij animæ ſeparatæ ſint in abditis receptaculis, ergo nec in inferno, nec in cælo, cùm hæc duo ſint omnibus nota. Gregorius quoque quarto Dialogorum refert quaſdam animas electorum alibi quàm in purgatorio eſſe punitas, quod & in aliis multis fatetur hiſtoriis: aliquos etiam narrat in paradiſo fuiſſe, & inde rediſſe. DION. Ad iſta & conſimilia claret reſponſio ex verbis Diui Bonauẽturę ſuper quartũ Sententiarum, diſtinctione quadrageſimaprima, ſcribẽtis: Triplex eſt ſtatus animatũ: Primus, eſt retributionis: Secundus, quietæ expectationis: Tertius *Status animarum triplex.*
pur

purgationis. Nam anima exuta duplici cauſa poteſt impediri à retributiōe beata: Primò, propter hoc quòd ianua clauſa eſt: Secundò, quoniam anima nō eſt plenè purgata. Itaque ſtatui retributionis correſpondet proprius locus receptaculúmque determinatum in ſe, & quoad nos, videlicet cælum empyreum, quoad iuſtos, & infernus quantum ad impios. Statui autem quietæ expectationis correſpōdet locus determinatus quo ad ſe, ſed non quo ad nos: quoniam ex ſcripturis non conſtat vbi ſit lymbus. Statui verò purgationis correſpondet locus indeterminatus, & quo ad nos, & quo ad ſe: quia non omnes in eodem purgantur, licet in vno aliquo loco purgentur multi: & quantum ad hæc loca, in quibus diuerſi ex diuina diſpenſatione diuerſimodè purgantur, loquitur in Enchiridio Auguſtin. Denique lymbus debetur peccato originali, infernus mortali, purgatorium veniali: eſtque probabile quòd hęc tria loca gradatim ſe habeant, & circa eandem terræ partem exiſtant. Inſuper receptacula aliquibus dantur ſecundum conſilium Dei, quod incommutabile eſt, & ſecundum cauſas ſuperiores, aliquibus verò ſecundum ſententiam Dei, quæ aliquan

liquando reuocatur, & ſecundum cauſas inferiores, & de animabus hoc ſecundo modo deputatis alicui receptaculo, intelligenda ſunt verba Grego. in ſuo Dialogo. Hæc Bonauentura. Porrò ſecundum Thomam, etiam cælum & infernus inter abdita receptacula computantur, quia inuiſa ſunt nobis, & ſola fide noſcuntur. Communiter quoque aſſeritur, quòd de lege cõmuni eſt vnus generalis purgatorij locus: ſed ex ſpeciali diſpoſitione iudicis ſummi diuerſa ſunt loca, in quibus animæ quædam purgantur. FRATER. Modò (ſi placet) tange motiua, ex quibus apparet quòd animæ in paradiſo terreſtri recipiantur ac demorẽtur antequã cæleſtẽ introeãt paradisũ.

Perſuaſiones, ex quibus apparet quòd animæ in purgatorio ſatis purgatæ, primò ingrediantur paradiſum terreſtrem, deinde cæleſtem.

ARTICVLVS XXXI.

DIONYSIVS.

AD hoc primò inducitur, quòd (vt ſuprà XIIII. artic. cõmemoratũ eſt) Gregorius narrat 4. Dialogorũ de quodam poſt viſa tormenta reorum ac gaudia electorũ ad corpus reducto: qui dixit, ꝙ ponte periculoſo tranſacto, erant amœna atq; virentia prata, in quibus de-

albatorum hominũ conuẽticula videbãtur: & tantus erat ibi odor ſuauitatis, ꝙ vniuerſos illic habitantes ambulanteſq; ſatiauit: vbi & manſiones diuerſorũ ſingulę multitudine lucis erant plenę, quod de paradiſo terreſtri intelligẽdũ videtur, quibus cõcordat quod in viſione legitur Tõdali, ꝙ ſcilicet angelus & anima Tõdali venerunt ad portã: quam ingreſsi, viderunt campum pulcherrimum, odoriferum, floribus conſitum, lucidum & amœnum, in quo fuit multitudo innumerabilis animarum, & cętera quę ſuprà viceſimo articulo ſunt conſcripta. Porro in viſione Anglicana, & in hiſtoria de purgatorio Patritii clariſſimè dicitur, ꝙ animę purgatorium exeuntes, primo introeunt paradiſum terreſtrem, & manẽt ibidem ad tempus, quouſque aptę reddantur ingredi regnum cœlorũ. In Reuelationibus demum ſanctę virginis Mechtildis narratur, quod animam eius Dominus aſſumpſit ac duxit in amœniſſimum hortum, in quo erat multitudo animarũ ad menſam ſedentiũ, quibus Chriſtus pro ferculo appoſuit officia, atque ſuffragia, quę à viuis fiebant pro illis, dixítque Mechtildis: Mi domine, quid proſunt hæc illis, cum ſint in gaudio magno?
Tunc

Tunc aperientibus ſe cordibus animarum, vidit in corde cuiuſlibet quaſi vermem cor ipſius torquentem, eo quod nō meruit ſine impedimento & dilatione poſt mortem ad Dominū euolare, & dictum eſt ei: Hic vermis non moritur, nec ab eo anima liberatur, donec intret in gaudium Domini, ſicque videtur quòd animæ à purgatorio liberatæ ſint in loco amœno & pulchro, puta terreſtri paradiſo: in quo quamuis multū lætentur, quòd purgatorij ſenſibilia ſupplicia euaſerunt, & de æterna beatitudine cito adipiſcenda ſint ſecuræ, dolent tamen de gloriæ dilatione, & quod non ſatis ſynceriter in hoc mundo vixerunt. Amplius, his concordare videtur quod in quarto libro Reuelationum ſanctæ Brigittæ cap. ſeptimo, Angelus ad ſanctam Brigittam in ſpiritu raptam legitur protuliſſe: Supra infernum eſt locus quidam, in quo eſt maxima purgatorij pœna quā animæ poſſunt ſuſtinere: & vltra locum hunc eſt alius locus, in quo minor eſt pœna, quæ non eſt alia niſi defectus virium in fortitudine & pulchritudine, ſicut per ſimile tibi dico, quaſi ſi aliquis eſſet infirmus, & infirmitate ceſſante ac pœna, nihil haberet de viribus

Brigittæ viſiones.

donec

donec eas paulatim recuperaret. Tertius verò locus ſuperior eſt, in quo alia nulla eſt pœna niſi deſiderium perueniendi ad Deum,& vt melius in conſcientia tua intelligas,dico tibi per ſimilitudinem,quaſi ſi æs miſceretur cum auro, & in igne ardentiſſimo aurum tam diu eſſet purgandum,donec æs totum conſumeretur, & aurum fieret purum: quantò autem æs fortius eſſet ac ſpiſſius,tantò ardentiori igne egeret, quouſque aurum eſſet quaſi aqua currens & totum fulgens: deinde magiſter eius profert aurum in alium locum in quo obtineat veram ſui formã in viſu & tactu:poſteà mittit aurum in tertium locum, vbi cuſtodiatur & poſſeſſori ſuo repræſentetur. Sic ſpiritualiter eſt de locis prædictis:quia in primo eſt maxima purgatorij pœna, ibi eſt dæmonum tactus,& ibi per ſimilitudinẽ apparent venenoſi vermes & ſimilitudo animalium valde ferociũ:ibi calor & frigus,tenebrę atque confuſio.Deinde magiſter (id eſt,diuina iuſtitia) profert aurũ id eſt,animas)in aliũ locum, in quo non eſt niſi defectus virium, vbi animæ morabuntur tam diu,quouſque habeant refrigerium per ſuffragia amicorum ſuorũ aut de continuis ſanctæ Eccleſiæ operibus

bus.Nam anima quò maius habet auxilium, eò citius conualeſcit ac liberatur. Poſt hæc anima fertur in tertium locũ, vbi non eſt pœna, niſi deſiderium perueniendi ad Dei præſentiam: & eius viſionem beatam. In hoc loco morantur multi & nimis diu, præter illos qui dum in mundo vixerunt, perfectum habuerunt deſiderium perueniendi ad Dei beatificam viſionem. Alibi quoque quædã his conſonantia aſſerit Brigitta ſancta. Poſſent etiam ad hæc aliæ quædam perſuaſiones adduci. Nam cùm diuinus Dionyſius proteſtetur, quòd à diſtanti nõ itur in diſtans, niſi per medium, & tanta ſit in purgatorio pœna tam damni quàm ſenſus, apparentiam habere videtur, quòd à purgatorio non perueniatur ad paradiſum cæleſtem, niſi (vt dictum eſt) per terreſtrem, aut à loco in quo non eſt niſi pœna damni: Ambroſius etiam ſuper Lucam: Illuc, inquit, redeundùm eſt nobis, vndè eiectus eſt Adam, & Gregorius: *Gene. 5.* Quoniam primus homo per vetiti eſum ligni perdidit paradiſum, illuc reduci non poſſumus, niſi per abſtinentiam ſalutarem. Denique in legenda ſanctæ Dorotheæ habetur, quemadmodum ipſa de paradiſo ſponſi ſui miſit Theophilo in *Ex hiſtoria ſancta Dorothea*

menſe

menſe Ianuarij tria mala & tres roſas, ſicque videtur terreſtris paradiſi ſpem habuiſſe ac docuiſſe. In legenda demum beatiſſimi Thomæ apoſt. narratur, quẽadmodum frater regis Indiæ reſuſcitatus à morte, perhibuit ſe ab angelis ductum in paradiſum, & ibi vidiſſe formoſum palatium ex auro, argento & gemmis conſtructum, & regem ſuo demerito perdidiſſe idipſum. Vnde videtur in paradiſo terreſtri eſſe quædam remuneratio hominum, cùm in cæleſti paradiſo non ſint palatia talia. FRA. Quid tibi de horum veritate videtur? DIO. Horum determinationem aliis magis committo, & ſi concordari hæc queant, peritis relinquo: quia nec tantis doctoribus, neque tot reuelationibus contradicere audeo. Determinationi autem Eccleſiæ hæc tutius committuntur. FRAT. Conuertamur ergo ad alia: & quia interdum iam tactum eſt quod in purgatorio exiſtentes transferuntur paulatim ad leuiora tormenta, non videtur quòd minima purgatorij pœna ſit maior omni vitæ præſentis ſupplicio.

Ex legenda ſancti Thomæ Apoſt. ſed hæc Abdiæ hiſtoria eſt apocrypha.

An minima purgatorij pœna ſit maior quacunque pœna vitæ præſentis

ARTICVLVS XXXII.

DIONYSIVS.

SIcut præhabitum eſt, S. Thomas & alij multi doctores affirmant, ꝙ minima pœna purgatorij, tam pœna damni, quàm pœna ſenſus, ſit acrior qualibet huius ſeculi pœna: quod etiam multi à morte reſuſcitati ſe eſſe expertos ſunt teſtati, imò multa horribiliora, & quaſi incredibilia inde locuti ſunt. Sed obuiare videtur, quod circa hoc ſcribit Bonauentura ſuper quartum Sentent. diſtinct. 20. Sanè, in;uiens, intelligendum eſt hoc, vt generaliter pœna illa ſit maior iſta, ſecundùm regulam illam philoſophi: Si optimum in vno genere eſt melius optimo alterius generis, & hoc ſimpliciter illo melius eſt: ſimiliter intelligēdum eſt hîc, quòd illa pœna ſit maior, non quia minima in illo genere ſit maior maxima in genere iſto, ſed quia maxima pœna in genere illo maior eſt maxima pœna generis huius, ſeu ſtatus ac vitæ præſentis. Nam vt ait B. Gregorius, quibuſdam eſt reuelatum quaſdā animas eſſe punitas in vmbra. Hæc Bonauentura. FRAT. Quid circa h c verius putas? DION. De incertis mihi, nihil diffinio, ſed quod Thomas fatetur, iuxta illorum poſitionem

videtur

videtur procedere, qui opinantur pœnã in purgatorio pro aliquo peccato inflictam à principio ſui vſque ad finem æquè intensè durare, quouſque ſatisfactum fuerit pro peccato. Porro poſitio Bonauenturæ videtur ſecundùm illos procedere, qui dicunt pœnam purgatorij tantò plus minui, quanto ſatisfactio magis propinquat ad ſufficientiam, ſeu quãtò purgatio pro maiori parte fuerit conſummata. Cui poſitioni reuelationes prætactæ magis concordant, ſicque exponi poſſet oſtenſio illa odoriferorum virentiúmque pratorum, quòd in eis adhuc reſtabat aliquid perſoluendũ de pœna damni, & quòd prata huiuſmodi ſignificabant amœnitatem paradiſi cæleſtis. Sancti autem qui inſinuare videtur quòd ad terreſtrem paradiſum, redeundum ſit nobis, vtũtur figura pro re figurata: quia ſub nomine paradiſi terreſtris cœleſtem intelligunt paradiſum, in quo eſt finalis & plena remuneratio electorum. Eſſet quoque hæreticum affirmare, quòd animæ non pertingant ad regnum illud cœleſte, completa omni pœna pro culpis inflicta, loquendo tam de pœna damni, quàm de pœna ſenſus. Nec aliquo modo negandum eſt, homines in hoc mundo

Pratorũ viſio quomodo intelligẽda.

tantæ poſſe perfectionis conſiſtere, vt ſine omni dilatione pertingant eorum animæ ad regnum cæleſte poſt receſſum à corpore,nec in viſionibus præallegatis alicubi hoc negatur , ſed magis aſſeritur. Inſuper, ad dubia quæ artic. 24. mouiſti circa ea,quæ de purgatorio leguntur Patritij , poteſt fortaſſis ſe aliquis breuiter expedire,dicendo cum Auguſtino , quòd in his quæ ſunt ſupra naturam,tota cauſa ſeu ratio facti aut operis eſt omnipotentia ac diſpoſitio Dei agẽtis , cuius virtute poterãt animæ defunctorum illi militi apparere,ſicut & dæmones in quibuſdam aſſumptis corporibus aut in quibuſdã præſtigiis:magis tamen videtur quòd in corporibus ad horam aſſumptis. Conformiter poterat miles iſte in ſpacio tam breui per tam longa itinera ferri, moueri,trahi,redire. Nã per aliqua loca à dæmonibus, quorum velox agilitas eſt,tractus deſcribitur , & diuina virtute atque angelica ope ſic rediit. Veruntamen non arbitror expedire ,talia immoderatè aut curioſè ſcrutari,ſed diuinam vereri iuſtitiam,& nunc taliter cõuerſari, quòd tãta euadamus ſupplicia. FRA. Quantũ in tam abdita arduaq; materia fieri poſſe videtur,ſatis diffusè & clarè iam reſpondiſti,

Purgatæ animæ ſine medio euolant.

In epiſt. ad Volut.

atque quam diro & ineffabili modo incorporei ſpiritus tã in purgatorio quàm inferno affligantur, elucidaſti, ita vt meritò debeam contentari. DIO. Adhuc ad hoc perſuadendum, duarum ſanctarum teſtimonia fœminarum inducam.

De acerbitate pœnarum purgatorij & inferni.

ARTICVLVS XXXIII.

DIONYSIVS.

Animæ damnatæ miſera facies.

QVarto libro cæleſtiũ reuelationum ſanctæ Brigittę recitatur, qualiter in viſione imaginaria vidit hæc Brigitta animam cuiuſdam defuncti ſtantem iuxta æſtuantiſſimum clibanum, & ignem incendij aſcendere vſque ad animæ caput, intantum quòd pori ſtabant ſicut venæ currentes cum igne ardẽte: aures verò videbantur quaſi ſufflatoria fuſorum, quæ totum cerebrum cum flatu continuo cõmouebant. Oculi autem euerſi videbantur & inuerſi & apparebãt ad occiput intus eſſe affixi, os quoque erat apertum, & lingua extracta per narium aperturas & dependebat ad labia dentes etiam erant quaſi claui ferrei per palatum affixi, brachia verò erant tam longa, quòd tendebant ad pedes, ſed & manus ambæ videbantur

bantur habere atque comprimere quamdam pinguedinem cum pice ardente. At verò cutis, quæ ſuper animam apparebat erat quaſi veſtis ſpermate circumiuſa: & erat tam frigida, quòd omnis qui eam videbat, cōtremuit: de qua etiam tam grauis & intolerabilis prodiit fœtor, quòd nullus fœtor in mundo hoc ei poſſit aſſimilari. Ecce incorporea anima illa in tam miſerabili & pœnoſa corporali effigie eſt oſtenſa, ad deſignandum quòd ipſa in ſe inuiſibiliter ſuſtinebat talem anguſtiam & preſſuram, tale incendium & tormentum. Hinc rurſus de alia anima ſeparata & rea ac purgatorio deputata loquitur Brigitta ſancta: Videbatur mihi quaſi quòd vinculum quoddā eſſet alligatum in capite animæ inſtar coronæ, & ſtringebatur tam fortiter, quòd frons & occiput pariter iungebantur: oculi verò deciderunt à ſedibus ſuis, depēdentes per radices ſuas ad genas, crines quoque quaſi igne combuſti aruerunt, & cerebrū rumpebatur defluēs per nares, & per aures lingua extendebatur, dentesque comprimebantur: oſſa etiā confringebantur in brachiis & contorquebantur vt funes. Porrò manus decoriatæ ligabantur ad collum, pectus verò, & venter tam fortiter dorſo

Anima purgandæ triſtis aſpectus.

coniungebantur, quòd coſtis confractis cor cum omnibus interioribus euerſum crepuit. Fœmora verò pendebant ad latera, oſſaque cõfracta extrahebantur eo modo, quo filum tenue ſolet in globum conglomerari. Ecce per omnia iſta imaginariè viſa ſignificabatur, quòd qualem pœnam haberet homo, ſi per poſſibile ſic violentaretur ac torqueretur in corpore, quo vniuerſa mẽbra eius ac inteſtina taliter diſſiparentur, talem, imò inenarrabiliter grauiorẽ in purgatorio pœnam ſuſtinet anima. Pręterea mirabilis illa Chriſtina, cuius legendam conſcripſit doctus vir ſuffraganeus epiſcopus, qui & librum Apum compoſuit, illa in quã virtuoſa mirabiliſque Chriſtina, poſt primam ſuam à morte reſuſcitationẽ reducta ad corpus, interrogantibus quid ſibi poſt egreſſum de corpore cõtigerit, dixit: Statim vt defuncta ſum, ſuſceperunt animam meam Angeli lucis, & deduxerũt eam in locum tenebroſum ac horridum, animabuſque hominũ plenum. Tormenta quæ ibi vidi tanta tamque crudelia erãt, quòd nulla id lingua valet exprimere, & cogitante me quòd eſſet infernus, Angeli reſponderunt purgatorium eſſe. Inde duxerunt me ad pœnas inferni, & inde in paradiſum corã

Chriſtinæ mirabilis legendæ ſcriptor.

Domi

Domino maieſtatis qui cùm me hilariter accepiſſet, ſuper omnem modum gauiſa ſum, putans me ibi æternaliter cum Domino permanſuram. Qui ait ad me: Reuera dilectiſſima mea hîc mecũ eris, ſed duorum optionem nunc tibi propono, videlicet mecum manere vel reuerti ad corpus, & in eo pati pœnas ſatisfactorias pro ereptione animarum, quas in purgatorij pœnis vidiſti. Me autem ſine hæſitatione mox eligente reditionẽ ad corpus, iubentè Domino ſtatim reuixi. Prętereà, quàm veriſſima fuerit iſta mirandæ Chriſtinæ relatio, probant immaniſſima tormenta, quæ poſt reſuſcitationem ſponte ſuſtinuit, imò ſibiipſi inflixit. Intrauit enim frequenter ardentiſſimos clibanos pro panum decoctione paratos, in quibus tam vehemẽtiſſimè cruciabatur, vt præ anguſtia clamitaret, nec tamen in ea egrediente vlla apparuit læſio. Sæpe quoque in ignium incendia ſe proiecit, & in cacabos plenos bullientes intrauit vſque ad renes vel vbera, ac reliquis membris aquam bullientem propriis manibus ſuperfudit, & præ dolore clamauit velut parturiens: exiens tamen non habuit læſionem. Interdum etiam, imò multoties in aquas congelatas ſe præcipitauit, &

ſub glacie ſex diebus aut amplius morabatur. Quandoque inter ſuſpenſos ad patibulum ſe ſuſpendit, & biduo manſit ſuſpenſa, deinde illæſa deſcendit & mortuorum intrauit ſepulchra, deflens ibi hominum vitia. Tēpore quoque hyemali conſueuit ſub rotis molendinorum ſtare erecta, ita quòd aqua corruebat ſuper caput eius & membra, ceciditque interdum ſuper rotarum circuitum & tamen rediens fuit illæſa. FRATER. Nūquid & tu qui naturalis rationis viges acumine, atque in Philoſophicis es eruditus ſcientiis, credis hæc vera eſſe? DIONYS. Male & nimis male naturali viget acumine atque ſcientia acquiſita, qui ex hoc ea quæ fidei ſunt ſeu fidei digna narratione inueniuntur, ſuo præſumit ingenio menſurare, diiudicare & coarctare. Denique, quę præfatus auctor legendæ Chriſtinæ mirabilis de ea conſcribit, & iam partim commemorata ſunt, probat idem deſcriptor teſtimonio reuerendi patris Iacobi Aconēſis Epiſcopi, poſteà Cardinalis, qui ſe eam & eius mirabilia vidiſſe teſtatur, imò & alia multa prætactis mirabiliora narrant de ea. Ego quoque in loco quo fuit ſepulta, fui frequēter: & dum in pueritia in oppido ſancti Trudonis frequentaui,

Fidei acumen ingenij non debet repugnare.

taui,ſcholares ex relatu ſuorum parẽtum ſępe loquebantur de ea. FRATER. Quia iam de particulari iudicio ſingulorum & pœnis purgatorij ac inferni ac pũctis hæc concernentibus tam diligenter & plenè locutus es,precor vt in fine huius dialogi aliqua ſcribas, qualiter debeamus nos quotidie ad mortem & ad mite iudicium Dei diſpònere, ne incidamus in rigorem diuinæ iuſtitiæ:de tentationibus quoque quæ ſolent agonizãtibus magis eſſe moleſtæ,& de remediis contra eas, & qualiter muniẽdus ſit agon & exitus morientis. DIONYS. Pia, fructuoſa ac ſapientialis petitio: ad cuius impletionem vtinam eſſem idoneus. Attamen te orante pro me, tentabo pro viribus adimplere quod poſtulas.

De præparatione quotidiana ad mortem, & ad mite iudicium.

ARTICVLVS XXXIIII.

DIONYSIVS.

QVemadmodum tota vita ſacerdotis timorati cupientis celebrare deuotè, debet eſſe continua præparatio inceſſabilisque diſpoſitio ad celebrandum cõdignè,ita vt diligẽtiſſimè vitet quicquid impedimentum eſt celebrationis deuotæ

Miſſam celebrantium ſacerdotũ qualis eſſe debeat vita.

ac feruidæ : & quicquid ad eam diſponit ac confert, viriliter apprehendat & exequatur, ita tamen vt hora celebrationis inſtante, per ſpecialia & peculiaria quædam exercitia deuotionalia orationum, meditationum, pſalmodiarum, cōtritionis, confeſſionis & ſatisfactionis ad inſtantem celebrationem ſe præparet : ſic tota cōuerſatio cuiuſlibet Chriſtiani Deū timentis ac mori ſalubriter cupientis, debet eſſe vna iugis præparatio ad mortem & ad particulare iudicium Dei, ita nihilominus, vt graui ſeu lethali ægritudine incūbens ipſe infirmus per exercitia apta ac ſpecialia, per ſuæ conſcientiæ diligentiſſimam diſcuſſionem, per plenam contritionem & integram confeſſionem per profundiſſimam ſui cordis coram Deo proſtrationem, per orationes ardētes per meditationes de paſſione dominica, de imminenti ſibi diuino iudicio, de ſuppliciis impiorum & gaudiis electorum, per grande & integrale totius emendationis propoſitum, per Euchariſtiæ affectuoſam ſuſceptionem, atque per ſacram vnctionem præparet ſe ad mortem & ad occurrendum iudici metuendo. Itaque optima & verè tutiſſima ad mortem diſpoſitio eſt, tempore ſanitatis & iuuentutis taliter Deo

Chriſtiani vita omnis iugis eſſe debet ad mortem præparatio.

Optima ad mortē diſpoſitio.

Deo ſeruire & ita ſe coram ipſo in cunctis habere, vt in extrema, ſumma & periculoſiſſima illa neceſſitate mereatur homo non derelinqui, ſed adiuuari, conſeruari ac ſaluari à Domino, quemadmodum & pſalmiſta orauit: *Cùm deficiet virtus mea, ne derelinquas me.* Porrò ſi quis ità non egit, non tamen in extremis deſperet, imò tunc ſaltem per confeſſionem & alia iam prætacta, ad ſalubrem exitum ſe diſponat. Sed inæſtimabiliter periculoſum tam diu differre, quemadmodum quarto libro magiſter Sententiarum ex verbis comprobat Auguſtini, dicentis: Si quis poſitus in vltima neceſſitate voluerit accipere pœnitentiam & accepit, ſicque decedit, fateor vobis, non illi negamus quod petit, puta viaticum aut pœnitentiam, ſed nõ præſumimus, quòd bene hinc exeat. Nunquid dico damnabitur? ſed nec dico quòd liberabitur. Si ergo vis à dubio atque periculo liberari, age pœnitentiam dum ſanus es. Si ſic agis dico tibi quòd ſecurus es, quoniam pœnitentiam tunc egiſti, quando peccare potuiſti. Si vis pœnitentiam agere quando iam peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa. Nullus ergo expectet quouſque peccare non poteſt. Arbi-

Pſal. 70.

Periculoſa melioris vitæ procraſtinatio.

Pœnitenda agenda tempore ſanitatis.

trij enim Dominus quærit libertatem, vt delere poſſit commiſſa, nõ neceſſitatem: caritatem, non tantùm timorem, quia non in ſolo timore viuit homo. Quem igitur ſerò pœnitet, oportet non ſolùm timere iudicem, ſed etiam diligere, quoniam ſine caritate nemo poteſt ſaluus eſſe. Non itaque tantùm timeat pœnam, qui pœnitet, ſed anxietur pro caritate & gratia. Sed quoniam vix vel rara eſt in fine tam iuſta conuerſio, timendum eſt de pœnitente ſerò. Attamen quoniam Deus ſemper potens & pius eſt, ſemper etiam in morte poteſt iuuare, ſed quoniam multa ſunt quæ tunc impediunt & languentem retrahunt, periculoſiſſimum eſt interituique vicinum, vſque ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. Hinc iterum loquitur Auguſtinus: Plane aut non aut vix inuenio te mortis tempore aliquam poſſe pœnitentiam facere. Tunc namque omnes potentiæ & virtutes ſunt occupatæ vehementia mortis, & deſtituta ſunt omnia libertate. Hinc quoque Hieronymus. Qui dum ſanus & iuuenis eſt. Deum offendere non veretur, in morte indulgentiam non meretur. O chariſſimi filij, qualis eſt pœnitentia illa quã tũc & idcirco quis accipit, quando & quia ſe

Sine caritate nemo poteſt ſaluus eſſe.

diutius

diutius non poſſe viuere cernit? Hinc etiam ait Beatus Bonauentura, quòd anima in extremis ita intẽta eſt dolori mortis & ægritudinis, quòd vix poteſt redire ad ſe. In horologio quoque æternæ ſapientiæ, in perſona improuisè ac indiſpoſitè morientis ſic dicitur: Quomodo poſſum me modò conuertere? & qualiter nunc valeo veraciter pœnitere? Nónne vides anguſtias mortis me prementes? Ecce timore & horrore tam vehementer perterritus ſum, ſic alligat⁹ ſum vinculis mortis & anxietatibus nimiis premor, vt quid agendum ſit non videam. FRATER. De horum veritate non ambigo: at vt cerno, non tantum ſæcularibus prauè viuentibus, ſed religioſis quoque ſe negligenter habentibus grande inſtat periculum: quoniam ſicut homo ſe habet circa Deum, dum ſanus & fortis eſt, ſic Deus ſe habet circa illum, dum lethali ægritudine contabeſcit. Sed cùm naturale ſit homini libenter gaudere, recreationem amare, faciliterque reſolui in riſum, & triſtia fugere, per quæ omnia ſolet ſaluberrima & intenta mortis conſideratio tolli à corde, & mentis cõpunctio diſſipari, imò & præ ara ad mortem præparatio impediri, precor te oſtende mihi

mihi talem de morte ac moriente imaginationem, vt per eam poſſim abiicere omnem cordis diſſolutionem, inanem lætitiam, vanitates, iocos ac riſus.

Qualem debeat homo imaginationem de morte ac moriente ſuo cordi imprimere atque aſſiduè diligenter reuoluere.

ARTICVLVS XXXV. DIONY.

SIcut is, qui vult de paſſione & morte Domini noſtri IESV CHRISTI fructuosè & optimè cogitare, ita debet imaginari, ac ſi iam ipſo cernẽte CHRISTVS comprehendatur, cõſpuatur & omnia illa ſuſtineat, quæ eum euangelica hiſtoria pertuliſſe teſtatur, hoc eſt, quaſi propriis corporalibus oculis videat innocentiſſimum ac manſuetiſſimum filium Dei nudari, alligari columnæ, & atrociſſimè flagellari, ſpinis coronari, cruci affigi, diris clauis per ſacratiſſimos pedes, & manus tenerrimas transforari, atque violentiſſimè in cruce diſtendi, & in tam vehementiſſimo dolore ibi pendêre: ita qui cupit compunctam, & ſaluberrimam mortis conſiderationem aſſumere, imprimat cordi ſuo qualiter qui infirmatur vſque ad mortis extremum perducatur articulum, & quaſi præſentialiter videat aliquem morientem. Imaginare ergo, & corde

Diſpoſitio morientis.

corde recollecto diligentiſſimè cogita, qualiter homo dum morti propinquat, iacet in lecto miſerabilis, viribus deſtitutus, relicturus omnia quæ in hoc mundo habuit & malè amauit, & aliud ſæculum ingreſſurus, moxque metuendiſſimo iudici præſentandus, & ſeipſum amplius iuuare non valens, qui paulo ante tam fortis & agilis, tam iucũdus, liber ac imperterritus videbatur. Perpende qualiter tunc frons obduretur, corpus rigeſcat, & cadant capilli labiáque palleſcant & oculi errent, ac euertantur, manus nigreſcant, vultus palleſcat, pulſus caprizet, habitúſque deficiat, & amariſſimæ mortis puncturæ interiora circundent, & ipſum cor premãt ac penetrent, mox quoque adſit ſudor mortis naturam eſſe victam demonſtrans, ac membra pertranſiens. Tunc certè commouẽtur cuſtodes domus, & nutãt viri fortiſſimi, & otioſè exiſtunt molẽtes & tenebreſcunt videntes per foramina. Tunc rumpitur funis argenteus, & recurrit aurea vitta, atque conſternitur hydria ſuper fontem ac rota cõfringitur ſuper ciſternam: quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ, *reuertetũrque puluis in terram, & redibit ſpiritus ad Deum qui dedit illum.* Eccleſ. 12. Cúmque naturalia

ralia iſta ſint ita pœnoſa, tamen aliunde inſtant grauiora & magis horrenda, videlicet tæterrimi & laruales dæmonum vultus, acerbiſſimæ etiam impugnationes eorum, & metuendiſſimum Dei iudicium. Intuere quibus & qualibus anguſtiis, doloribus atque terroribus miſera anima concutiatur, dum exterioribus ſenſibus à ſuo actu ceſsātibus ad ſeipſam reuertitur, & vniuerſa ſua peccata ſubitò ac clariſſimè intuetur, imminentes ſibi maligniſſimos ac procaciſſimos ſpiritus cernit, & ſuper omnia pauēdum præſtolatur iudiciū. Inſuper ipſa mors ineffabiliter eſt amara intantum, quòd quidā precibus S. Hiero. reſuſcitatus à mortuis dixit Cyrillo: Anima mea corpus reliquit tam grauiter & amarè, quòd certè quantæ fuerūt illæ anguſtiæ & preſſuræ, non caperet mens humana, niſi, vt ego, experientia didiciſſet. Si enim omnis hominum intelligentia vniuerſas, quas vellet, anguſtias & dolores excogitaret, omnia reputarentur pro nihilo, reſpectu diſſolutionis animæ à corpore. Si hanc morientis effigiem cum vniuerſis circūſtantiis nunc prætactis noſtræ memoriæ imprimeremus infirmiſſimæ, & recogitaremus aſſiduè ac profundè, puto quòd nec ridere,

Mortis amaritudo.

ridere, nec iocari, nec leuitatibus aut vanitatib⁹ locum tribuere delectaret. FRA. Verè ſalubris doctrina, ſuauiſſimúmque conſilium, atque (vt puto) iſtud eſt ſcire mori, & vera ars moriendi. DIO. Scire mori, eſt adimplere id quod in Euangelio ait Saluator *Vigilate omni tempore orantes, quia neſcitis diem neque horam.* Hoc eſt dignè *Deo conuerſari*, iuxta exigẽtiam propriæ vocationis aut profeſſionis, *& cum metu, timore ac tremore propriã operari ſalutem*, ſicque paratum eſſe ad mortem, quod eſt omni die ita ſe coram Deo habere, ac ſi in eo tollendi eſſemus de vita præſenti. FRA. Vt video hucuſque nimis negligens fui, ac diſſolutus. DIO. Bonum eſt ſeipſum humiliter accuſare, ſupereſt vt nos pariter & efficaciter emẽdemus. FRATER. Reſtat, vt de tentationibus quæ morituris & agonizantibus ſolent contingere, & de remediis contra eas, loquaris.

Mar. 13. *Ephes. 4.* *Philip. 2.*

De tentationibus quæ agentibus in extremis accidere ſolent, & de remediis contra eas.

ARTIC. XXXVI. DION.

IN Apocalypſi legitur, quòd *aſcenderit diabolus de abyſſo, habentis iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet.* quod ad literam à multis exponitur de principe tenebrarum & eius impugnationibus, quibus,

Apoc. 12.

quibus,inſtante tempore generalis iudicij & termino mundi,inuaſurus & tentaturus eſt genus humanum,tantò inuidioſius,acrius, ac multiplicius ,quantò breuius tẽpus tentandi ſibi ſciet eſſe reſiduũ. Quemadmodum ergo tunc tam rabidiſſimè aduerſus genus conſurget humanũ, ita(vt creditur) dæmones tantò grauius tentant eos,qui lethali infirmitate laborant,quantò certius vident ſibi modicum temporis ſupereſſe , quo ſuis tentationibus poterunt illos ad auerſionem à Deo, & ad damnationis barathrum trahere. Verumtamen tunc quoque locum habet
1. *Cor.*10. quod ait Apoſtolus : *Fidelis Deus , qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis.* Denique angeli ſancti in hora tam extremę & ſummæ neceſſitatis non minus ſolliciti ſunt ad ſubueniendum, quàm angeli tenebrarum ad ſeducendum. Prætereà,
Ambroſ. ſicut ſanctus docet Ambroſius: Callidiſſimi ac impiiſſimi dęmones tẽporę mortis , ſpecialiter enitũtur hominem à fidei veritate auertere,& alicui periculoſo errori doctrinæ eccleſiæ contrario implicare : quoniam fides eſt totius ſpiritualis ædificij fundamentum,& radix merendi ac oculus mentis. Prima ergo morientium impugnatio ſolet eſſe de fide , qui

tunc

tunc ſacramentum accipiunt Euchariſtiæ,in quo ſola fides præcipuè habet locum.Huic maledictę tentationi non poteſt homo, nec in vita, neque in morte melius ſalubriúſque reſiſtere,quàm eam tamquam diabolicum quoddam ſuſurrium penitus contemnendo & irridendo, imo nec aduertendo, atque ſimpliciter intra ſe cogitando: Ego firmiſſimè credo ſicut ſancti Apoſtoli,innumerabiléſque martyres infiniti & glorioſiſſimi confeſſores, ac virgines ſanctæ, & vniuerſalis Eccleſiæ Dei ſancti crediderunt & docuerunt: quorum fidem & doctrinam Deus omnipotens, neminem fallens, per innumerabilia miracula ſibi ſoli poſſibilia confirmauit,& de quorum ſanctiſſima vita nullus poteſt ambigere, qui omnes per fidem hanc Deo placuerunt, quos & Deus fidelis ac verus mirificauit tam in vita eorum,quàm in morte, atque poſt mortem.

Impugnatur homo proximus morti primo de fide.

Secunda tentatio, qua impiiſſimi ſpiritus ſolent in extremis aliquos impugnare, eſt de impietate blaſphemiæ, & vt turpe ac indecens cogitent aliquid de Deo,aut ſanctis eius,qua tentatione vehementiſſimè inuaſerunt ſanctum Euſebium, Hieronymi glorioſi diſcipulum, à

Tentatio ſecũda de blaſphemia.

qua tentatione debet ſe homo omnino auertere, & intra ſe dicere: Ego ſum certus, quòd Deus eſt ſummè & infinitè bonus, perfectus & ſuperlaudabilis, & omnes ſancti eius omni virtute repleti ſunt. Tu autem diabole omni malitia, falſitate, inuidia, vituperabilitate es plenus. Ideo ex hoc ipſo quòd tu ſuggeris mihi iſta, ſcio, quòd falſa & praua ac peſſima ſint. Abſit à me in æternum vt de Deo & ſanctis eius indignum quid ſentiam.

Tentatio tertia de deſperatione. Tertia tentatio eſt de deſperatione, nempe vt ſanctus vir Climachus ſcribit: Dum homo eſt ſanus, perſuadet ei diabolus, quòd Deus verè & infinitè miſericors eſt, & pœnitētiam hominis etiam in fine vitæ acceptet: idcirco interim non eſſe tam grāde vt fertur, periculum. Sed hora mortis iam imminente, ſuggerit homini Deum inflexibilem ac prorſus iuſtiſſimum eſſe, nullúmque peccatum manere inultum, & pœnitentiam ex timore prodeuntem eſſe inutilem. Tunc quoque reducit infirmo ad memoriam vniuerſa peccata quę fecit, & quanta bona omiſit, & ea vehementer exaggerat: & præſertim quæ homo confeſſus non eſt: ſicque multos ad deſperationis per-

trahit

trahit laqueũ,quos antè ad prę́ſumptionem,ſecuritatem,negligẽtiamq́ue induxit. Hæc tentatio multos in hora illa tam grauiter vexat, ſicut & quidam à morte reſuſcitati teſtati ſunt,quòd abſque ſpeciali & gratioſo Deí auxilio nequeat ſuperari. Contra quam optimum eſt remedium,vt homo intra ſe dicat: Certus ſum quòd deſperatio maximè diſpliceat Deo, & quòd infinitã Dei bonitatẽ, pietatem ac veritatẽ grauius non poſſim inhonorare atque offendere, quàm deſperãdo de ea. Abſit vt putem maiorem eſſe meam prauitatem,quàm Dei bonitatem aut meã impietatem,quàm altiſſimi pietatem. Ipſe quoque qui mentiri non poteſt, nec fallere, omni verè pœnitenti,& in ſe ſperanti, ipſumque inuocanti,miſericordiam indulgentiámque ſpopondit. Incomprehenſibilis, omnipotens,& immẽſa eſt bonitas eius ac pietas, quæ omnem meam iniquitatem infinitè excedit. Non igitur deſperabo de Deo creatore ac Saluatore meo,*ſed in ipſo,etiam ſi occiderit me ſperabo. In Deo,ſalutare meum,& gloria mea. Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt.*

Remediũ.

Iob.13.

Pſal.61.

Tentatio quarta. Spiritualis ſuperbia.

Quarta eſt de nimia ſecuritate ſeu gloria vana,aut ſuiipſius,complacentia periculoſa ac ſtulta,quia vt inſtruit Caſſian⁹,

dum impius ille tentator hominem ad deſperationem, puſillanimitatem aut diffidētiam ſuperfluúmve timorem non poteſt allicere, conatur eum ad periculoſam ſecuritatem, complacentiam falſam, aut gloriā inanem perducere per- ſuadendo eidem: Euge,euge,quàm bene te habuiſti, quàm prudenter te præparaſti ad mortem, quantum habes Deo regratiari, quàm ſecurè hinc exies,quanta tibi iam reſtat fœlicitas. Contra tentationem iſtam peſtiferam, remedium eſt ſapientiale & prorſus ſalubre, vt homo

Eccleſ. 9. intra ſe dicat: *Neſcit homo an amore ſit di-*
1.Cor.4. *gnus an odio.* Et: *Quid habes quòd non accepi-*
1.Cor.11. *ſti?* Et item: *Qui gloriatur, in domino glorie-*
2. Cor.10 *tur*, & quia alia ſunt iudicia Dei, & alia
Luca 18. hominum, & quòd Phariſæus qui iuſtificauit & magnū reputauit ſeipſum, fuit deſuper reprobatus. Verumtamen aliqui virtuoſi ex inſpiratione & conſolatione, ſpecialíque gratia Spiritus ſancti ſolent in extremis gaudere in domino,& mortem tamquam amicam imperterrito animo præſtolari, atquo hilariter acceptare. Porrò ſecurius eſt inter timorem & ſpem mori, hinc ex diuina miſericordia confidendo, hinc ex propria culpa & inſufficientia metuendo.

Quinta

Quinta tentatio eſt de impatiẽtia, quæ ſolet accidere eis, qui longa & graui ægritudine conſumuntur. Contra quã verum extat remedium, vt intra ſe penſent ac recognoſcant huiuſmodi ægritudinẽ, eſſe ſignum diuinæ dilectionis & viſitationem Dei paternam atq; culparũ purgationẽ, redemptionem quoque, & euaſionem maiorum ſuppliciorum, quæ hãc vitam ſequũtur: & occaſionẽ, imò & præparationem ad gratiam ampliorẽ, & ad protectionẽ diuinam. Conſideratio quoque dominicæ paſſionis intẽta, valet ad reprimendum impatientiam iſtam. *Tenta. 5. de impatientia. Remediũ.*

Sexta tentatio eſt, ſtulta ſpes euadendi infirmitatem ac viuendi diutius, ex qua ſequitur dilatio confeſſionis, & impræparatio mortis. Contra quam remedium eſt, partẽ eligere tutiorem, nec vanis ſpebus præbere auditum, neque periculo ſeipſum committere, nec conſolatores carnales aduertere. *Tenta. 6. melioris ſalutis præſumptio.*

Septima eſt immoderata occupatio circa rem familiarem, & ſobolẽ ac propinquos, & circa terrena, quæ relinquere mox oportet: de quibus debet ſe homo expedire, & rebus rite diſpoſitis, atque præſentibus ſalubriter admonitis & inſtructis ſe totum ad Deum conuertere, *Tenta. 7. circa temporalia cura ſuperuacua.*

& quæ ſuam concernunt ſalutem penſare. FRATER. Placent hæc dicta, & bonum eſt recognoſcere ea, quia vt fertur, iacula præuiſa minus percutiunt, quemadmodum etiam ait ſcriptura: *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Idcirco peropto vt plenius exequaris de iſta materia, qualiter imminente iam morte aſsiſtendum ſit migraturo, & qualiter ipſe habere ſe debeat.

Prou. 1.

Qualiter aſsiſtendum ſit mox morituris, & quomodo ipſi debeant ſe habere.

ARTICVLVS XXXVII.

DIONYSIVS.

HOra tantæ neceſsitatis ac periculoſitatis inſtante, debet vnuſquiſque fidelis caritatem ſuam ad proximū migraturum, tantò feruentius abundantiusq; monſtrare, quantò tunc maior eſt indigentia & præſertim omnis prælatus, ſeu eius vicarius ad ſibi commiſſos, ne ex negligentia ſua ouis ſibi credita ab infernalibus illis lupis crudeliſsimisq; prædonibus, & procaciſsimis, ac fallaciſsimis hoſtibus deuoretur, decipiatur, ac omnium creatori ſaluatorique animarum æternaliter auferatur. Paſtor ergo & cuſtos ac medicus animarū tunc præcipuè curet

Prælatorū cura, circa morituros ſibi creditos.

Hebr. 11.

curet adeſſe migraturo, pro quo & ipſe coram Deo rationem reddere obligatur. Quòd ſi perſonaliter adeſſe conuenienter nequiuerit, cum diligentia ſumma diſponat, vt deuotæ & religioſæ, & prudentes perſonæ aſsiſtant illi quouſq; exhalauerit ſpiritum. Prouidēdum eſt quoque vt ſancta crux tunc ante morientis oculos collocetur, & aqua benedicta ſuper ipſum & vndique circa lectulū eius ſæpius aſpergatur. Inſuper aliqua perſona ad hoc magis idonea ſedeat aſsiduè iuxta ęgrum mox deceſſurum, & eum diligenter & opportunè, feruenter & deuotè exhortetur de neceſſariis ac pertinentibus ad ſalutē, quādiu capax eſſe videtur: ſpecialiter verò admoneatur, vt nulli diabolicæ ſuggeſtioni, nulli mortiferæ tētationi præſtet cōſenſū: imò omnibus illis viriliter reluctetur, in infinita Dei miſericordia confidendo, ac viſcera pietatis diuinæ humiliter inuocādo: & ſi aſsidens deprehendere poterit, qua tētatione moriens impugnetur, debet eū ſpecialiter cōtra illā tentationē armare cōmemorādo ei congrua contra illā remedia. Vniuerſi demum qui adſunt, debent pro eius defenſione, cōductione & ſalute indeſinenter cum omni cōpunctione &

feruore orare excluſo omni carnali & inordinato amore, omniq́ue impertinēti occupatione. Admonendus eſt etiam æger, vt Chriſti paſſionē attendat, & Chriſtum pro ſe paſſum mentaliter amplectatur atque pro vniuerſis beneficiis ſuis ei pro poſſe regratietur. Prouidendū eſt item, vt aliquis paſſionem Chriſti tunc legat, & ſymbolum fidei alta voce legatur, ac ſæpius repetatur, præſertim obitu ægri iam de proximo imminente, ſed & ſeptem Pſalmi cum Litaniis, cum ingēti deuotione legēdi ſunt. At verò de interrogationibus quæ proponendæ ſunt ægris ſpiritualibus ſecularibúſve perſonis, Anſelmus & Cancellarius Pariſienſis, aliique ſatis cōſcribunt, & vt videtur, ſufficit vt breuiter à migraturo quæratur: Tu credis quicquid ſacra ſcriptura & ſancta mater eccleſia docent eſſe credēdum? Quo reſpondente, quòd imò, quæratur: Tu doles quòd Dominum Deum tuum vnquam offendiſti: & velles quòd magis inde doleres ex vera caritate & zelo iuſtitiæ, non ex ſolo ſeruili timore? Quo reſpondente ꝙ imò, quæratur: Tu petis tibi de omnibus tuis peccatis ab infinita Dei miſericordia miſericordiſſimè indulgeri? Quo reſpondēte, ꝙ imò, quæratur:

Interrogationes ægris proponendæ.

ratur: Tu habes propoſitũ integrum nũquam peccandi de cætero, & ſeruiendi Deo perpetuè, ſi contigerit te ſanari? Quo reſpondente, quòd imo, addatur: Tu in hac hora commendas animam tuam tuo benigniſſimo ac fideliſſimo creatori, & numquam vis ſeparari ab eo, merito paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti optas ſaluari, atq; à glorioſiſſima virgine Maria, & à ſancto Angelo tuo, & ab omnibus ſanctis Dei poſtulas in hoc tempore & in omni hac tua neceſſitate iuuari, & in omnium horum, de quibus te interrogaui affectione ac fide cupis ſeparari à corpore, ac ſummo iudici præſentari? Quo reſpondente, ꝙ imo, perſona interrogans dicat, Et ego & omnes, qui adſumus, commendamus te infinitæ miſericordiæ Dei tui, vt ipſe te defendere & ſaluare dignetur, & meritis domini noſtri Ieſu Chriſti vt tibi ſuccurrant, & tuũ ſuppleant imperfectũ, ac precibus beatiſſimæ genitricis Dei virginis Mariæ, omniumque ſanctorum, & ſancti angeli tui, vt te circundent, & inceſſanter finalitérque conſeruent.

Quorum admonendus ſit æger.

Præterea ipſe æger ſatis tẽpeſtiuè eſt admonendus, præſertim à ſuo ſuperiori, quatenus dũ adhuc bene cõpos eſt men-

tis,plenè & integrè confiteatur, & omni vana ſpe conualeſcentiæ ſpreta, omnia ſua diſponat, cunctis indulgeat, ſibi ab omnibus indulgeri precetur,ablata & cũcta bona iniuſtè adepta, ſeu habita reddat,& debita ſua perſoluat,& pro ſua ſubuentione largiatur Eccleſiæ & egenis pro poſſe.Inſtruẽdus eſt quoque, ꝙ confeſſio ex ſolo timore ſeruili facta nõ proficiat ad ſalutem, ideo de vniuerſis peccatis ſuis ſtudeat pœnitere, ac confiteri ex caritate,& zelo iuſtitiæ inquantũ fuerunt diſplicentia Deo & offenſiua,ac inhonoratiua ſanctitatis ac maieſtatis diuinæ,quibus peractis, cũ omni poſſe ſuo mentem ſuam conuertat ad Dominum, eius miſericordiam inuocando, eius pietati & gratię ſe recommendando,diuinæ liberalitati ac beneficẽtiæ grates præcordiales agendo, diuinæ voluntati ſuã humiliter voluntatem conformando atq; ſubdendo, diuinæ quoque æquitatis rigorẽ ſapienter timendo. In ſola Dei pietate & gratia confidendo, & omne bonũ ac meritum Deo plenè & integre aſcribendo. Inſuper recolendo acerbiſſimam paſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & cætera beneficia eius, & omnem caritatem ipſius ad homines, inuocando quoque

que ex corde virginē glorioſam & ſanctos,eos præſertim, ad quos maiorē habet deuotionem & ſanctum angelum ſuum,& patientiam conſeruando in omnibus: omni itē prauæ ſuggeſtioni prorſus diſſentiendo,ac ſummè curando,vt in pura ac feruente affectione ad Deum,ſeu in ſyncera conuerſione ad ipſum recedat à corpore,certus quòd in tali conuerſione, ſeu auerſione æternaliter permanebit,in qua à corpore ſuo receſſerit. FRAT. Quia hæc omnia Catholicè & ſaluberrimè deſcripſiſti,reſtat vt aliquas oratiões fueruentes,à migraturo ſi poterit,alias à præſentibus proferendas,cōſcribere nūc digneris:quo facto,te ad alia feſtinātem de hac materia ampli⁹ fatigare nō volo.

Qui potiſſimum ſācti tempore agonis ſint inuocandi.

Orationes à migraturo dicendæ, vel ab his qui affuerint ei.

ARTICVLVS XXXVIII.

DIONYSIVS.

Diuerſis hominibus, diuerſæ orationes conueniunt. Porrò inter omnes orationes ſentētioſiſſima, excellētiſſima ac cōmuniſſima eſt oratio illa dominica quā dominus & ſaluator proprio ore edocuit dicēs: Sic orabitis, Pater noſter qui es in cælis. Hāc ergo orationē ſanctiſſimā tam infirmus, quam qui ei aſſiſtunt *Mat. 6.* *Luc. 6.*

poſſunt

poſſunt frequentius Deo offerre ac ite-rare. Vnde de ſancto Hugone Gratiano-politano epiſc. legitur, ꝙ in extremis la-borans, vna nocte trecentis vicibus ora-tionem iſtam dominicã deuotiſſimè ite-rauit. Aliquibus autem infirmis magis ſapiunt pſalmi, & eos libentius legunt, & faciunt coram ſe legi, quouſque ſpiritũ tradunt. Vnde & S. Auguſt. agens in ex-tremis, ſeptem pſalmos pœnitẽtiales fe-cit in pariete ſcribi, & oculis ſuis apponi, quos legens ac intuens fleuit vberrimè. Aliqui verò in quibuſdam pſalmorum verſiculis amplius delectantur, vt in illo:

Pſal. 25. *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum*
Pſal. 83. *habitationis gloriæ tuæ. Quam dilecta taberna-cula tua Domine virtutum, rex meus, & Deus*
Pſal. 41. *meus. Quemadmodum deſiderat ceruus ad fon-*
Pſal. 6. *tes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te*
& 37. & plur. ſeqnẽtibus. *Deus*, & in quibuſdam ſequentibus pſal-mi illius verſiculis, & iſti atque conſimi-les verſus magis deſeruiunt hominibus in caritate feruentibus ac perfectis. Sunt autem & alij verſus imperfectis & pœ-

Pſal. 6. nitentibus magis deſeruientes, videlicet: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in*
Pſal. 78. *ira tua corripias me. Domine ne memineris ini-quitatum noſtrarum antiquarum, citò anticipẽt nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus*

nimis

nimis,cum verſu & ſemiuerſu ſequẽtibus: *Mirifica miſericordias tuas,qui ſaluos facis ſpe rantes in te. Miſerere mei Deus,ſecundum ma-gnam miſericordiam tuam*, cum multis verſibus pſalmi illius:& multi cõſimiles verſus. Sunt inſuper alij deuotiſſimi verſus tam perfectis quàm imperfectis morientibus conuenientes, vt iſti & conſimiles verſus: *Illumina oculos meos, ne vnquam ob-dormiam in mortem, nequando dicat inimicus meus: praualui aduerſus eum. Ne derelinquas me Domine Deꝰ meus,ne diſceſſeris à me. Intẽde in adiutorium meum domine Deus ſalutis mea. A reſiſtentibus dextera tua cuſtodi me, vt pupillam oculi. Sub vmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum qui me afflixerũt. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum re-ctum innoua in viſceribus meis. Ne proiicias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Dirupiſti vincula mea,tibi ſacri-ficabo hoſtiam laudis, & nomen Domini in-uocabo. Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuũ, ſaluum me fac in miſericordia tua, Domine nõ confundar quoniam inuocaui te. Clamaui ad te domine,dixi, tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium. Educ de cuſtodia animam ad con-fitendum nomini tuo,me expectant iuſti donec retribuas mihi*. Prætereà verſus iſte digniſſimus à Chriſto in cruce prolatus: *In ma-nus*

Pſal. 16. Pſal. 50. Pſal. 12. Pſal. 49. Pſal. 16. Pſal. 50. Pſal. 115. Pſal. 30. Pſal. 141. Pſal. 30.

nus tuas domine commendo ſpiritum meum, eſt agonizanti ac morienti etiam, quamuis aduertere nequeat, ſæpiſſime ingerendus ac inſonandus, quoniā grandē & ſpecialē vim habet. Præfati itaque & conſimiles verſus à morituro ſunt proferendi, vel ſi eos proferre non valet ab aliquo ei præſente ſunt ipſo audiente pronuntiandi, & qui morientis diſpoſitioni magis cōueniūt, ſunt ei ſpecialiter proponēdi. Laicis quoq; in theutonico poſsūt proponi, poteſt etiā dici hic hymnus: *Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe, &c.*

De ſpecialibus orationibus tempore mortis.

ARTICVLVS XXXIX.

DIONYSIVS.

PRæter orationes prætactas poſſunt & aliæ orationes deuotæ ac feruidæ pro moriēte offerri, imo ab ipſo ſi valet proferri, modica mutatione facta in verbis.
2 Cor.1. Itaq; ad Deū patrē poteſt iſta dici oratio:
Ioan.5. O pater omnipotens & æterne, pater mi-
1. Ioan.4. ſericordiarū, & Deus totius conſolationis, tuam deprecamur bonitatem ſuper-
Baruch 3. piiſſimā & immenſam, per ineffabilem
Sapien.2. illā caritatē qua dilexiſti genus humanū, quando vnigenitum atque cariſſimum filium tuum miſiſti in hunc mundum

pro

pro noſtra redemptione, & ipſum ex ſa-
cratiſſima ac mundiſſima virgine Maria
voluiſti incarnari, & inter homines con-
uerſari, ac tandem acerbiſſimã, ac igno-
minioſiſſimam mortem ſubire: oſtẽde ô
domine in hac hora pietatis tuę abyſſum
& caritatis tuæ dulcedinem in hac tua
rationali creatura nunc mortaliter infir-
mante & ad te patrem ſpirituum redeũ-
te, oſtende ei ô clementiſſime ac ſuper-
glorioſiſſime Deus pater lucem miſera-
tionum tuarum. O Deus ſancte, fortis &
immortalis conforta mentem eius in te,
intellectum eius illumina, voluntatẽ eius
accende, & conſerua in te omnium vlti-
mato ac beatifico fine, ſummo & incom-
mutabili, infinito & incomparabili bono:
protege eum ô præſtantiſſimè pater ab
omni poteſtate aduerſaria, ab omni oc-
curſu contrario, à tentationibus vniuer-
ſis, non ſecundum peccata ſua facias ei,
ſed ſecundum tuæ benigniſſimæ bonita-
tis immenſitatem, ſecundum tuam cha-
ritatem affluentiſſimam & paternam, ſe-
cundum multitudinem miſerationũ tua-
rum ei nunc ô ſuperdulciſſime Deus pa-
ter miſerere, & indulgere, parcere ac a- *Pſal. 78.*
deſſe digneris, & ſuſcipe ſpiritum eius in
brachiis tuæ dilectionis per vnigenitum
tuum

tuum dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ,
per vniuerſa myſteria & beneficia eius,
per omnia quæ in ipſo pro noſtra ſalute
aſſumpſit, fecit, ac paſſus eſt, qui tecum
viuit & regnat in vnitate ſpiritus ſancti
Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amẽ.

Alia oratio ad Deum patrem.

Heſter 13. DOmine rex omnipotens, in cuius diſpoſitione atque imperio vniuerſa ſunt poſita, cuius voluntati nullus poteſt reſiſtere, qui iuxta tuam omnipotentem, ſanctam, ſuperſapientiſſimam atque liberrimam voluntatem facis, tam in virtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ, *cui nullus dicere poteſt, quare ſic facis? qui quibus vis místereris, & quos vis induras:* aperi oculos tuæ miſericordiſſimæ pietatis ſuper hanc tuam miſerabilem creaturam, viribus deſtitutam, in extrema neceſſitate ac ſummo periculo cõſtitutam, hoſtibus ſuæ ſalutis ac aduerſariis tui honoris, horribiliter ac malitiosè vndique circumuallatam. O pater altiſſime, ne memineris iniquitatum, quas ex humana fragilitate, aut ignorantia, aut alia quauis cauſa ſeu occaſione incidit aut cõmiſit. Attende ô benigniſſime ac ſuauiſſime pater, quàm prona ſit humana natura ad lapſum, quanta ſit eius infe-

Eccleſ. 8. *Exod. 33.* *Rom. 9.* *Pſal. 78.* *Gene. 8.*

ctio,quàm procliuis,ſit ex ſeipſa humana
conditio ad peccãdum. Quid ô ſuper ex- *Eccle.14*
cellentiſſimè pater, eſt genus corruptibi- *Dan.14.*
le, luteũ vas,carnale ac mortale figmen- *Exod.22*
tũ, vt ita amariceris de eo,& viſcera mi- *Iſaiæ 58.*
ſericordiæ tuæ ſuper illud contineas & permittas illud perire? Memento ô domine,quòd propter miſeros peccatores miſericors appelleris. Idcirco ô fons totius pietatis & gratiæ ob tuam infinitam potentiam conforta in te hanc tuam deficientem ac debilem creaturam, propter immenſam ſapientiam tuam,animã eius illuſtra propter tuam abyſſalem & interminabilem pietatem vniuerſis culpis eius ignoſce,propter omnẽ beatitudinẽ tuam prorſus illimitatã libera eam ab infernali miſeria,& ab omni calamitate eã circundante ac opprimente. Da ei ſanctiſsime pater cũ tanta cõtritione à corpore emigrare, vt benigniſsimè ſuſcipiatur à te per vnigenitũ tuum Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtũ, per preces & merita clementiſſimæ virginis, tibi ô pater æterne cõparentalis, per interceſsiones ac merita totius triumphãtis Eccleſiæ, & omniũ viatorũ tibi placentium,qui cum vnigenito tuo & adorando paracleto Spiritu vnus es verus,ſolus ac ſummus Deus.

Tertia ad Deum patrem oratio.

Ephe.13. O Deus & pater Domini noſtri Ieſu Chriſti à quo omnis paternitas in cęlo & in terra nominatur, cui proprium eſt miſereri ac parcere, à quo alienũ eſt iraſci, punire ac vindicare. Obſecramus te ô ſuperpiiſſime & ſuperdulciſſime pater, per communicationẽ illam adintra, qua totam deitatis tuæ plenitudinẽ communicas vnigenito filio tuo per generationem æternã, atque Spiritui ſancto, per diffuſionem æternam & immanẽtem: effunde ſuper hãc tuam creaturam pauperem & infirmã omni ſolatio deſtitutã, liberaliſſima dona gratiæ tuæ, præueni & cõuerte eam piiſſime, applica eam tibi ô
2.Tim.2. gratioſiſſime domine, fac eam ô glorio-
Pſal. 88. ſiſſime ac ſereniſſime Deus pater eſſe vas
Pſal.6. miſericordiæ tuæ immenſæ. Nihil proficiãt in ea aduerſarij humanę ſalutis, protege eã ſub vmbra tuæ omnipotentis virtutis. In tanta tentationũ & afflictionũ caligine animã eius irradia gratiarũ tuarum ſuauiſſima luce, & cõſolationũ tuarũ interna trãquillitate, periculũ eius in manibus eius eſt, & nunc in vnius horæ momento, aut æternæ damnationis ſententiam merebitur obtinere, aut in tua caritate & gratia decedendo, iudicium

ſalua

ſaluationis perpetuæ conſequetur. Ecce ô pater adorande & benedicte, qui à nobis pauperculis atque fragilibus creaturis ad omne malum proniſſimis, pater appellari dignaris, ecce quàm infinitũ periculũ miſericordiſſime, ergo ſuccurre ô clemẽtiſſime, ac fideliſſime pater, nec in hac periculoſiſſima hora auferas miſericordiã tuam ſaluificam à creatura hac agonizãte, ſed eam benigniſſime intuere, corrobora, ſalua, poſſide per vnigenitum tuum in caritate & pietate Spiritus ſancti, interuenientibus omnibus ſanctis tuis pro ea, ad laudem & gloriam nominis tui.

Oratio ad filium Dei prima.

OBſecramus te Domine Ieſu Chriſte per caritatis tuæ ardorem, quo teipſum pro noſtra redemptione tradidiſti in mortem, mortem autem crucis acerbiſſimam atque turpiſſimam, & per tui pretioſiſſimi pro nobis liberaliſſimè fuſi ſanguinis pretiũ, per tuæ quoque amariſſimæ paſſionis indeficientiſſimum ac copioſiſſimum meritum, atque per tuã dilectiſſimã matrem, & ſuæ maternæ cõpaſſionis acerbitatẽ aſſiſtentiamq; fideliſſimam, qua aſtitit tibi vſque ad tuã in cruce expirationẽ, mirifica pietatis tuę abyſſum in hoc tuo famulo aut famula à luce *Iſa.53.* *Philip.2.* *Ioan.19.*

vitæ præſentis,ad te omniũ iudicem metuendiſſimum pergẽte. Præpara animam eius ô domine ad occurrendum tibi ſalubriter:nequaquam ſine vera contritione, ac filiali ad te cõuerſione permittas eum ſeparari à corpore viſita & illuſtra mentem eius viſitatione tua ſecreta, piiſſima

Prou. 17. & paterna, qua in ictu oculi, in inſtanti

Iob 14. cõuertis atque iuſtificas impiũ, & de immundo efficis mundum. Mitte ei ô Domine & ſaluator auxilium gratiæ tuæ à throno gloriæ tuæ, & ea pietate, qua latroni ſerò pœnitẽti indulgentiſſime promiſiſti: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Etiã in iſto oſtende viſcera tuæ caritatis ac

Luc. 23. pietatis, & præcipe eũ ad tuã miſericordiam peruenire ſaluator mundi, rex gloriæ, princeps virtutum, iudex altiſſimè, qui cũ patre tuo æterno & ſuauiſſimo ſpiritu ſancto viuis & regnas Deus per omnia ſecula æternaliter benedictus. Amen.

Oratio ſecunda ad filium.

Pſal. 23. PRopter caritatem illam ſuper ardentiſſimam & immẽſam, qua tu ô vnigenite fili Dei, patrẽ tuum æternũ æternaliter diligis, atque ab eo infinito amore diligeris, animam huius moriẽtis tua caritate informa. Propter omnem ſuauitatem, amabilitatem, ac munificentiam Spiritus

Spirit⁹ ſancti chariſmata gratię tuæ in eo confirma, ô ſancte, iuſte & innocẽs agne Dei, qui propter nos ab hominibus diiudicari dignatus es, & quæ non rapuiſti exoluere voluiſti, eſto huic in exitu ſuo potius propitius aduocatus, quàm iudex ſeuerus. In tuis ſanctis ac profundis vul- *Iere.11.*
neribus abſconde eũ dulciſſime Domine *Ioan.1.*
Ieſu Chriſte, à cunctis hoſtiũ tentationi- *Iſa.53.*
bus atque inſidiis. Tu domine qui es via, *Pſal. 68.*
veritas & vita, ſine cuius ductu & gratia nemo venit ad patrẽ, per viam ſalutis duc eũ in ſplendore ſummæ veritatis ad vitã gloriæ æternalis, ea pietate immẽſa, qua reſpexiſti Petrũ dũ te ter negauit, & feci- *Ioan.14.*
ſti eũ ex vera contritione flere amarè, re- *Mat. 16.*
ſpice cor iſtius, & omnem obicem culpæ *Marc.14*
tolle ab eo, quatenus in ſancta cõtritione *Luc. 22.*
decedens à carne mortali, mereatur à te ſtola immortalitatis veſtiri, & te regem gloriæ in tuo decore beatificè cõtemplari. Qui cũ Deo patre & Spirituſãcto viuis & regnas per ſecula vniuerſa in cæleſti il- *Mat.26.*
la ſplendidiſſima ac amœniſsima patria, *Marc.14*
Amen. *Ioan. 13.*

Oratio tertia ad filium. *Luc. 22.*

DOmine Ieſu Chriſte vnigenite pa- *Mar.26.*
tris ſummi, ob tuam te obſecramus *Ioan. 18.*
digniſſimã incarnationem, ſanctiſſimam *Marc.14*

in hoc mundo conuerſationẽ atque pleniſſimam caritatẽ, quã omnibus nobis in cœna nouiſſima demõſtraſti, corpus tuũ puriſſimũ ac pretioſiſſimum ſanguinem tribuendo diſcipulis in eſcã & potum, &
Luc.23. per vehementẽ illam anxietatẽ, qua con-
Mat. 27. tremuiſti quando poſt trinã tuã orationẽ
Marc.4. fact⁹ eſt ſudor ex tenerrimo corpore tuo
Ioan. 18. erumpẽs ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram, atque per omnẽ manſuetudinem, humilitatem & patientiã, quas tẽpore paſſionis habuiſti, dũ à ſceleratiſſimis tranſgreſſoribus captus, ligatus, conſputus, irriſus, blaſphematus, & alapis cæſus fuiſti: per omnẽ quoque dolorẽ quem ſuſtinuiſti quãdo tam inhumaniter es flagellatus, ſpinis coronatus, propriis humeris crucẽ baiulans ductus, diris clauis cõfoſſus, & in crucis patibulo violentiſſimè es diſtentus & ipſam mortẽ perpeſſus: per omnem etiam compaſſionẽ, qua tibi tũc condoluerũt diſcipuli & amici tui aſtan-
Ioan. 16. tes, ſpecialiter ſanctus Ioãnes, & deuotæ
Mat. 27. fœminæ te ſecutæ, ſpecialiſſimè tua di-
Marc.15. lectiſſima genitrix virgo Maria: eſto in
Luc. 23. hora hac piiſſimus miſerator hui⁹ animæ
Ioan.9. à ſuæ carnis ergaſtulo recedẽtis, ad cuius deuorationem cõcurrerunt & aſtant tot lupi & dracones ac belluæ infernales, à

quorum

quorum rabie, importunitate atque fero-
cia eam eruere modò digneris, circumda
& imple eam lumine tuæ clementiæ, vir-
tute conſtantiæ, caritatis ardore, & omni
pietate ac gratia ei neceſſaria ad ſalutẽ.
O domine & ſaluator, rex, iudex ac legi- *Iſa.53.*
fer noſter, propter caritatem illam perfe-
ctam & ineffabilem pietatẽ, qua in cruce
pendens pro tuis crucifixoribus exoraſti,
indulge piiſſimè huic mox migraturo, &
nos pauperes ſeruulos tuos exaudi nunc
miſericordiſſime Domine deprecãtes pro
illo, vt Angelica ope protectus, tuo me- *Iſa.53.*
tuendo tribunali præſente ur ſaluandus, *Luc.23.*
ac clementer tractandus. Qui cum patre
& ſpiritu ſancto vnus es Deus æternali-
ter viuens, & omnium dominans.

Oratio prima ad Spiritum ſanctum.

ADorande paraclete Spiritus ſancte,
qui ex patre & filio æternaliter ma-
nas, cui bonitas, cõmunio, pietas, pax, dul
cedo, caritas, atque connexio appropriã-
tur, obſecramus tuam liberalitatẽ piiſſi-
mam & immẽſam per tuam æternam ex
patre & filio proceſſionem infunde nunc
radium tuæ propitiationis in animã iſtã,
vndique anguſtiatam, omnem maligno-
rũ ſpirituum falſitatẽ & obſcurationem
expelle ab ea: diffunde in eã diuitias gra-

tiæ tuæ, eamq; conforta & erige contra vniuerſam aciem vitiorũ, ac dęmonum: fac eam plenè cõtritam ad ſuum creatorem feruidè aſpirare, & ad fontem totius puritatis ac ſanctitatis purificatam venire. Ea largitate ac dignatione, qua in die
Act.2. Pentecoſtes in igneis linguis ſuper Chriſti diſcipulos deſcendiſti, & mẽtes eorum copioſiſſimè adimpleſti, ſplendidiſſimè illuſtraſti, & calidiſſimè inflammaſti, etiam nunc mentem animæ huius hinc abeuntis benigniſſimè imple, illumina, & accẽde, & ad te totius ſalutis, ac gratiæ fontalem originem digneris ſaluam perducere. Qui cũ patre & filio æternaliter viuis & regnas Deus verus omnipotens.

Oratio ſecunda ad ſpiritum ſanctum.

OBſecramus bonitatem tuam munificentiſſimam, atque dulciſsimam ô Spiritus ſancte, qui es laborantium ſubleuator, periclitantium liberator, errantiumq; reductor, vt propter mutuum illum ardentiſsimum & immenſum amorem, quo tu verus Deus, patrem æternũ & vnigenitum eius filium æternaliter &
Act.2. inuariabiliter amas, & ab eis amaris, oſtende nunc caritatẽ tuam in anima agonizantis iſtius. In hoc laborioſiſsimo eius conflictu gratioſiſsimè ſubleua eam, in

tanto

tanto conſtitutam periculo miſericordiſſime adiuua,ſi in aliquo deuiat,ne differas eam reducere, ſeptiformem gratiam tuā effunde in eā. Eſto ei ductor & finis, beatificator & cuſtos, propter ſuperliberaliſsimā illam donationē, qua tibi à patre & filio data eſt deitatis plenitudo,per æternā ſpirationem , inenarrabilem magnitudinem tuę liberaliſsimæ benignitatis declara in anima iſta hoc ſeculum relinquente , quatenus educta de carcere huius exilij,inueniat hodie receptaculum gratioſum conſolatoriumq́; hoſpitium.O ſuperdigniſsime conſolator Spiritus ſancte,qui cū patre & filio , vniuerſorum es conditor,iudex ac dominus.Amen.

Oratio tertia ad Spiritum ſanctum.

O Clemētiſsimè atque dulciſsime ſpiritus ſancte,quo pater & filius ſe inuicem æternaliter diligunt, qui es amor amborum,pax ſereniſsima, tranquillitas infinita,communio plena,ſempiterna atque cōmunis lætitia:cuius dono & cooperatione celebrata ſunt vniuerſa noſtræ redemptionis myſteria,de quo illibatiſsima, ac diuiniſsima virgo Maria verbum patris æterni verbum Deum concepit:tu cui ab exordio mundi gratiarum tuarum chariſmata hominibus multipliciter infu-

diſti,& multorum indurata corda gratioſè præuenisti,emolliſti,& cõuertiſti,conuerte nũc animam hinc pergentem ad te conuerſione completa,quicquid duritiæ, quicquid obſtaculi gratiæ tuæ, quicquid impedimẽti ſalutis in ea extiterit,dignãter & ſuperpiiſſimè tolle ab ea, & gratiã conſummatã ei largire:per quã conſequi mereatur æternã fœlicitatẽ, & inter vaſa tuæ miſericordiæ cõputetur: ad laudẽ & gloriam pietatis tuæ penitus infinitæ.

Oratio ad ſuperbeatiſſimam Trinitatem.

O Trinitas adorãda, vnitas ſumma, & deitas ſimpliciſſima, ob tuam inſeparabilẽ vnionem coniũge tibi per caritatem perpetuã gratiamq; finalem,ſpiritũ huius nunc morientis,vt per gloriæ vnionẽ plenariã, vnus tecũ ſit ſpiritus, per feruentiſſimæ dilectionis intimiſſimam
1. *Cor.6.* transformationẽ. O trinitas conſubſtantialis,coæqualis & coęterna,ob tuã ſubſtantialem identitatem, eſſentialemque vnitatem animã iſtam Chriſto incorpora,& myſtico eius corpori inſere eam, vt tamquã oliua fructifera plantetur in paradiſo cælesti, & choris inſeratur Angelicis.O ſupergloriosiſſima trinitas ꝓpter communicationem & emanationẽ tuam adintra, effunde ſuper iſtum agonizãtem dona

dona gratiæ tuæ,& abũdantiam pietatis ac largitatis tuæ, in hac hora in ipſo demõſtra,ne abducatur, aut ſeparetur à te. O pater æterne, ô vnigenite Dei ſuper pulcherrime,ô ſuauiſſime paraclete Spiritus ſancte Deus vnus & trinus,ob tuam mutuam intuitionem,plenè comprehenſiuam,& infinitè iucundam,fac animam iſtã te nunc per fidem ſynceriter intueri, ob tuam mutuam dilectionem ſuperardentiſſimam ac intenſiuè immenſam,accende eam tuo ſancto amore: ob tuam mutuam fruitionem,beatiſſimã & æternam,perduc eam ad tui beatificã fruitionem: propter omnem caritatem,miſericordiam & gratiam tuam ſuper genus humanum, educ eam de corpore omni virtute ornatam, per vniuerſa myſteria, merita,ac beneficia IESV CHRISTI, per preces & merita virginis glorioſæ, omniúmque ſanctorũ & electorũ tuorũ.

Oratio ad virginem glorioſam, & ad omnes ſanctos.

BEatiſſima virgo Maria,totius humani generis fideliſſima aduocata. O regina miſericordiæ, cui regnũ miſericordiæ à Deo omnipotẽte cõmiſſum eſt. O affectuoſiſſima hominum miſeratrix, & ardẽtiſſima eorum amatrix,ob incarnatio

nationem, natiuitatem & educationem vnigeniti filij Dei ex te, ob omnẽ tui & eius mutuam in hac vita cõuerſationem mutuámque dilectionem, propter omnẽ caritatem, perfectionem, virtutẽ & excellẽtiam, gratiam & gloriam, tibi à ſuperbeatiſſima Trinitate exhibita. O vniuerſa triumphãs eccleſia, ô omnes angelici chori, & cuncti ciues cœleſtes, ſancti patriarchæ, illuminati ꝓphetæ, glorioſi apoſtoli, martyres victorioſi, cõfeſſores fideles, virgines ſacrę: O ſancte Michael, princeps Eccleſiæ, & tu angele ſancte cuſtos huius infirmi, clementer ſucurrite animæ hinc migranti, eã cõſolari ac adiuuare dignemini, quouſque ad veſtrę beatiſſimæ ſocietatis admittatur ingreſſum.

Commendatio animæ emigrantis.

O Dilecta nobis in Chriſto anima, adorãdæ Trinitatis imagine, ac ſimilitudine inſignita, ſanguine filij Dei redempta, ad æternã beatitudinẽ condita, & nunc eccleſiaſticis ſacramẽtis munita, egredere confidenter de corpore mortis huius, & ad tuum perge creatorẽ ac iudicẽ, qui te miſericorditer dignetur ſuſcipere, ac mititer iudicare. Occurrant atque ſubueniãt tibi omnes ſancti & ciues cœleſtis Ieruſalem, nec tibi auxiliari deſiſtant,

ſiſtant, quouſque ad locum habitationis gloriæ,eorũ, ad paradiſum cœleſtem,ad regnum fœlicitatis æternę introducaris, ad laudẽ & gloriã omnipotẽtis. FRA.Petitioni meæ per omnia ſupererogãter vi deo ſatisfactum, ideò præcordiales tibi grates ex totis præcordiis offero. DIO. Adhuc in fine opuſculi breuiter commemorabo, quàm pium ſit defunctis in purgatorio detentis, fideliter ſubuenire.

Quàm caritatiuum ſit & benignum ſubuenire defunctis.

ARTICVLVS VLTI. DION.

FRequenter præhabitũ eſt, quòd tam pœna dãni,quàm pœna ſenſus in purgatorio exiſtẽs omne vitæ præſentis excedat ſuppliciũ.Nõne ergo ferrea pectora habent,qui exiſtentibus in tantis tormentis non cõpatiuntur,neque pro poſſe auxiliari conãtur? Denique dũ proximos *Matt.12.* noſtros tãquã noſipſos iubemu diligere,dũque pręcipimur facere eis ſicut no- *Mar. 12.* bis ab ipſis fieri affectamus, per ꝓximos *Tob. 4.* intelligũtur omnes ratiõales intellectua *Lucæ. 4.* léſque creaturæ, quæ beatitudinis ſunt *Matt.7.* capaces, ergo & animæ in purgatorio e- *Lucæ.6.* xiſtentes.Illis itaque facere ac ſubuenire tenemur,queadmodum nobis fieri in ſimili caſu vellemus.Prętereà ſi quis videret

ret quēquam mortaliū, quāuīs ignotum: & alienū, imò & inimicum in medio æſtuantiſſimæ fornacis iacere, & poſſet ei ad euadendū ſuccurrere, nec tamen ſuccurreret, nónne ab omnib⁹ durus, immiſericors, ac crudeliſſimus reputaretur? Quanta eſt ergo eorū negligētia, immiſericordia, atque peruerſitas, qui detentis in purgatorio animabus nō cōdolent, neque auxiliātur, præſertim parētibus, propinquis, notis, benefactoribus, & amicis, imò vix ſemel in die recordātur illorum? Amplius, vt cōmuniter dicitur exiſtentibus in purgatorio, intantū proſunt viuorum ſuffragia facta pro illis, quātum ipſi in vita hac meruerunt, vt talia poſſent eis prodeſſe. Idcirco qui tardi & negligētes, ac duri ſūnt ad ſuccurrendum defunctis, ſciant quoniā qua mēſura metientur, eis quoque remetietur: & taliter eis ſubuenietur, quēadmodū meruerunt & ſubuenerunt. Inſuper tales nō videntur attendere, quòd pro defunctis orādo, eleemoſynas tribuēdo, diſciplinas accipiēdo, peregrinādo & ſancta loca viſitando, celebrando, Miſſámve audiendo, Pſalmos & officia defunctorū legendo, non ſolū defunctis ſubueniunt, ſed etiā ſibiipſis promerētur gratiā in præſenti, & gloriam in futuro.

futuro, dum prædicta agunt ex caritate. Nam quicquid ex caritate efficitur, meritoriũ eſt gratiæ ac ſalutis. Exiſtentibus autem in purgatorio nõ poteſt quis amplius gratiã promereri, nec gloriam, ſed gloriæ accelerationem, per hoc quod ſatisfaciẽdo pro illis, impetrat pœnas ipſorũ abbreuiari. Etenim idẽ opus bonũ eſt meritoriũ & ſatisfactoriũ: Meritoriũ inquantum ex caritate procedit: & ſatisfactoriũ, prout defunctis applicatur & cõmunicatur, id eſt propter annexũ laborẽ ac alias cauſas. Hinc in quadã viſione oſtẽſa beatæ Brigittæ viduæ legitur angelus ſanctus dixiſſe: Benedictus ſit ille in mundo, qui iuuat animas orationibus & bonis operib⁹ atque labore corporis ſui. Deinde de purgatorio audiebãtur multæ voces, dicentes: O domine IESV CHRISTE, iuſte iudex, mitte caritatẽ tuam ſpiritualibus, eccleſiaſticíſque perſonis, quia tunc magis, quàm nunc adiuuari poterimus de earũ cantu, lectione, oblatione ac precib⁹. At verò ſupra ſpatiũ, de quo clamor vocum illarũ audiebatur, apparebat quaſi domus, in qua multæ voces audiebãtur dicentes: Merces ſit illis qui mittũt nobis auxiliũ in noſtris defectibus. In ipſa quoque domo videbatur, quaſi aurora conſur

conſurgere, & ſubtus aurorã apparuit nubes, quæ nihil habebat de luce aurorę, de qua proceſſit vox maxima, dicẽs: O Domine Deus, da de tua incomprehenſibili poteſtate vnicuique centeſimã remunerationem in mũdo his, qui ſuis ſuffragiis nos iuuãt ac eleuant in lucẽ tuæ deitatis, & in viſionẽ diuini vul⁹. FR. A. Hucuſque non perpẽdi tam clarè quàm pium ac iuſtum, imò & debitũ ſit ſubuenire defunctis, vnde propono deinceps circa hoc ſollicitior atque inſtãtior eſſe. DIO. Bene agis, & certũ eſt quòd hi qui de viuorum aut defunctorum eleemoſynis viuũt, videlicet prælati, ſacerdotes, canonici, religioſi ac cæteri, ſpecialiſſimè obligentur per orationes, celebrationes ſeu actus conſimiles ſuccurrere illis, quorũ ſuſtentantur ſtipendiis. FRATER. Graue eſt ergo de talibus ſuſtẽtari niſi legitima fiat ſubuentio. DIONYSIVS. Planè ſic eſt, imò iuxta ſanctorum patrum doctrinam, furtum, rapina, ac ſacrilegium perhibetur, Reſtat ergo vt vnuſquiſque ſecundũ exigentiã ſui ſtatus, gradus aut ordinis, vocationis aut profeſſionis, ſtudeat condecenter, ac debitè conuerſari. Ad laudem, gloriam & honorẽ altiſſimi, qui eſt ſuper omnia De⁹ ſublimis & benedictus. Amẽ.

METHODVS AD EOS ADIVVANDOS QVI MORIVNTVR.

Ex complurium doctorum, ac piorum ſcriptis, diuturnóque vſu, & obſeruatione collecta.

Auctore Reuerēdo Patre Ioanne Polanco, Theologo Societatis IESV.

PIO LECTORI S.

CVM inter omnia, quæ noſtra Societas ſecundum inſtituti ſui rationem ad Dei gloriam & Eccleſiæ ædificationem præſtare ſolet, ea opera maximi momenti cenſeatur, quæ hominibus ab hac vita migrantibus impenditur, optandum eſt profectò magnopere vt in hoc munere præ cæteris rectè

 obeundo,

obeundo, noſtrorum Sacerdotum diligentia, & caritas luceſcat: & vt ſerpens ille, ac antiquus naturæ humanæ hoſtis huic extremæ vitæ parti, quaſi calcaneo inſidiari, & vt rugiens circuire, & in vltimo eo tempore, quod ei ad tentandos fideles permittitur, quem deuoret, ſummo ſtudio & oppugnare creditur: ita qui propter Dei dilectionem, homines, vt eius imaginem, & CHRISTI membra diligunt, in eo tempore potiſſimùm quod ad æternam ſalutem ſuam operandam vltimum ipſis relinquitur, ſtudioſſimè cum Dei auxilio elaborare debent, vt ad finem ad quem creati & redempti ſunt illi perueniant. Quamuis autẽ gratia Dei, & ſpiritus eius magis quàm vlla ab hominibus tradita documenta, fidelem, & prudentem CHRISTI operarium, ad ſanctum hoc officium rectè obeundum, inſtruant: quia tamen vt in aliis, quæ ad animas adiuuandas comparantur, functionibus, ita & in hac placet omnipotenti Deo, & humana induſtria, diuinæ ipſius prouidentiæ cooperetur, multa vtiliter iis ſuggeri poſſe videntur, qui ad morituros iuuandos accedunt. Et vt diſtinctè, ac dilucidè digeſta, facilius retinere, & in opus deduci poſſint ea, quæ nobis in hoc argumento occurrerunt, in viginti capita, quæ inferius annotan

annotantur diſtinximus, conſideratis totius negotij, circunſtantiis, ac partibus, (quia enim ex iis aliqua ad ipſummet, qui iuuat, aliqua ad morientem, aliqua ad eos, qui morientibus aſſiſtunt, referuntur) prima in cap. 1. ſequentis inſtructionis vel directorij, Tertia in vltimo, Secunda intermediis attinguntur. Et inter hæc, quia quædam cum ipſomet moriente ſunt tractanda, quædam ſine illo peragi poſſunt: poſteriora, capite penultimo, priora reliquis continentur. Cùm etiam inter illa quædam omnibus vel neceſſaria ſint, vel ad conſolationem & meritum vtilia, quædam etiam quibuſdam morientium diſpoſitionibus magis ſeruiant, neque omnia omnibus conueniunt: de prioribus agitur à 2. cap. vſque ad octauum, de poſterioribus in reliquis. Et quamuis omnia perſpecta eſſe expediret ei, qui iuuat moriturum, vt officio ſuo fungeretur, prima tamen octo capita, & penultimum, quod eſt. 19. vt quæ ferè in quotidiano vſu verſentur, memòria recentiori expedit retineri. In reliquis cùm diſpoſitio patientis id exiget capita eis accommodata relegendo, memoriam renouare ſatis erit. Intellige interim pie lector in hunc librum, & illa, quæ complures longa experientia docti obſeruarunt, & quæ etiam auctores ſcriptis ſuis

Diuiſio hui⁹ tractatus.

tradiderunt, quam fieri potuit breuiſſimè eſſe congeſta. Etenim id nobis curæ fuit, ne præter quàm opus erat, longi eſſemus: ob quam etiam cauſſam nonnulla interdum poſterioribus partibus libri breuiter replicauimus, quæ ſuperioribus capitibus copioſè dicta erant, ne ſcilicet Lector ad illa prolixiora, cùm hæc ſatis pro tempore & loco eſſe poſſent, ſe referre cogeretur. Vale & boni conſulens quæ ad tuum laborem ſubleuandum ſunt conſcripta, Dominum IESVM pro nobis ora.

***

BREVIS

BREVIS

METHODVS AD EOS ADIVVANDOS, QVI MORIVNTVR.

DE IIS QVÆ PERTINENT AD EVM, QVÌ ADIVVAT *morientem.*

CAPVT PRIMVM.

INTELLIGAT in primis, qui dat operam eis iuuãdis qui ex hac vita decedunt, quanti ſit momẽti,& quàm verę caritatis opus, proximis in tali ſtatu conſtitutis, vbi de ſumma rerum agitur, ſubuenire. Nullibi enim grauius erratur, & cùm mors ſemel tantum accidat,ſi quis error hic admittitur, nullo ingenio corrigi poteſt, adde quòd ſæpe accidit, vt huiuſmodi miniſterio diuina prouidentia ad portum æternæ ſalutis eos adducat, qui ſine

ipſo in æternum erant perituri, vel certè in purgatorio grauiores ac diuturniores pœnas paſſuri, aut ſi neutrum horum euenit, illud quidem certè hæc functio, (quòd ad alia ſpectat) boni adfert, vt morientes in maiore decedant caritate, & contra, ac proinde etiam maiore poſt hanc vitam beatitudine apud Deum, & gloria perfruantur. Quod ſi eos, qui ſani ſunt, magnum eſt opus pietatis, ad hæc ipſa, per prædicationem & ſacramentorum miniſterium, vel quauis ratione adiuuare, (cùm & alio tempore & aliis mediis id fieri, & poſtquàm adiuti erunt, ab accepta gratia excidere poſsint) quantò maius eſt iam ex hac vita in aliã migraturis ſuccurrere? cùm

Eccle. 2. illud ſit certiſsimum, quòd *vbi ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit,* ſi benè vitam finierit, in Auſtro erit æternæ ſalutis: ſi malè, in Aquilone æternæ miſeriæ.

Sibi diffidens, in Deo collocet ſpem benè ſe gerendi.

Deinde aduertat, quod ipſe impares admodum vires ex ſe habeat, ad tantum opus, ſcilicet cooperandi Deo ad ſalutem animarum, morte præſertim imminente, cùm propter vim morbi, ratio à conſideratione rerum ſalubrium

diſtrahi ſolet, & propter timoris alio-rúmque affectuum vehementiam, minus apti ferè ſunt homines, vt negotium ſuæ ſalutis, prout oportet, tranſigant: tùm Dæmon ſciens, *quòd modicum tempus habet*, omnes vires ſuas exerat, vt morientem, ſi qua ratione poſſit, perdat, & vt malignus eſt & ſagax, id multis modis, (quantum à Deo permittitur) curet, qui hoc officio fungitur, humiliter coram Deo ſuam imbecillitatem agnoſcat, & ſibi diffidens, totam ſpem benè gerendi, & quod intendit conſequendi, in diuino auxilio conſtituat. *Apoc.12.*

Puriſsimam habeat intentionem iuuandi morientes in tanta neceſsitate ad vltimum finem ſuum aſſequendum, conſiderando, quòd imago Dei, quòd Chriſti membra, quòd ipſius ſanguine, & vita redempti ſunt: & quaſi ſubſtituatur à Chriſto, ad illos adiuuandos, quos ipſe tantopere diligit, & quorũ ſalus, in ipſius magnũ honorẽ & gloriam cedit, excitet in ſe vehemens ſalutis eorũ deſiderium, & omni ſtudio cooperari Dei prouidentiæ conetur, ne fructus mortis Domini noſtri Ieſu Chriſti in eis pereat. *Intentio pura, ac deſideriũ iuuandi ſit vehemens.*

Qui ergo hoc officium, ex obediẽtia,

 vel

Orandũ pro morientibus in uniuerſum, & in particulari. vel caritate exercet, pro gratia adiuuandi morientes quotidie in vniuerſum oret, & cum peculiari affectu, pro ſingulis eorum, ad quos iuuandos vocatur, tam, dum ad eorum domos ſe confert, quàm dum in eiſdem manet: ac per breues elationes cordis deſiderium ſalutis morientium in ſe renouet, & ad eos applicet: ſacrificiis etiam miſſarum hoc ipſum in genere, & in particulari faciat.

Præmeditetur res dicendas, & ordinem, ac modum pro varietate perſonarum. Res ipſas, quæ dicendæ ſunt vel agendæ, ac modum & ordinem earum, benè intelligat, & in memoria habeat, ne accidat, vt cum exigua morientis vtilitate, & aſtantium minore ædificatione ſuum faciat officium: & ſi ad vnam concionem habendam, ſtudium, ad res opportunas, & ordine congruo dicendas adhibetur, quantò magis ad negotium hoc tam arduum, præmeditatio, & rerum, & ordinis erit neceſſaria? eſt tamen aduertendum, quod nec res eædem ſemper, nec eodem modo erunt dicendę, ſed pro diſpoſitione varia morientium, & loci ac tẽporis maiori, vel minori commoditate (de quibus infra) variari oportebit. Aliter enim cum magnis, quàm cum plebeiis hominibus: Aliter cum doctis & ingenioſis, quàm cum indoctis ac rudi

rudibus: Aliter cum exercitatis in rebus ſpiritualibus, quàm inexercitatis. Aliter cum cholericis & impatientibus: Aliter cum iis, qui ſedato & patienti animo ſunt, agendum eſt. Prioribus enim pauca ſelecta, erudita, & opportunè dicta: poſterioribus, plura magis explicata, & ipſorum captui accommodata quadrare ſolent: cùm eiuſdem etiam naturæ & qualitatis hominibus, aliter ſi ſenſibus valent, aliter ſi iam ſunt hebetiores, aliter ſi morbus non affligit doloribus, aliter ſi affligat, aliter ſi tempus ſuppetit, aliter ſi breue eſt, procedendum erit. Vnde præter illa documenta, quæ in genere præſcribi poſſunt, diſcretione ſemper opus habebit, qui iuuat morientem, vt ſcilicet vtatur iis omnibus, quæ præmeditatus eſt, vel tantùm quibuſdam eorum, pro re nata, & prout expedire ad præſens iudicauerit, non vno cõtextu omnia dicendo, nec properãter, nec vno tono, ſed paulatim dicet, quæ opportunè dici, & audiri ab ægroto poterunt: interrumpendo filum dicendorum partim ſilentio, vt melius ille digerat, quæ audiuit, vel ſponte ſua vtiliter cogitet, vel vt quieſcat, partim interrogando de aliis rebus communibus, & partim orando

Quomodo cũ infirmis agendum.

pro eo, & alios ad hoc ipſum hortando, & pôſtea proſequatur quæ cœpit. Clauſulæ loquentis ſint breues, & ſermo ſimplex,& pium affectum oſtendens:& cum prudentibus & grauibus, non tam inſtruentis phraſi, quàm in memoriam redigentis, vel quod ab eis fieri creditur referentis,vbi expedit.

Si non eſt perſpecta ægrotantis, ad quem accedit, perſona, & habitudo, & occaſio detur,in pſo itinere curet,qualis ille ſit,& quomodo ſe habeat,cognoſcere, id eſt, an ſit vir eruditus, an prudens, an patiens, an vtatur integris ſenſibus & iudicio, an credatur vicinus morti? an teſtamentum fecerit, an confeſſus fuerit,an communicauerit,& extremam vnctionem ſumpſerit: quod vitæ genus tenuerit, an aliquid in eo ſit magni momenti, de quo admoneri debeat, an ſe afflictum in ſpiritu oſtendat, an integro ſit auditu, vt benè audiat, ſi quid loquatur ſubmiſsè, &c. ipſe etiam obſeruet mores hominis, & non ex abrupto incipiat, ſed iam ingreſſus ad infirmum, ipſum & aſsiſtentes ſalutét,prout decet,& quomodo ſe habeat,interroget,& compaſſionem habeat, & præ ſe ferat: & ſi ægrotus ipſe quid dicere velit, audiat eum

Quomodo in ingreſſu ſe habeat cũ ægrotante.

eum, & valde caueat, ne tædio ipſum afficiat, vel rebus ipſis, vel tono altiori, quàm ſit opus, vel repetitionibus rerum earumdem: quin potius animaduertens paulatim hominis ingenium, conſolari eum ſtudeat, & amanter & prudenter cum eo agendo, eius beneuolentiam ſibi conciliet, vt quæ ad ſuam ſalutem pertinent, audiat libentius, admittat facilius, & ita magis proficiat, & cum ipſo reuertente, ſi redire oporteat, potius recreetur in Domino, quàm moleſtia afficiatur.

Demum poſtquam explorata fuerint ei, quæ oportet intelligi, vtatur religioſa & modeſta libertate, in omnibus, quæ ad officij ſui functionem pertinent, tam erga ægrotum, quàm circunſtantes. *Libertate modeſte vtatur.*

De his quæ cum moriente, ad animam ipſius iuuandam, tractantur.

CAPVT II.

QVAE in auxilium morientis fieri vtiliter poſſunt, & tum ipſo, aut per ipſum trāſiguntur, in duplici genere sūt. Aliqua enim, vt neceſſaria cenſentur, *Diuiſio eorū, quæ dicenda ſunt.*

quæ

quæ ad faciendum, quod debet, hominem diſponunt: aliqua, vt conuenientia & vtilia, quæ ad conſolationem ſcilicet & maius meritum morientis pertinent, & quidem neceſſaria, vel adiuuant morientem in iis, quæ ad animæ ſtatum, vel in iis, quæ ad prouidentiam erga ſibi coniunctos, & corporis ac rerum externarum diſpoſitionem faciunt, & quamuis hæc aliter curari debēt, cùm & ipſius intellectus, & voluntas, & temporis commoditas, omnia exactè fieri permittit, aliter cùm aliquid horum deeſt, prius omnia tractabimus, perinde ac ſi ægrotantis ac tēporis diſpoſitio integrum ipſa auxilium exhiberi permitteret, deinde de iis caſibus ſeorſum agetur, in quibus, quòd deſit aliquid horum perſonæ, habitudini, ac temporis ſe accommodare oportebit.

Quæ cura ſit, vt moriens in gratia Dei & Caritate decedat.

Prima ergo, & præcipua cura iuuantis eos fideles, quibus mors iuxta peritorum ſententiam, creditur imminere ſit circa animæ ſtatum, vt ſcilicet in gratia Dei, & Caritate ex hac vita decedant. Et quia per ſacramenta, ea in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum diffunditur, vt eis muniatur infirmus, primo quoque tempore curandum eſt.

Poſt

Poſtquam ergo ſalutauerit ægrotantem & (ſi expedire iudicabit) Euangelium, vel Orationem ſuper ægrotos dici ſolitam, vel vtrumq; recitauerit, vel aliquid mente in Deum eleuata, & ſuper eum manibus impoſitis orauerit, ſedenſque aliqua vel audiuerit, vel interrogauerit, ſumpta occaſione ex his, quæ ægrotans reſponderit, vel aliunde, ſignificet blandè & amanter (niſi in aliquo caſu videretur ad ſacramenta prrius adducendus, vel huiuſmodi nuncium differendum eſſe, cùm periculum non eſſet in mora) quòd medici ſecundum artis ſuæ experientiam, de ipſius vita dubitant, adiungens, nunc tempus eſſe, cùm humana auxilia parentum, & amicorum, & medicorum parum ipſum ſubleuare poſſint, vt toto ſe corde ad Patrem cæleſtem conuertat, qui vt amantiſsimus, vult, & vt omnipotens, poteſt ipſum iuuare, vel ſanitatem (ſi expedit) reſtituendo, vel in omnem euentum ſanitatem & vitam perpetuam ei tribuendo: conuertat etiam ſe, & ſpem ſuam erigat in verum amicum IESVM CHRISTVM, qui tantopere ipſum dilexerit, vt pro eo ſanguinem ſuum totum effuderit: quæ probatio amicitiæ perfecta fuit,

fuit, nam (vt ipſe teſtatur) *maiorem di-*
Ioan. 5. *lectionem nemo habet, quàm vt ani-*
mam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.
Chriſtus amicus verè fidelis. CHRISTVS eſt amicus verè fidelis, qui cùm alij deſerunt, ſcilicet in morte, quòd nolint, vel non poſsint prodeſſe, tunc ipſe maximè & vult, & poteſt amicos iuuare. Idem etiam eſt ſapientiſsimus medicus, qui non ſolùm corpus (cùm id conuenit) ad breuem huius vitæ periodum, ſed animam etiam, per gratiam ſuam ſanat, & poſt reſurrectionem, perfecta, & perpetua ſanitate corpora ſanabit. Vt autem gratia ipſius ſanet animæ vulnera, & morbos, medicina ſacramentalis eſt neceſſaria, ideo cõfeſſionem debet integram facere, & per ipſam æterno Patri reconciliari, ſi differret ad aliquam horam, vt ſibi commodiorem, vel vt peccata melius poſſet recordari, & temporis anguſtiæ non vrgerent admittendum id eſſe: & ſuo tempore redeundum ad confeſſionem audiendam, niſi ægrotus alij confiteri deberet, imò ſi morbi ratio id ferret, & generali confeſsione opus habere infirmus videretur, ei ſuggeri poſſet, vt non ſolùm ab vltima confeſsione cogitet, quæ conſcientiam premunt, ſed & alia ante-

Quomodo ad cõfeſſionẽ adducẽdus, etiã qui differre velet.

actę

actæ vitæ peccata., præcipuè ſi circa ea pacatam conſcientiam non habet, recogitet, iuxta illud Ezechiæ: *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ*, ſi dilatio non petitur ad hos fines, ſed quia detrectat laborem ingrediendi ad ſeipſum infirmus, vel ob tentationem aliquam, & non videtur probabile, quod poſtea magis paratus erit, dicat illi, quòd vt pater æternus & Dominus noſter IESVS CHRISTVS in ſuam gratiam & amicitiam ipſum admittat, oportet vt peccata, *quæ diuidunt inter Deum & ipſum*, tollantur, & hoc fiet per ſacramentum pœnitentiæ, proinde ne differat hoc impedimentum remouere, etiam contra ſapientis in Eccleſiaſtico conſilium, qui dicit: *Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Non poſſumus nobis vnam horam vitæ polliceri, & tamen pœnitentia in illa hora acta, vel non acta poteſt, vel ad regnum Dei aliquem perducere: vel ab ipſo excluſum, & damnationis æternæ reum relinquere: ideo idem Sapiens ait: *Repromiſſio nequiſſima multos perdidit*, quia ſi peccatis obnoxij promittētes ſibi vitam longiorem, retardant conuerſionem, & mors, vel

Eſai. 38.

Eſai. 59.

Eccle. 5.

Eccl. 29.

delirium

delirium eis ſuperuenit, cùm nõ amplius pœnitendi tempus habeant, actum eſt de ipſorum ſalute, & in æternum peribunt. Adde quoque vt auctor quidã benè ait, *Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.*

Martialis.

Demum cùm primum fieri poterit, ad confeſſionem adducat, & ſuam operam in redigendis ad memoriam peccatis promittendo, eam faciliorem ægrotanti reddere conetur: & cùm aſſenſum eius habuerit, ſemotis arbitris, audiat quæ ipſe ſciet & volet dicere, deinde ipſe iuuet de iis, quæ ſunt probabiliter omiſſa, percunctãdo & numerum & circumſtantias neceſſarias: quæ poſtquàm habuerit quantum ſatis eſt, tunc ad contritionem (ſi eam imperfectam animaduerterit) hominem iuuet, id tamen cum ea moderatione faciat, ne in diffidentiam ægrotus, & nimiam animi deiectionem incidat.

Ad cõtritionẽ quo modo iuuandus, qui confitetur.

Moneat ergo, vt conſideret magnitudinem Dei, cuius præcepta transgreſſus eſt, ſub quo, præ humanitate profunda, *incuruantur, qui portant orbem:* Angeli, præ reuerentia, contremiſcunt & vt nihilum eſt omnis magnitudo creata. Conſideret etiam in Deo iuſtitiæ zelum, quo Angelos & homines peccantes tam acerbè puniuit, & ſanctitatem.

Iob. 9.

1. Pet. 2.

rem, qua ſic odit peccatũ, vt ſi quis in illo moriatur ſine pœnitẽtia, licet ſit alioqui filius dilectiſſimus, in æternum eum priuet hæreditate cæleſti, & ad inferni tormenta numquam finienda releget. Aduertat autem Sacerdos, vt diximus, ne nimis terreat ægrotantes, præſertim ſi ſubtimidi viderentur, & magis contritionem excitet, (quocumque illi ſint ingenio) in memoriam redigendo, quàm multis beneficiis naturæ & gratiæ ipſum Deus ſit proſequutus: quanta ipſum præuenerit dilectione, *qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*, & vtique pro ſingulis quanta nobis bona in regno cæleſti poſt hanc vitam præparauerit: quàm ſit in ſe bonus & in infinitum amabilis, & dignus omni honore, obedientia, & obſequio & tunc dicet, hunc ergo DEVM, tantæ Maieſtatis, tantæ ſanctitatis, tantæ bonitatis, qui te de nihilo creauit, & in ſilium adoptauit, & tanta dilectione & beneficiis te proſecutus eſt, contempſiſti, & iniuria affeciſti, & quod in te fuit ſanguinem IESV CHRISTI filij eius pro te effuſum conculcaſti, & in his & illis peccatis (quædam grauiora repetendo breuiter) animam tuam commaculaſti.

Aegrotus ad cõtritionẽ quomodo excitandus.

Rom. 8.

Hebr. 6.

O

culaſti. quãtum ergo dolere debes, quòd tam ingratè te geſſeris erga talem, & tantum Patrem & benefactorem: deinde animet eum, & erigat, dicendo, Perpende, quòd ſic offenſus Pater cæleſtis, pro ſua tamen miſericordia infinita, ad pœnitentiam te expectauit, quódque per
Ezec.33. Prophetam promiſit, *in quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius nõ recordabor:* quòd IESVS CHRISTVS, qui pro peccatis tuis mortuus eſt, apertis brachiis in Cruce (vt vides) te inuitat, vt ad ipſum cum dolore vitæ præteritæ refugias, vt amplectatur te, & ſanet animam tuam, & ſi conueniet tibi, etiam corpus tuum, & ad tibi comparatam ſuis doloribus beatitudinẽ adducat. Dic ergo corde & voce, ſi potes, cum publicano: *Deus propitius eſto mihi*
Luc.18. *peccatori*, dic cum Dauide, *Domine pro-*
Pſal.24. *pitiare peccato meo, multum eſt enim*, dic cum eodem pœnitente: *Miſerere mei*
Pſal. 50. *Deus meus.* O, qui te numquam offendiſſet, ô Pater amantiſſimè, diſplicet mihi valde, quòd tam ingratè tuam bonitatem offenderim. ô, Domine IESV CHRISTE, qui me tanta caritate peccatorem viliſſimum redemiſti, ſanguinem & vitam tuam mihi impendendo,
pœnitet

pœnitet me plurimum, quòd tam ſæpe, & tam grauiter tua mandata præuaricatus ſum. quis mihi det fontem lachrymarum, vt defleam ingratitudinem & malitiam meam, qua te, qui tantopere me amaſti, & honoraſti, contempſi, & creaturas viliſſimas, tibi in affectu amoris mei præpoſui? firmiter propono, cùm tua gratia velle me potius in poſterum millies mori, quàm te offendere, etiam ſi diu mihi viuendum eſſet in terra. Hæc ergo & ſimilia, vel partem eorum, vel ſi quæ magis accommodata perſonæ pœnitentis occurrent, dicat, vt ad contritionem de peccatis præteritis, etiam oblitis, & affectum eorum relinquendum, & emendationem, ſi viueret, firmiter proponendam, adiuuet, & quo ad eius fieri poſſit, curet, vt contritio ſit caritate informata, & non ex timore tãtùm: & vt firmum vitę ſeriò emendandæ propoſitum, ſi ſuperuixerit, in eo ſit. & tunc conſolando eum ſpe venię, & reconciliationis cum Deo, abſolutionis beneficium impendat: & ſi aliquas indulgentias ei poterit impertiri, quàm largè licebit, impertiatur. & vt patienter morbum, & eius moleſtias, & mortem ipſam, ſi Deo placuerit, de manu eius ſuſcipiat,

pro ſatisfactione ſuorum peccatorum, & ob Dei amorem, admoneat, & pœnitentia alia vel non iniungatur (niſi breuiſſima, & quam poſſit facilè peragere,) vel ſi iniungitur alia maior, non niſi recuperata valetudine ad eam ſe teneri ægrotans intelligat.

De iis qui ad aliquã reſtitutionẽ tenentur.

Si tamen habet aliquid alieni, quod reſtituere debeat, & ſtatim poſſit, videat Sacerdos, an expediat differre abſolutionem, donec id opere compleat. Vel ſi non differt, quia promittenti ſe ſtatim id facturum, credit, vrgeat, vt viuens id fieri curet, nec hæredum arbitrio id relinquat, quod tantopere ad ſuæ ſalutem animæ pertinet. hoc de rebus clarè debitis intellige, ſi res eſſet dubia, & ipſo viuente declarari poſſet, an ad reſtitutiones teneatur (vt in habentibus negotia, vel adminiſtrationem bonorum alienorum accidere facilè poſſet) primo quoque tempore id fiat, ſi non eiuſmodi res eſt, vt ſtatim poſſit veritas eluceſcere, in teſtamento, vel codicillo decernat, vt re declarata, cuique quod ſuum eſt reddatur, & tantundem fiat, ſi clarum quidem eſt debitum, & tamen non poteſt ſtatim reſtitui. Et ſolet bonum eſſe conſilium, vt hæredes aliqua pœna,

ad

ad reſtitutionem tempeſtiuè faciendam, ſi ſtatim non poteſt fieri, obligentur, ſed valde optandum & curandum eſt, vt ſtatim fieri poſſit.

Si cum aliquo intercedit inimicitia publica; non ſolum vt ignoſcat, ſed ſi fieri poterit, vt coram notario & teſtibus id conſtet, curandum eſt, & ſi ipſe alium offendit, mittat ad veniam petendam, & ſatisfaciat offenſo, vt oportet, & pax (ſi res id feret) dum ægrotus viuit, conficiatur: ſecreta autem ſecrete, ſi quæ fuerint huiuſmodi, tranſigantur. *Pax cum offenſis, vel offenſoribus curãda.*

Si ad famæ reſtitutionem fuerit obligatus, eo modo quo poterit per ſe, vel per alium eam reſtituere curet; verbo, vel ſcripto. Si excommunicatus eſſet aliquis ex iis, quibus mors imminet, curetur, vt ſe ſubmittat totis viribus Eccleſiæ ordinationi, vt beneficium abſolutionis conſequatur. *Famæ reſtitutio curãda.*

His quæ ad confeſſionem pertinent tranſactis, viaticum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, dum ſenſus vigent à parocho, vel de eius aut ſuperioris facultate, ab ipſo qui iuuat morientem, vel alio, ſumat ægrotus, ac prius inſtruatur, vt ſe præparet ad illud dignè ſumendum, præcedente reconciliatione, ſi ea opus erit, & *De ſacramẽto Euchariſtiæ ſumẽdo.*

cum quanta humilitate, fide, ſpe & dilectione fieri poterit, communicet. Admoneatur etiam vt ſacramentum extremæ vnctionis ſumat, vel ſaltem petat, vt ſuo tempore adferatur, & eius vis ægrotanti declaretur, quæ duplex eſt (præter effectum communem conferendi gratiam, quam habent omnia ſacramenta) altera ſcilicet, vt præparetur ad profectionem in cæleſte regnum à peccatis, & eorum reliquiis per eam expeditus: altera, vt ſi ſanitas corporis ei vtilis eſt futura, etiam illam promoueat, iuxta illud Iacobi: *Infirmatur quis, &c. & oratio fidei ſaluabit infirmum:* ideo non eſt expectandum, vt iam naturæ vires penitus ſint proſtratæ, & ſit ſenſuum expers ægrotus: ſed cùm medicus dixerit, ſecundum artem medicinæ, ipſum ad finem iam accedere, vel in periculo magno mortis verſari, dari debet hoc ſacramentum, vt intelligat infirmus quæ dicuntur, & quàm deuotè poterit Parocho vngenti ipſe reſpondeat. Quòd ſi in delirium vel ſenſuum hebetudinem incideret, hoc deuotionis fructu priuaretur, quamuis non præcipuo huius ſacramenti fine, & ideo etiam in tali ſtatu

De ſacramēto extremæ vnctiōis.

Iacob. 5.

danda

danda eſt vnctio, ſi prius data non fuiſſet.

De iis quæ ſunt tractanda cum moriente, quod attinet ad coniunctos, corpus, & bona externa.

CAPVT III.

POſtquam circa ea, quæ ad animæ diſpoſitionem pertinent, officio ſuo functus erit, qui iuuat morientem, eodem fungatur circa ea, quæ ad prouidentiam eius erga ſibi coniunctos, & ad corporis & bonorum diſpoſitionē pertinēt: quamuis aliquando expediet, vt poſt confeſſionem ſtatim iſta curentur. Redigat ergo ipſi in memoriam, ſi vxorem habet, vt eidem proſpiciat: ſi filios minores, vt eorum tutelam, & inſtitutionis curam, alicui relinquat, de quo ſperet, quod ipſorum commodjs ſeriò conſulet: ſi filias domi habeat, nondum ſtatum vitæ certum habentes, prouideat, quò ad eius fieri poſſit, vt iuxta vocationem Dei, vel in matrimonio, vel in monaſterio collocentur. *De prouidētia circa cōiunctos.*

Si nepotes, vel alios conſanguineos habet domi, quorum ſuſceperit curam,

ſi ſeruos vel familiam, cui debeatur ſtipendium, vel amplius quàm ſtipendium, memor ſit eorum, vt officio æquitatis, & etiam caritatis erga eos ſatisfiat.

De obligationib⁹ aliis. Si forte vel tutelam aliorum, vel bonorum principis, communitatis, vel priuatorum adminiſtrationem ſuſcepiſſet, vel officium publicum gerit, de quibus vel reddere rationem, vel aliquid facere, aut dicere teneatur, vt ſuæ conſcientiæ, & aliorum communi, aut priuato bono conſulatur, admoneat, vt dum habet rationis vſum, & tempus, quàm expeditè poterit, id faciat, vel aliis faciendum committat.

De corporis ſepultura. De corpore etiam ſuo, vt conſtituat vbi ſepeliri debeat (niſi conſtaret id iam conſtitutum eſſe) & quomodo, ſuggerat, hortetúrque eum, vt ita proteſtationis fidei ſuæ, & auxilij ſpiritualis, ac decentiæ ſtatus rationem habeat in apparatu exequiarum, vt pompæ ſuperfluæ & ad ſolatium viuentium, non ad animæ propriæ vtilitatem facientes, ad decentem moderationem reuocentur.

De diſpoſitione bonorū per teſtamentum, vel conſiliū. Demum ipſum adhortetur, vt diſponat de bonis ſuis per teſtamentum iuſtum & pium, memor quòd *non habemus hic ciuitatem permanentem, ſed futuram* *Heb. 13.*

turam inquirimus: & ſi prius teſtamentum feciſſet, ſuadeat, vt conſideret, an ei aliquid addere, vel detrahere vel immuare putet neceſſarium, quod per codicillum fieri poteſt: & in eo (ſicut etiam in teſtamento) primo loco ſatisfieri iubeat eis quibus aliquid debet, ſiue de familia ipſius ſint, ſiue non: quamuis ſi viuens poteſt his debitis ſatisfacere (vt dictum eſt) potius id curare deberet. Vxori, ſi eam habeat, dos ſaltem aſſignetur: liberis, quæ illis iure naturæ & ciuili, & etiam ex caritate debentur relinquat.

Si præter ea bona, quæ creditoribus & hæredibus, vt dictum eſt, debentur, ſuppetit facultas ad pia legata facienda (quandoquidem de quinta parte bonorum liberè poteſt diſponere; vel de alia, iuxta leges patriæ) ſiue ipſemet petat conſilium, ſiue non petat: quando ipſi vtile, & Deo gratum fore videbitur, admoneat, vel eleemoſynas in teſtamento vel codicillo, ad pauperum & piorum locorum ſuſtentationem relinquat: ſi tamen rerum & perſonarum diſpoſitio id ferret, ſuadendum eis eſſet, vt etiam hæc potius viuentes faciant, quàm teſtamento legent: multò enim magis *De legatis piis.*

eum iuuarent, ſicut magis vna quæ præfertur fax quàm quatuor, quæ ſequuntur, confert ei qui per obſcurum locum ingreditur, ne labatur: nec tantùm huiuſmodi eleemoſynæ, & pia opera in vita facta ad ſatisfactionem maiorem pro pœnis, ſed ad meritum etiam maius beatitudinis conferunt. vnde qui viuens diſpenſat, quæ poteſt pauperibus & piis locis, dicere poterit cum Laurentio: *Facultates meas in cœlum, manus pauperum deportauerunt*, ſi fortè teſtamentum alias feciſſet, in ſtatu animæ minus bono, ſuadendum eſt ægroto, vt renouet intentionem piorum legatorum, imò & omnium bonorũ, quæ vmquam egit, & ratum habeat quod ibi, & quandocunque fecit, vt ſi tũc in ſtatu gratiæ non fuit, ſaltem modò legata & opera pia rata habendo, & ad Dei gloriam referendo, meritoria vitæ æternæ faciat, & ſi in factis hoc expedit, multò magis in faciendis exhortari oportebit, vt omnia quæ in teſtamento legat, vel aliter facit, ad bonum aliquem finem referat, & ſi quod opus perpetuum eſt, vt hoſpitale, vel monaſterium, vel quid ſimile, caueat ne vanitas memoriæ ſui relinquendæ potiùs, quã Dei & proximorum amor ipſum moueat,

moueat, ſignificando quòd qui(non imminente neceſſitate ſubueniendi pauperibus præſentibus,quæ præferenda eſſet) fundationes perpetuas relinquit, cum præcipua intentione cultus Dei, & ſalutis proximorum, maius præmium eſſentiale promeretur,quàm qui eiuſdem valoris eleemoſynas in ſatisfactionē ſuorum peccatorum, intra tempus aliquod breue expendendas,relinqueret.

Noſtri cōdendis teſtamentis ne interſint.

Quamuis autem dirigere teſtatorem, vt dictum eſt, opus ſit magnæ pietatis, noſtri tamen propter conſtitutionem, quæ id prohibet, & propter rationē quæ ipſius conſtitutionis cauſa fuit,teſtamentis condendis intereſſe non debent: & minus vtique ad eleemoſynas vel legata nobis relinquenda, aut iis qui ad nos pertinent, morituros exhortari, noſtris licebit: ſed opera pietatis in genere cōmēdent:& ſi videbitur expedire, vt quis ad aliqua particularia deſcendat(præſertim conſilium petente teſtatore ante tempus condendi teſtamenti) ea in primis proponat quæ maioris caritatis & ad proximos magis iuuandos opportuna videbuntur, vt quæ ad animarum, quæ in purgatorio ſunt, ſubuentionem: quæ ad religioſorum vtriuſque ſexus

(pauper

(paupertatem patientium) ſubſidium: quæ ad pauperum, qui cùm mendicare honeſtè non poſſint, inopia tamen magna premuntur, auxilium : quæ ad captiuorum redemptionem, quæ ad pauperum puellarum dotationem: quæ ad orphanorum vtriuſque ſexus ſuſtentationem : quæ ad pauperum propter debita in carcere detentorum liberationem, & demum quæ ad hoſpitalium, & aliarum pauperum perſonarum, ac piorum operum ſubleuationem ſpectant: quamuis circunſtantiæ locorum, perſonarum, & rerum facere poſſent, vt præferri deberent quædam alioqui poſthabenda: ſi vir Eccleſiaſticus eſſet, & præcipuè ſi curam animarum haberet teſtator, vt Epiſcopus vel parochus vtiliter in memoriam ei reduci poſſent pauperes, & opera pia ſuæ diœceſis, vel parochiæ, quia cæteris paribus maior eorum eſſet habenda ratio.

De executorum qualitate & numero.

Refert etiam plurimum, vt morientem, ad vtendum, in condendo teſtamento, opera virorum bonorũ, prudentium & peritorum, hortetur, & vt tales executores teſtamenti relinquat, quorum rectitudini, & ſi fieri poteſt, beneuolentiæ erga ſe & ſuos, poſſit confidere, &

re, & vltra duos vel tres teſtamentarios huiuſmodi relinqui, ferè non expedit.

Quid agendum, cùm de neceſſariis aliquid deeſt morienti, licet aliqua iam facta inueniat, qui aduocatur.

CAPVT IIII.

Quomodo ad viaticũ ſumendũ adducẽdus ſit moriens.

SI quãdo aliquis accerſitur ad eum qui moritur iuuandum, & iam ille confeſſus eſt, ſed non communicauit, hortetur eum (ſi opus eſt exhortatione) ad vitiaticum ſanctæ Euchariſtiæ primo quoque tempore accipiendum, vt ab illo bonorum omnium fonte, vires hauriat ad labores ſuæ ægritudinis tolerandos, & ad ſecurius (ſi oportuerit) iter hoc laborioſum & periculoſum, quo à præſente vita in futuram tranſitur, peragendum, & poterit exemplum Heliæ adducere in figura huius Sacramenti; cùm fugiens Iezabelem, & ex tædio laborum & afflictionum, mortem deſiderans, & petens, pane ab Angelo allato cum vaſe aquæ refectus, *ambulauit in fortitudine cibi illius vſque ad montem Dei Oreb*, & alia huiuſmodi. Addi etiam poſſet maturandum eſſe, ne ſi vomitus vel aliud deglutiendi impedimentum

3. Reg. 19.

mentum

mentum ſuperueniret, priuetur huius Sacramenti ſingulari auxilio. Poterit etiam hortari ſicut 2. cap. dictum eſt, vt ſe præparet ad dignè ſumendum *hunc verum panem, qui de cœlo deſcendit*, per reconciliationem, & alia media de quibus etiam inſtruere ægrotum debebit.

Ioan. 6.

De reconciliatiõe eius cuius cõfeſſio non eſt audita.

Et ſi volet ipſi confiteri in reconciliatione poterit dextro modo petere, vt in cap. 8. dicitur, an aliquid ſit, quod grauet ipſius conſcientiam, quod omiſerit in confeſſione, vel non quantum par erat, explicauerit, vel quod ad reſtitutionem rerum, vel famæ, aut ad pacificationem cum aliquo pertineat, & tunc faciat, vt in 2. cap. dictum eſt. Petat etiam, an doleat de peccatis, & ſi coniicit, quod eget maiori contritione, iuuet eum, adhibendo ea media, de quibus prædicto 2. cap. eſt actum, vel partem eorum.

Quomodo ad teſtam. vel ad codicillũ faciendum adducatur.

Si teſtamentum non fecit, hortetur ad illud faciendum, iuxta ea quæ 3. cap. præcedente dicuntur, nec differat in tempus difficilius, quod initio ægritudinis, imò in ſanitate factum oportuit. Et ſi factum quidem eſt teſtamentum, ſed aliquid videtur immutandum, addendum vel minuendum (quod vel ex verbis infirmi,

firmi, vel ex aliorum relatu, aut alio pacto Sacerdos poterit cognoſcere) per codicillum id fieri poſſe admoneat, & ad ea quæ videt eius animæ maximè conuenire, facienda, quæ dum viuit fieri poſſunt, diſponere infirmum conetur, vt 3.cap. dictum eſt.

Quomodo ad extremam vnctionẽ adducatur.

Si ſolùm deeſt extrema vnctio, ad illam petendam hortetur, ſiue ſtatim, ſiue poſtea; ſi differenda videbitur, vt ſuprà etiam 2. cap. diximus, bono tamen modo, ne terrore infirmus deiiciatur, ſuadere oportet huius ſacramenti ſuſceptionem. His peractis, vt dictũ eſt, ad id iam ferri debet eius, qui morientem iuuat intentio, vt in fidei, ſpei & caritatis exercitatione, & contritione coniuncta, ad ſecuritatem ſalutis, & meritum, morientem diſponat, iuxta ea quæ quatuor ſequentibus capitibus continentur.

Si tempus prolixius morienti datur, & mens ſana eſt, aliqua ei legi poſſent ex his in quibus ſpiritualem conſolationem & auxilium ſanus ſentiebat, & interdum (ſi timetur probabiliter, quòd ſit confeſſus negligenter (diuina præcepta explicari expediet, vt ſit quid oblitus eſſet in confeſſione, in memoriam reducatur.

Aduer

Nimia ſpes vitæ ne detur infirmo. Aduertatur etiam, ne nimia ſpes vitæ temporalis infirmo detur: accidit enim vt propter incertam huiuſmodi ſpem, ad æternæ vitæ conſecutionem, non vt oportet, ſeriò ſe diſponat: hortari potius conuenit, vt per contritionem & Theologalium virtutum exercitationem, perfectam animæ ſalutem, & profectum diligenter curet: & ſi expedit, vt corporis ſalus etiam reſtituatur, Deus eam adiiciet.

Petatur ab infirmo, an quid faciendum ſibi ſupereſſe putet. Quamuis audiat Sacerdos, qui ad moriturum accedit, quòd omnia Sacramenta is ſuſceperit, & teſtamentum condiderit, petere ab eo nihilominus poſſet, an aliquid ſit, quod conſcientia ipſi dictet ſupereſſe. Et ſi dicet aliquid, in quo iuuari eum oporteat, id faciat. Si ſcrupulos tantùm, vel ſollicitudinem ac timorem non neceſſarium eſſe animaduertit, bono animo, & quieto eſſe iubeat, & ad alia quæ inferius dicuntur, ſe conuertat.

Quomodo ſunt exercendi qui moriuntur, circa fidem, præcipuè qui non diſtinctè quæ oportet, nouerunt.

CAPVT V.

SI animaduertet, qui iuuat morientem, quòd iis quæ ad fidem pertinent, quamuis omnia quæ oportet credat, non tamen explicitè prout tenetur credat: neceſſarium eſt, vt ei in hac etiam parte auxilium ferat. Hoc autem fiet per aliquam expoſitionem articulorum fidei breuem, & captui perſonæ accommodatam, vt ſi dicat ad eum, Dicamus chariſſime frater, vel domine, ſimul Apoſtolorum Symbolum, & illud inchoando, vel ſi videbitur, abſoluendo, vernacula lingua explicet modo paraphraſtico ſingulos articulos, quos Latinè dixerit: vel eos quorũ explicatione magis egebit infirmus. Pro iis qui peritiores alioqui ſunt, vel ſibi videntur & tamen indigere aliqua diſtinctiore cognitione articulorum fidei deprehenduntur, poſſet alius ſumi modus, ſcilicet ſe commendantis Deo, vt dicat, præeunte eo qui iuuat: Commendo me tibi ſancta Trinitas, Pater, Fili & Spiritus ſancte, qui in vnitate ſubſtantiæ vnus & verus es Deus: Commendo me tibi, Pater omnipotens, qui me, imò & cœlum & terram, & omnia viſibilia, & inuiſibilia creaſti. Commẽdo me tibi, Domine IESV CHRISTE, qui

Quomodo iſtruẽdus qui non ſatis explicitè credit q̃ oportet.

Quomodo qui videtur ſibi peritiores inſtruantur, per modũ orationis.

propter me, & generis humani ſalutem, miſſus à Patre æterno in hunc mundum, virtute Spiritus ſancti conceptus, & natus homo es de Maria virgine, paſſus, mortuus & ſepultus, ad inferos deſcendiſti, & liberatis ex eo ſanctis Patribus & aliis electis, reſurrexiſti tertia die, & aſcendiſti cum omnibus, quos de limbo eduxeras in cœlum, & ſedes ad dexteram Patris, inde venturus in die iudicij ad omnes homines (qui tunc reſurgent in corporibus ſuis) ſimul iudicandos, vt illis, qui in gratia tua mortui fuerint, vitam æternam dones, & eos qui in peccatis mortalibus, ſine pœnitentia deceſſerint, in ſupplicium æternum condemnes. Commendo me tibi Spiritus ſancte, qui ex Patre & Filio procedis, quem cum Patre & Filio ſimul adoro & glorifico, qui viuificas vnam ſanctam, Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, in qua ſeptem ſancta Sacramenta ad peccata remittenda, & ad gratiam tuam hominibus per ea conferendam conſtituiſti: & ſupplex à te peto, per Ieſum Chriſtum ſummum mediatorem noſtrum, per beatiſſimam eius matrem, per Angelos & ſanctos tuos, vt me ad beatitudinem quam tuis electis præparaſti, ſimul

ſimul cum Patre & Filio perducere digneris, Amen. Idem per modum oblationis fieri poſſet, vt Offero me tibi ſanctiſſima Trinitas, Pater, Fili, & ſpiritus ſancte, &c. vt ſuprà. Poſſet & modus obſecrationis addi hac oratione: Miſerere mei ſanctiſſima Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus ſancte, vnus Deus, propter bonitatem infinitam, qua per verbum increatum, omnia viſibilia & inuiſibilia creaſti, &c. qua perditum genus humanum redemiſti per verbum incarnatum, &c. qua Eccleſiam ſanctificaſti per Spiritum ſanctum, &c.

Quomodo p modum oblationis. *Per modum obſecrationis.*

Poſſet hoc fieri & per modum gratiarum actionis, vt ſi quis diceret: Gratias ago tibi Deus omnipotens, Pater, Fili & Spiritus ſancte, trinus & vnus Deus, qui me & vniuerſa creaſti: gratias ago tibi fili Dei altiſſime Ieſu Chriſte, qui pro me & toto genere humano, homo factus es: & ſic incarnationis myſteria proſequi poterit, & de ſancta Eccleſia & Sacramentis, remiſſione peccatorum, carnis reſurrectione, & vita æterna.

Quomodo iſtruitur per modum actionis gratiarum.

Poſſet idem fieri & per modum erigendi ægrotum in ſpem, dicendo vt memor ſit qualem habeat patrem, per creationem

Quomodo p modum erigẽdi ſpẽ.

tionem & adoptionem, & ita explicabit aliquid de articulis diuinitatis, & qualem habeat redemptorem, ſcilicet Ieſum Chriſtum, & ſic explicare poterit myſteria incarnationis: & qualem conſolatorem, & ſic explicabit, quæ de Spiritu ſancto, & eius effectibus reliqua pars ſymboli continet.

Idem per modum ponderationis. Poſſet & teneri alia via quaſi ponderationis, vt ſi diceret ægroto, Frater memor eſto Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, qui dedit tibi & rebus omnibus eſſe, virtutem, & omne bonum, qui creator eſt cœli & terræ & vniuerſi: memor eſto Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui pro te, & toto genere humano, cùm eſſet verbum Patri coæternum, & coæquale, homo fieri voluit, & ſic de reliquis articulis: & aduerte, quòd quamuis ægrotus ſciat explicitè articulos fidei, quantum ſatis eſt, quia tamen exercere actum fidei meritorium & ſanctum eſt, & quia *fides eſt ſubſtantia rerum ſperandarum*, aliqua ex præcedentibus opportunè cum ægroto tractentur, variando modum in proponendo; & nunc hoc, nunc illo vtendo.

Heb. 11.

Quomo

Quomodo ſit ſpes erigenda & exercenda.

CAPVT VI.

QVi iuuat morientem, circa ſpem tripliciter procedere poteſt cum eo, ſecundum quod triplex eſt ægrotãtis diſpoſitio circa illam. Aliqui enim defectu ſpei valde laborãt, ſiue ex complexione timida id accidat, ſiue ex memoria peccatorum multorum & magnorum, ſiue ex dæmonis inſtigatione, qui vt ſanis miſericordiæ Dei ſine iuſtitia, conſiderationem proponit, vt peccare audeant: ita morientibus iuſtitiam ſine miſericordia ob oculos ponit, vt de venia deſperent. Alij contra excedunt in ſpe, vel quia cogitant bona, quæ ſibi egiſſe videntur, & de ſua iuſtitia præſumunt, vel quia ſolum in Dei miſericordiam, & Chriſti meritum oculos coniiciunt, & ſuorum peccatorũ, ac iuſtitiæ Dei obliuiſcuntur, & vt priores erigendi, ita poſteriores dirigendi ſunt, alij ad neutrum videntur extremũ declinare, ſed tamen ad meritum exercitationis ſpei, & conſolationem ipſorum, ſunt in iis quæ ad ſpem pertinent, iuuandi & exercendi. De his modo agetur, de aliis infra loco ſuo.

Triplex diſpoſitio circa ſpẽ.

Cùm autem primarium ſpei obiectū ſit Deus, vt fons & auctor beatitudinis, vt ſpes erigatur & exerceatur, duo nobis curanda ſunt. Alterum eſt, vt in moriente deſiderium excitetur beatitudinis, alterum vt confidentia de ea obtinenda augeatur. Deſiderium excitatur, hæc vel ſimilia dicendo, & magis, vel minus explicando, prout opus eſſe videbitur. Cariſsimè mi, bono animo eſto, iam accedit finis peregrinationis tuæ, & laborum & afflictionum, quibus plena eſt vita præſens, dic cum ſancto Propheta: *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus*, vbi nullam ſenties moleſtiam, nullum dolorem experiêris, quia iuxta eumdem Prophetam: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Et, vt Ioannes ait, *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorū, neque clamor, neque dolor erit vltra, fugiet dolor & gemitus.* Erige oculos mentis ad cæleſtem illam & ſecuriſſimā ciuitatem, vbi nulla iam pericula peccandi, nullæ tentationes mundi, carnis vel dæmonis, ſed victoriæ iucūdiſsimus fructus capietur, quàm libenter cantare velles cum aliis beatis, ô frater, *tranſiuimus*

Quomodo deſiderii beatitudinis excitandum.

Pſal. 121.

Pſal. 90.

Apoc. 21.

mus per ignem & aquam , & eduxiſti *Pſal.65.*
nos in refrigerium. Quàm libenter experieris illud Prophetæ : *Ecce ego declinabo ſuper eos quaſi fluuium pacis.* *Eſa.6.*
Quàm beatum eſt,nulla iam in re offendere oculos diuinæ Maieſtatis , *ſed viuere in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo* *Luc.1.*
omnibus diebus noſtris , id eſt, in tota æternitate ! Cariſſime , *non habemus* *Hebr.13.*
hic ciuitatem permanentem (vt ait Apoſtolus) *ſed futuram inquirimus* , ſcilicet patriam noſtram Hieruſalem cæleſtem , ciuitatem pulcherrimam , ſpacioſiſſimam , amœniſſimam. Dic cum Propheta : *Stantes erant pedes noſtri* *Pſal.121.*
in atriis tuis Hieruſalem. Dic cum eodem : *Quàm dilecta tabernacula tua,* *Pſal.83.*
Domine virtutum , concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini : quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia. O quàm gaudebis,cùm in ea inueneris ciues tam amabiles , tam nobiles , tantæ dignitatis , tantæ opulentiæ! ideo dicitur:Regnum cælorum,quia ſinguli ſunt Reges , iuxta illud Apocalyp.
Feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacer- *Apoc.5.*
dotes , & regnabimus ſuper terram : non ſuper iſtam terram , vbi reges ad breue tempus , & cum magna ſollicitudine &

laboribus regnant, ſed ſuper terram viuentium, vbi ſumma quies, vbi vita eſt perfecta, vbi mors exulat in ſempiternum, vbi omnes ſunt filij Dei, *& ſi Filij & hæredes:* quàm iucundum erit verſari cum ſocietate tam numeroſa, id eſt, cum Angelis & ſanctis omnibus, ſapientia ac virtutibus ſplendidiſſimis, tanta caritate ſe inuicem diligentibus vt propter eam ſinguli, omnium aliorum bonis, tamquam propriis fruantur.

Rom. 8.

Ne ſis ſollicitus, ſi corpuſculum hoc conſumitur, quia ſeminatur per mortem in terra, vt reſurgat ſuo tempore victurum in cælo Empyreo, ſed multo melius diſpoſitum, quàm modò eſt; nam (vt inquit Apoſt.) *ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale,* ſurget ſpirituale. Et declarari poſſunt hæc, vt videbitur & diuidi. Rurſus dici poteſt (ſed magis iis qui prudentiores ſunt, & eruditiores) cariſſime, à tenebris ignorantiæ huius mundi, ad ipſam lucem veritatis, & hominibus, dum hic viuunt, abſconditam pergis. *Non videbit me homo & viuet,* dicit Dominus de viuẽtibus

1. Cor. 15.

Exo. 33.

in vita mortali, de quibus etiam ait Apoſtolus, *Quod Deus lucem habitat inacceſſibilem*, ſed iis, qui ad cæleſtem vitam perueniunt, æternam ſuam veritatem, & infinitam pulchritudinem facie ad faciem Deus oſtendit, & tantum bonum eſt illam videre, vt ſatis ſit ad beatos in perpetuum faciendos, tam homines, quàm ſpiritus Angelicos, ea viſio. Vnde Chriſtus ait, *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolùm verum Deū, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.* Sed cum hac viſione ſummi viri & ſummi pulchri coniuncta eſt fruitio ſummi boni, & poſſeſſio in æternum duratura ſummæ iucunditatis, vnde Eſaias, & poſt illum Paulus ait, *Quòd nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit*, ſcilicet & fœlicitatis quāta ſit magnitudo, *quam præparauit Deus diligentibus ſe:* Quam vt poteſt, deſcribens Prophta, ait: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ.* Dic ergo cariſſime, cum Dauide, *Sicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei?*

1. Tim. 6. *Ioan. 17.* *Eſa. 64.* *1. Cor. 2.* *Pſal. 35.* *Pſal. 41.*

Pſal.119. & cum eodem, *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt:* & cum Paulo, *Cu-*
Philip. 1. *pio diſſolui, & eſſe cum* CHRISTO, &c. nec omnia omnibus ſimul, ſed ex his aliqua quæ videbuntur, dicenda ſunt, & paulatim, & vernacula, vt latina lingua, prout moriens melius intelliget, vel prout eidem gratius erit, & iuuanti commodius.

De iis quæ ad confidentiam firmam adiuuant.

Quod attinet ad confidentiam de obtinenda beatitudine, & mediis, quæ ad eam ducunt, ſcilicet gratia, virtutibus, & meritis, qui iuuat morientem tripli-ci vti poterit via. Vna exhortando ad eas bonas operationes, quæ poſſunt ab ægrotante in eo ſtatu præſtari, cuiuſmodi ſunt eleemoſynæ in vſum pauperum & piorum operum, vt ſuperius dictum eſt, vel viuente ipſo (quod magis optandum eſt, ſi commodè fieri poteſt) larga manu donatæ, vel teſtamento, aut codicillo ſaltem relictæ. Diſcretione tamen vtatur, qui iuuat morientem, ne quid ſuadeat, quod ſecundum rationem & cum ædificatione fieri nequeat. Actiones etiam interiores, exercentes fidem, & ſpem & caritatem, & ſimul contritionem (de quibus in præcedente, & hoc & ſequente capitulo agimus) multum

conferunt ad confidentiam augendam, imo, & caritatem, ſi ſeriò & cum affectu fiant, vt morte vicina fieri à quibuſdam ſolet.

Alia eſt via, conſiderationis, cùm ea proponit, qui iuuat morientem, quæ apta ſunt ad erigendum, & roborandum affectum fiduciæ, & ægrotus adniti debet, vt præeuntem, ſaltem mente ſequatur. Proponere ergo poteſt hæc & ſimilia ad hunc modum, Cariſsime N. ſi valde amabilis: & deſiderabilis eſt tibi gloria beatorum, erigere in confidentiam eius obtinendæ, nec vires tuas debiles conſideres, ſed audi Pſalmiſtam dicentem: *Viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Scito quòd Deus, *cuius eſt dare gratiam, & gloriam,* tibi vult eam conferre, quia bonitas eſt infinita, & per ſuammet naturam ſui diffuſiua, & communicatiua ſuæ beatitudinis, & tantæ generoſitatis ac nobilitatis eſt, vt libentius det magna, quàm parua. Adde, quod amat te, vt artifex amat ſuum opus, imo, vt pater filium ſuum, cuius bonum magis deſiderat, quàm ipſe filius. Vnde tu non tam ardenter deſideras beatitudinem obtinere, quàm Deus deſiderat eam tibi dare,

Per conſiderationem ſpes excitatur, primum bonitatis Dei.

Pſal. 20.

Pſal. 81.

quare

quare ergo non cõfides te obtenturum? Ad hoc vt eſſes beatus è nihilo creauit te; & vt perditum à primis parentibus ius regni cælorum recuperares per mortē vnigeniti filij ſui in baptiſmo adoptauit te, & cùm propter peccata propria illud ius ſæpe perdideris, per gratiā contritionis & ſacramentum pœnitentiæ, in virtute ſanguinis Chriſti, ſæpe in priſtinum ſtatum reſtituit te, vt ſis filius, & hæres regni ſui: ſi te fugientem, & contemnentem ſe, tot modis quæſiuit: vt ab ipſo, id eſt, ſummo bono non excideres, quanto magis cupientem, & quærētem, ad illud promouebit?

Secundo, meritorũ Christi. Verte rurſus oculos cariſſime frater, ad Ieſum Chriſtum, Dominum noſtrum, & conſidera ea, quæ pro te agere & pati triginta tribus annis dignatus eſt, & quòd propter diuinæ perſonæ dignitatem infinitam, & propter excellentiſſimæ gratiæ, caritatis, obedientiæ, & patientiæ perfectionem, excedit eorum valor omnia creata bona, tam temporalia, quàm perpetua, quæ omnibus & ſingulis hominibus conferri poſſunt, & tamen iuſtum eſt, vt tanto pretio pro nobis ſoluto fructus noſtræ ſalutis reſpondeat: ipſe autem eſt, ad quem pertinet

beati

beatitudinem tibi donare, qui tantopere te amauit, & beatum facere concupiuit, vt propter id factus ſit homo, propter id mortuus ſit in cruce, propter idipſum in cibum in Euchariſtia ſe tibi tradiderit, vt ſicut tibi in hac vita ſe dat velatum ad meritũ, ita in vita æterna ſe tibi det reuelatum ad gloriam. Quomodo ergo talis frater, te non cohęredẽ faciat, qui ſic exinanitus, & pauper pro te factus eſt? talis amicus, qui pro te nihil petente dedit vitam ſuam, te ſupplicem, & ab ipſo beatitudinem cum fiducia petentem, non exaudiet?

Vide etiam cariſſime, quàm multos interceſſores habeas apud Deum, quantæ auctoritatis apud ipſum, quàm tibi beneuolos, in primis Beatam eius Matrem, quæ eſt fœlix cæli porta, & ſi dum viueres tibi fuit mater gratię, mater miſericordiæ, vt non excideres à ſummo bono propter peccata, ſed ad illud per diuina auxilia promouereris, multò magis in hac hora tibi erit propitia. Dic ergo illi; *Eia ergo aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte, & Ieſum benedictum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exilium oſtende*, & quæ ſequũtur. Omnes hierarchias & ordines

Tertiò, tot interceſſorũ, Mariæ, Angelorum, & Sãctorũ.

dines

dines cæleſtes, & peculiariter Angelum tuum cuſtodem, tibi adeſſe intellige, pete & dic: Omnes Sancti beatorum ſpirituum ordines, intercedite pro me. Omnes Sancti, & illi præcipuè, qui tibi viuenti patroni fuerunt, in tẽpore opportuno, quale hoc eſt, non tibi deerũt, pete eorum ex animo auxilium, & dic: Omnes Sancti & Sãctæ Dei, intercedite pro me, qui apud patrem amantiſſimum, & ſuapte natura benigniſſimum, & optimum, tam multos aduocatos habes, bono animo eſſe debes, Hæc vtilia etiam erunt ad diffidentes erigendos, de quibus infra.

Per orationem ſpes excitatur. Alia eſt via ad ſpem excitandam, ſcilicet orationum, quæ breues formari debent ex ſcripturis deſumptæ, vel deriuatæ, vt præeunte eo, qui iuuat, ſequatur ægrotus, ore ſimul & corde, vel ſaltem corde, quales ſunt, quæ ſequuntur: Pater ſancte, qui creaſti me, ad te, inquietum eſt cor meum, donec perueniat ad te: ducas me precor, licet propter peccata indigniſſimum, ad te vltimum & fœliciſſimum finem meum, per infinitam miſericordiam tuam.

Pater, qui me figmentum manuum tuarum, in gratiam vnigeniti filij tui adopta

adoptaſti, & eius cohæredem eſſe voluiſti, quamuis propter peccata mea indigniſſimus factus ſim tanto bono, fac mecum ſecundum diuitias bonitatis tuę, & per eumdem Dominum Ieſum Chriſtum deduc me ad confitendum nomini tuo in ſempiternum.

Pater, qui vt ſeruum redimeres, vnigenitum filium tuum dediſti, & in eo peccata noſtra puniuiſti, miſerere mei, & ne permittas ab vltimo me fine excidere, nec pereat in me tantum pretium, quo redemiſti me, ſanguinis ſcilicet & vitæ filij tui dilectiſſimi Domini noſtri Ieſu Chriſti.

In te Domine ſperaui non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me. *Pſal. 30.* In Domino meo Ieſu Chriſto, *qui factus eſt mihi iuſtitia, ſanctificatio & redemptio*, *1. Cor. 1.* ſalua me & ad te videndum deducere digneris.

Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? ſpera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi ſalutare vultus mei & Deus meus. *Pſal. 41.*

Beati, qui habitant in domo tua Domine, *Pſal. 83.* in ſecula ſeculorum laudabunt te: deduc me, Bonitas infinita, ad locum, vbi te perpetuò laudare, & de tam mul-

tis ma

tis magníſque beneficiis agere dignè gratias in ſempiternum poſſim.

Domine Ieſu Chriſte, qui doloribus & afflictionibus, mihi debitis, animam & corpus tuum ſacratiſſimum impleuiſti, vt bonis æternis, & fœlicitate debita, animum & corpus meum impleres, tu dixiſti, *Ego ſum reſurrectio & vita, & qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet, & qui viuit & credit in me, non morietur in æternum*, credo in te per miſericordiam tuam, & *ſpero videre bona tua in terra viuentium*, adiuua me per temetipſum Deus meus.

Ioan. 11. *Pſal. 26.*

Pſal. 5. *Introibo in domum tuam, adorabo ad ſanctum templum tuum, & confitebor nomini tuo*, te deducente, Domine Ieſu Chriſte, & ad temetipſum perducente, qui es via, veritas & vita noſtra.

Pſal. 15. *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris es mihi, ne commouear, propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe, quoniam non relinques animam meam in inferno: notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vſque in finem.*

Vt

Vt etiam cum ſpe contritio miſcea-tur poſſent dici ſequentes verſus. *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam. Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* & infra. *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata. Auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.*

Quomodo ſpei miſcēda eſt contritio.

Pſal. 50.

Ad reparanda etiam mala, ſibi & proximis illata, & bona amiſſa, vel omiſſa, vel imperfectè acta, poſſet ſequentes dicere, quas voce vel ſaltem animo ſequatur ægrotus interpolatim, vel vt opportunius videbitur. Domine Ieſu Chriſte, reparator meus es tu, inſtaura

Spes extenditur ad reparationē vitæ anteactæ.

ergo quæſo, quæ ego deſtruxi in me ipſo, abutendo donis tuis ingratiſſimè contra te: & in proximis, malo exemplo, verbis, & actionibus meis ipſum offendens, repara quæſo detrimēta vitæ meæ, quam heu nimis inutiliter & malè tranſegi, amittendo dona tua, & omittendo, quæ agere ad profectum meum, & proximorum debui: ſed tu de theſauro tuo inexhauſto reſarcire potes omnia hæc damna: ſupple etiam amantiſſimè Domine Ieſu, imperfectionem actionum mearum, quæ propter tepiditatem meam, & admixtionem vanitatis & aliarum mearum imperfectionum, ex parte mea exigui ſunt valoris, & meriti, niſi de tua plenitudine earum defectum ſuppleueris, coniunge obſecro indigniſſimum obſequium meum cum omnibus, quæ tu egiſti & paſſus es ex tam perfecta caritate & obedientia: & cum diuitiis ſatisfactionum & meritorum dilectionis tuæ, patri æterno illud offerre digneris, vt de tua plenitudine mea paupertas ditetur coram diuina iuſtitia, & bonitate: & ſic aliæ poſſent formari orationes, ſi ſit opus.

Spes extenditur Ad deprecandam etiam pœnam, & pro Indulgentia plenaria ſupplicandum poſſunt

poſſunt dici ſequentes orationes. Pater *ad pœnā* miſericordiarum, & Deus totius conſo- *peccato-* lationis, qui etiam ſerui bona tua diſſi- *rum de-* pantis & nequam miſertus, *omne debitum precādū.* *eius dimiſiſti, quia rogauit te*, ego ſeruus *Mat. 18.* ille nequiſſimus, qui totiens non temporales ſolùm, ſed æternas pœnas commerui, à te tamē ſuppliciter peto, vt propter bonitatem tuam, & propter paſſionem & mortem Domini noſtri Ieſu Chriſti, in *Iſa. 53.* quo omnes noſtras iniquitates poſuiſti, & puniuiſti, condones mihi vniuerſa delicta mea, & pœnas etiam propter eas debitas dimittere digneris.

Domine Ieſu, *cui pater omne iudicium* *Ioan. 5.* *dedit*, qui dixiſti, *Si dimiſeritis homini-* *Matt. 6.* *bus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra*: Ecce ego ex animo dimitto propter te, omnibus, qui me quocumque modo offenderunt: & ſi in multò pluribus me offendiſſent, propter te paratus eſſem eis dimittere. Clementiam ergo tuam precor, vt ſecundum multitudinem miſerationum, & veritatem promiſſionum tuarum, efficaciter applices mihi, ſatisfactionis, quam pro me perſoluiſti, theſaurum, & perfectè dimittas peccata mea, veniam ad omnes culpas & pœnas *Pſal. 141.*

extendendo, vt ex cuſtodia corporis edu-
Pſal. 88. cta anima mea, *citius ad confitendum nomini tuo, & ad miſericordias tuas* in æternum cantandas perueniat: & aliæ eiuſmodi formari poſſent. Quædam ex his, quæ 8. cap. dicuntur, ad ſpei exercitationem, (vt etiam fidei, & caritatis, & contritionis) crucifixi imaginem in manibus habendo, vtiliter dici poterunt.

Quomodo caritas in moriente ſit exercenda & promouenda.

CAPVT VII.

QVOD attinet ad caritatem, ſerio det operam, qui iuuat morientem, vt in ea exerceatur & inflammetur, eſt enim finis & ſumma bonorum omnium, & optima diſpoſitio ad tranſeundum ab hac vita in futuram: imo quia maior, DEO augente, reddi poteſt piis actionibus, ſi intenti ſint, & ad præmium augendum valde conferre, ſeriò in id eſt incumbendum. Primo per modum conſiderationis. Secundo per modum orationis. Tertio per modum exemplorum, ſubiũgendo & admiſcendo, quæ contritionem veram, caritate informatam augeant. Sic ergo morientem alloqui poterit. Chariſſime

Caritas finis & ſumma bonorum omnium.

riſſime N. *lex & prophetæ pendent ex dilectionis præcepto, quo ex toto corde tota anima, tota mente, & totis viribus diligere* D E V M *oportet*, non tantum quia nobis ſummè neceſſarius eſt, & ſummè vtilis, (cùm & noſtrum eſſe, & benè eſſe, ac tota beatitudo noſtra, & eorum, quos amamus, ex ipſo pendeant) ſed multò magis amore puro diligendus nobis eſt, gaudendo de ipſius omnipotentia, ſapientia, bonitate, & fœlicitate infinita, & optando, vt omnes homines eum cognoſcant, honorent, obediant, & diligant eum: & id in primis propter ſuam abſolutiſſimam perfectionem, & bonitatem, ob quam digniſſimus eſt amore. Dic quæſo, Si homo aliquis, omnium hominum perfectiones, & excellentias in ſe haberet, id eſt, omnem ſapientiam, virtutem, pulchritudinem, nobilitatem, bonitatem, ac fœlicitatem, quanto dignus eſſet amore? At certè in D E O non tantùm hæ perfectiones, & omnium aliarum rerum viſibilium, aut etiam Angelicorum ſpirituum inuiſibilium (quæ ſine comparatione maiores ſunt) inueniuntur, ſed ipſe eſt omnibus aliis fons totius ſapientiæ, virtutis, pulchritudinis, ſuauitatis,

Caritas inflāmatur per modum cōſiderationis.

Mat. 22.

Deus cur diligēdus

nobilitatis, bonitatis, & fœlicitatis, & omnium perfectionum, & excedit omnia ſimul in infinitum, ita vt omnium creaturarum ſapientia bonitas decor, & reliquæ perfectiones, quæ ipſas reddunt amabiles, ſi cum diuinis comparentur, velut nihilum ſint reputandæ. Quæ enim eſt comparatio finiti ad infinitum? quantum ergo debemus amare DEVM, propter ſeipſum, cuius perfectionis immenſæ vel ſola viſio beatos homines & Angelos facit?

Propter præuenientem eius dilectionem.

Secundo, diligendus eſt propter eius caritatem præuenientem, *quoniam ipſe prior dilexit nos*, & quidem affectu ſine comparatione maiore, quàm vllus pater ſuum filium, vel vllus amicus ſuum amicum, vel vllus ſponſus ſuam ſponſam, ideò iis nominibus *Patris*, *Amici*, & *Sponſi*, vocari voluit, vt ex nominibus, quæ ardentiſſimam inter homines dilectionem ſignificant, quanta ſit eius in nos dilectio aliquo modo intelligamus. Si ergo amor cuiuſuis, qui te amaret, ad redamandum obligaret, & ſi eſſet magnæ dignitatis, vt Rex aliquis, vel Pontifex, magis adhuc à te redamari deberet: qua quæſo caritate DEVM diligere debes, *qui perpetua caritate dilexit*

1. Ioan. 3. Matt. 9. Ioan. 3. Matt. 6. Hier. 31.

dilexit te? certè ſi propter ipſius bonitatem amare pigebat tantæ perfectionis Deum, ne pigeat eum redamare tanta te dilectione præuenientem.

Tertiò, diligendus eſt, propter beneficia, quæ etiam beſtias ad redamandum cogere ſolent, vt de leonibus legimus, & de aliis quotidie videmus. Conſidera beneficia naturæ. Certè à Deo accepiſti eſſe tuum & vitam quam habes, qui parentibus tuis virtutem ad corpus tuum generandum dedit: & ipſe animam tuam ad imaginem ſanctiſſimæ Trinitatis, memoria, intellectu, & voluntate præditam, & beatitudinis æternæ capacem creauit. Si oculi tui, ſi auditus, ſi reliqui ſenſus, ſi omnia corporis membra, ſi creaturæ aliæ, quas in cibum, & potum, & veſtimentum, & habitationem & alias commoditates tuas & auxilia, tibi dedit, grata & amabilia fuerunt: ſi cœlum ipſum & Angelorum miniſteria tantùm tibi vtilitatis & honoris tribuerunt, quantùm debes amare illum qui tibi omnia gratis donauit ex amore puriſſimo, quo te dilexit, nullam ſuam vtilitatem à te expectando, ſed tantùm amoris compenſationem requirendo? *Propter beneficia naturæ, vel creationis.*

Propter beneficia gratiæ, maiorem *Propter*

beneficia gratiæ, vel redemptionis. etiam debes DEO gratitudinem: cùm pater æternus, vt te ſeruum redimeret, ſuum filium vnigenitum dederit, & quidem, vt te à morte æterna liberaret, mortis acerbiſſimam pœnam ſubire ipſum voluerit: filius etiam ipſe, *vt te ouem perditam ad cœlum humeris ſuis reduceret, humiliauit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, & laborans, vſque ad mortem crucis*, vt eius inopia & doloribus tu diues & beatus eſſes. Spiritus ſanctus te inhabitare dignatus eſt, & tam multis peccatis per gratiam ſuam expulſis, te donis ſuis & chariſmatibus pretioſiſſimis ornare voluit: & nunc in vltima vitæ tuæ parte, tempus & commoditatem te præparandi ad hunc tranſitum dedit, nec ſubita morte te occupari permiſit. Vnde gratias agere ex animo debes.

Luc. 15. *Phil. 2.*

Propter beneficia glorificationis. Propter beneficia gloriæ tibi præparatæ, quantum debes diligere DEVM? qui te conſortem regni ſui & fœlicitatis æternæ, vt filium & hæredem, imò vt ſponſam eſſe vult, vbi bona percipias, *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt?* & certè ſi beneficia hæc ſunt magna, modus conferendi, & caritas, qua conferuntur,

Iſ. 64. *2. Cor. 2.*

runtur, ipſis beneficiis maiora ſunt, & magis te ad redamandum obligant.

Per modum orationis poteſt & idem amor accendi, dicendo aliquid ex ſcripturis ſanctis excerptum, vel aliter, quale illud eſt; Domine tu dixiſti, *Diliges Dominum* DEVM *tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & tota mente tua, & totis viribus tuis*, auge ergo gratiam tuam auge caritatem in me, vt ſicut tu vis diligi à me, & ego cupio diligere te, ſic te diligam & quod in hac vita perfectè implere non poſſum, in æterna implere, te concedente, valeam. *Charitas per modũ orationis inflammanda.* *Mat. 22.*

Quid mihi eſt in cœlo, & à te quid volui ſuper terram. Pater cœleſtis? *defecit caro mea & cor meum*, DEVS *cordis mei, & pars mea* DEVS *in æternum*, Da mihi obſecro, vt non tantùm ſuper omnia diligam te, ſed omnia in te, & propter te, & ſecundum te diligam, *& ſis mihi tu omnia in omnibus*, & in hac vita, & in æterna. *Pſal. 72.* *1. Cor. 15.*

Quis mihi tribuat, vt perfectè diligam te, bonitas infinita? quando occupabis totum cor meum? quando totus ero tuus, ſicut totum me tibi multis modis debeo? veniat iam, quæſo, illa hora, qua totum me poſſidere digneris, & to-

tum cor meum tibi ego præbere poſſim.

Hier.31. DOMINE IESV CHRISTE, qui perpetua caritate dilexiſti me, qua cùm non eſſem, creaſti me: qua cùm perditus eſſem. reparaſti me: qua cùm totiens propria culpa periiſſem, ad gratiæ vitam reſuſcitaſti me: qua te ipſum totum dediſti mihi: ſi me totum totiens debeo pro me, quid debeo tibi pro te, qui in innitum melior es me? adde hoc beneficiis tuis DEVS meus, vt ſine modo, & puriſſimo amore diligam te nunc, & in ſempiternum.

Spiritus Sancte, qui amores & donum immenſum Patris, & Filij, qui per chariſmata tua nos inhabitare, & teipſum nobis donare dignaris, auge in me, obſecro puriſſimam, & ex totis viribus, ac tota fortitudine, tui dilectionem in hac vita, quæ conſummetur, & perficiatur in æterna.

Congaudeo, & congratulor ſuper adoranda, & ſuperamanda Trinitas, de infinita magnitudine perfectionis, pulchritudinis, ſapientiæ, poteſtatis, & completiſſimæ fœlicitatis tuæ, & eam incomparabiliter pluris, quàm meam & omnium creaturarũ fœlicitatẽ ęſtimo: & vt puriſſimũ hunc tui amorẽ in hoc exilio

lio augeas, & in patria perficias, obſecro.

Per modum exempli aliqua præterea dici ad hunc finem poſſunt, vt de Beato Ignatio, in cuius corde nomen Ieſu inſculptum inuentum eſt. De Arſenio, qui aliquando totus quaſi ignis, exterius, ob ardorem interioris caritatis, conſpectus eſt. De Beato Paulo, qui transformatus, per amorem, in Chriſtum, dicit, *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* De Beato Antonio, qui cùm noctem in oratione ardentiſſima tranſegiſſet, Soli iam orienti conquerens, dixit, Quid, ô Sol, à veri luminis contemplatione me impedis? Beatus Franciſcus per ardentiſſimum amorem crucifixi Domini Noſtri IESV CHRISTI, ſtigmata eius in pedibus, manibus, & latere habuit, à Seraphim impreſſa. Inuento etiam Ioanne de Rusbroech ſub arbore, ardere arbor ipſa viſa eſt, propter ardorem cordis eius in amore Dei.

Charitas per modum exépli acenditur.

Galat. 2.

Dionyſ. Cartuſ.

Sed actus compunctionis ex hoc affectu amoris deduci oportunè poterunt ad hũc modum. Heu me infœlicem peccatorem, qui tantam bonitatem, tantam maieſtatem Dei mei, totiens rebus creatis & vilibus poſthabui. Hei mihi, qui, cui debui totis viribus meis placere, venerari,

Actus cõpunctionis ex affectu amoris deducendi.

nerari, & obedire, eum potius offendi, contempſi, & mandatorum eius præuaricator fui, Condona mihi tantam peruerſitatem meam DEVS meus ſecundum magnam miſericordiam tuam.

Pater amantiſſime, qui præueniſti me in benedictionibus dulcedinis, qui abiiciendum & vilem peccatorem ſic amaſti & honoraſti, ego ſum ille ingratiſſimus & omnibus pœnis digniſſimus peccator, qui talem patrem, talem amatorem talem benefactorem, totiens & tam grauiter offendi: condona mihi, obſecro, per mediatoris & Domini noſtri Ieſu Chriſti obedientiam & caritatem, omnia de-
Pſal. 50. licta mea: *amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccatis meis munda me.* Pater miſericordiarum, miſericordiam fac huic pauperculæ creaturæ, & figmento manuum tuarum, adiuua me in hac vltima neceſſitate, ſuccurre animæ egenti & deſolatæ, ne à malignis ſpiritibus à te abſtrahatur.

Domine IESV CHRISTE, vt mundares animam meam, & lauares eam à peccatis, ſanguinem tuum effundere dignatus es: ego tamen infœlix & miſer nimis peccator, ſtolam illam puritatis in baptiſmo acceptam, multis modis macu

maculaui, & heu me, pro tanta tua in me caritate, & beneficentia, multiplices offenſas ingratiſſimè retribui: ſed bonitas tua, præſtabilis ſuper malitia mea, condonet mihi, precor, vniuerſa delicta: applica mihi, quæſo, efficaciter pretioſiſſimam mortem tuam, & plene ſatisfacere pro ſeruulo tuo, qui in te confidit, dignare, & in electorum tuorum numerum me recipi iube.

Regina cœli, miſericordiæ mater, refugium peccatorum, reconcilia me, quęſo, vnigenito filio tuo, eius clementiam pro me interpellans, vt ob tui amorem mea remittat peccata, & in ſuam gloriam perducat.

Spiritus cœleſtes, Angeli beatiſſimi, & tu præcipuè cuſtos meus, aſſiſtite mihi migranti ab hoc ſeculo, & ab inſidiis aduerſariorum eripite, & vt in veſtrum conſortium admittar, adiuuate. Sic ad ſanctos, & eos præcipue, erga quos maiorem habuit deuotionem, ſe conuertat, &c.

Quid facto opus, cùm quis ad iuuandum morientem aduocatur, à quo iam omnia neceſſaria facta eſſe perhibentur.

CAPVT VIII.

HACTE

HACTENVS dictum eſt, quomodo ſe habere debeat, qui ad eos, qui moriuntur iuuandos, ab initio vocatur, vel certè cùm aliqua de neceſſariis agenda ſuperſunt: ſed aliquando aliqui accerſuntur, ad iuuandum eum, qui iam Sacramentis ſuſceptis, & teſtamento condito, vellet nihilominus ad bonum tranſitum in futuri ſeculi vitam ſe magis diſponere, vel alij ad hoc ipſum Sacerdotem noſtrum euocant. Tunc ergo, ſi compos mentis eſt ægrotus, poſt amantem ſalutationem, Euangelium illi aliquod, vt ſuperius dictum eſt, recitare poteſt, vt Marc. vlt. *Recumbentibus vndecim Diſcipulis.* Et orationem pro infirmis, cum impoſitione manuum. Et poſtea ad quatuor intentio iuuantis dirigatur. Primum eſt, vt ſi quid de neceſſariis omiſſum eſt, ſuppleat. Secundum, vt promoueat ægrotantem, in iis, quæ ad Contritionem, & Fidei, & Spei, & Caritatis exercitationem, & conſequentem conſolationem & profectum pertinent. Tertium vt animæ commendationem piè faciat. Quartum etiam aliquando addi poſſet, vt ad aſſiſtentium ædificationem aliquid dicat.

Mar. 16.

Ad quatuor dirigenda eſt intentio iuuantis morientem.

Quod

Quod ad primum attinet, ſcilicet ad ſupplendum, ſi quid deeſſet, ſemotis arbitris petat, vt in fine quarti capituli attingitur, an pacata ſit eius conſcientia, an aliqua in re maiorem adhuc quietem & ſatisfactionem requirat. Si dixerit aliquid eſſe, audiat & prouideat: ſi non diceret, & nihilominus probabiliter timeri poſſet, quòd aliquo ſupplemento opus eſſet, de ſequentibus poſſet cum dexteritate interrogare. Primò, an aliquid memoriæ occurrat, quod non ſatis explicitè ſit confeſſus, & ſi id agnoſcit, per reconciliationem ſuppleri facilè poſſet. *Quomodo ſupplendum ſit, quod omiſſum creditur.*

Secundò, an aliquid conſcientiam grauet, ratione reſtitutionis rei, vel famæ: & ſi recordatur tale aliquid, & ſuppetet tempus, & facultas, curandum eſt vt id ſtatim fiat, vel ſi id commodè fieri non poteſt, ſaltem conſtituatur modus, quo certò & citò, quantum fieri poterit, id fiat, vt non relinquatur id teſtamentariis exequendum, (qui ſæpe tardiores ſunt, quàm conueniat) quod viuente infirmo peragi poteſt: ſi deeſt facultas, proponat, ſi DEVS vitam dederit, cùm primum ea dabitur, facere quod debet: ſi deeſt tempus, non facul-

tas,in

tas, in teſtamento vel codicillo, quàm poterit, accuratè, prouideat indemnitati creditorum, & vt quàm citò fieri queat, illis ſatisfiat.

Tertio interroget, an proſpexerit liberis (ſi quos habet) & præſertim fœminis, vel cuicumque curæ, aut adminiſtrationi, quam habeat, publicæ vel priuatæ & ante ingreſſum ad ægrotum debet (ſi fieri poteſt) informationem capere, an tale aliquod munus ei incumbat, & de aliis, quæ poterit, & ad rem faciunt, ſibi ignotis, vt ſine cauſa non ſit infirmo per interrogationes moleſtus. Et ſi aliquid prouidendum eſt, vel per adhibitam aliquam diligentiam, dum ægrotus viuit, vel per codicillum additum teſtamento, curet fieri.

Quomodo iuuandus qui verſatus eſt in rebus ſpiritualibus.

Quod ad ſecundum attinet, ſi is qui moritur, in meditationibus exercitatus eſt, & ſponte ſua aliquid tacens meditari, vel orare videtur, & ideo, quòd vir ſpiritualis ſit, probabiliter exiſtimatur, ſalubriter ipſum orare aut meditari, permittendus eſt ſibi ad tempus, & in ſilentio ſimilibus orationibus iuuandus: quia tamen in illa virium animæ & corporis imbecillitate dubitari poteſt, an meditationi dare operam, vt opor

oportet, poſſit, interrogare ab eo blandè expediet, an malit per ſe orare, an adiuuari ab eo, qui adeſt ipſi. Imò licet dicat ſe orare, expedit aliquando (ſi dubitatur de aliqua illuſione, vel tentatione) petere, quomodo ſe habeat & quid mente reuoluat, vt probetur, ſi rectè, vel dirigatur & iuuetur, ſi minus rectè aliquid in mente tractat. Si autem (vt ferè ſolet accidere) ſuggerendum erit ægroto aliquid, quod meditetur, vel oret? valde vtiliter ei poſſe ſuggeri videtur, aliquod dictum CHRISTI, quale illud eſt Matt. 11. *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos*, vel aliquod myſterium paſſionis Domini (præſertim quod ipſe cum ſpirituali guſtu meditari ſit ſolitus) & præcipuè Crucis, vt defigatur intellectus in iis tormentis, & morte amariſſima meditanda, quam Filius DEI pro ipſius ſalute, tãta cum caritate paſſus eſt. Et affectus excitetur ad dolorem ſuorum peccatorum, quæ ſic in Chriſto puniuntur, & ſimul ad ſpem veniæ, cum profuſo ſanguine Agni immaculati ſe ablutum intelligit, & ad confidentiam beatitudinis conſequendæ, cùm Chriſtum repletum aſpicit doloribus, vt ſibi æternæ

Quid ſuggerẽdum ſit moriẽti ad meditationem.

R. beati-

beatitudinis gaudia promereatur. Et vt hæc & ſimilia recordetur, cùm ipſum myſterium proponitur, ſuggerẽdum eſt.

Quid agendum, cùm non poteſt meditari, ſed tamẽ intelligit adhuc.

Si non videtur ſic diſpo..tus, vt vtiliter meditari poſſit per ſe, dicentem tamen intelligere, & ſequi etiam ore, vel corde poteſt: expedit, vt qui iuuat, crucifixi imaginem in manibus tenendo, vel præſentem oſtendendo (quod ad exercitationem multum confert) & oſculandam aliquando exhibendo, ſuggerat ægroto, quæ ad quadruplices actus, ſcilicet Contritionis, Fidei, Spei, & Charitatis, dicta ſunt 2. 5. 6. & 7. capite: vel ſi breuius quid placet, vel variare libet, dicantur, præcipuè cum vicinior eſt iam tranſitus, quæ hic ſubdentur, ideſt,

Ad contritionem quid proponendũ, oſtẽſo crucifixo.

ad Contritionem, ad hunc modum. Intuere, cariſſime frater, quàm acerbos dolores & quàm ignominioſam mortem paſſus ſit Dominus Ieſus Chriſtus propter peccata tua: diſplicere certè illa tibi debent plurimum, quæ tam graui remedio indiguerũt. Dicas ergo, DEVS *propitius eſto mihi peccatori*, diſplicet mihi quòd offenderim te DEVS meus, auge tu, quæſo, diſplicentiam hanc meam, & ſupple illam de doloribus tuis. *Miſerere mei ſecundum magnam miſericordiam*

Luc. 18.

Pſal. 50.

diam tuam, & ſimilia.

Ad fidem exercendam, dicat Cariſſi- me recorda e, quòd Dominus IESVS CHRISTVS, cùm eſſet Patri conſubſtantialis, coæternus, & in beatitudine infinita coæqualis, propter te homo factus, hanc, quam vides paſſionem & mortem amariſſimam, in humana natura aſſumpta ſuſtinuit. Dicas ergo, Adoro te, Domine IESV CHRISTE, qui per ſanctam Crucem tuam redemiſti mundum: adoro te Domine IESV DEVS meus & Redemptor meus, qui precioſa morte tua mundum viuificaſti. Poſſet & addere proteſtationem fidei ad hunc modum. Proteſtor coram omni Eccleſia triumphante & militante, quòd firmiter credo, viuo, & morior in fide, quam Sancta mater Eccleſia, Catholica, & Apoſtolica profitetur: & ſi poteſt, dicat Credo in DEVM Patrem omnipotentem. Et ſic proſequatur totum Symbolū, vel ſaltem ſequatur mente præeuntem Sacerdotem, qui illud dicet. *Quid ad fidem.* *Proteſtatio quam moriturus facere debet.*

Ad ſpem excitandam & roborandam, magis adhuc excitandus eſt ad hunc modum. Intuere, cariſſime, imaginem IESV CHRISTI, filij Dei pro te crucifixi, quia non eſt aliud datum *Quid ad ſpem.*

Acto.4. nomen ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri.

Vide qualem erga te dilectionem habuerit filius DEI, qui tantis in tormentis mori voluit, vt per ipſum tu vitam æternam, & beatiſſimam conſequereris.

Eſai. 53. *Eius enim liuore ſanati ſumus, eius ino-*
1. Cor.8. *pia diuites facti,* eius morte fœlices ſemper viuemus.

Vide ſanguinem tam largè fluentem ex manibus, ex pedibus, ex capite, & toto corpore, & demum ex corde ipſius transfixo. Minima gutta huius ſanguinis filij DEI ſufficiebat ad lauanda totius mundi peccata, confide ergo quòd tua lauabit.

Conſidera ſpineam coronam, doloris, & irriſionis inſigne, flagella, quibus ſeruilem in modum fuit cæſus, alapas, & demum Crucis ſupplicium, non ſolum doloris, ſed etiam ignominiæ plenum: hæc omnia paſſus eſt, vt deleret peccata noſtra, & ad honorem & gloriam regni ſui nos promoueret. Confide ergo, cariſſime, quod qui talia pro te tanto cum amore paſſus eſt, non te deſeret in hoc tempore tuæ neceſſitatis. Et ſi Dæmon obiiciet tibi, quòd multum peccaſti, dicas: Dominus meus, & DEVS

meus

meus pro delendis peccatis meis, crucifixus eſt, in quem credo, & in quo confido: ſedet enim ad dexteram Patris interpellans pro me, dum Patri, quæ pro me egit & ſuſtinuit in humana natura, oſtēdit. Et adde, *In te Domine ſperaui, non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me. Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius: ſicut deficit fumus deficiant, & ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei.* & alia huiuſmodi. *Pſal. 30.* *Pſal. 67.*

Ad caritatis actus exercendos dicat. Vide chariſſime, quibus ſignis oſtendit DEI filius, quanti te fecerit, & quantum te dilexerit: *maiorem caritatem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*, vt non ſolùm vitam Chriſtus pro te, ſed inter dolores & ignominias extremas poſuerit, vt hæc imago tibi repræſentat, *à planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas:* & hæc patitur, vt te faciat ſibi ſocium in hæreditate Regni cæleſtis. Dic ergo, *Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi?* certè nihil dignum poſſum retribuere, ſed calicem mortis, pro eius amore libenter amplector, & laudare & gratias habere, & *Quid ad charitatem.* *Ioan. 15.* *Iſai. 1.* *Pſal. 115.*

agere in æternum deſidero.

Commẽdetur ei reſignatio in manus Dei. Hortetur, vt reſignet ſe totum in manus D E I, dicendo, *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, redemiſti me Domine, Deus veritatis.* Tu me creaſti Deus meus, tu me redemiſti, Pater ſanctiſſime, totus ſum tuus, fiat in me voluntas tua. *Illumina oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte.* *Pſal.30. Pſal.12.*

Inuocet Mariam & Angelos, & ſanctos. Hortetur etiam, vt & B. Mariam inuocet in auxiliatricem, dicendo: *Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.* Et alia huiuſmodi. Inuocet etiam Sanctum Michaëlem Archangelum & Angelum cuſtodem, & ſanctum ſuum patronum, & alios, in quibus habere deuotionem eſt ſolitus: & demum Sanctos omnes, vt intercedant pro ipſo, & illum adiuuent ſuis ſuffragiis & meritis.

Quæ legi poſſunt morienti ſi intelligit. Si intelligit, & poteſt attentus eſſe, (præcipuè ſi mors diu protrahitur) legi poteſt Paſſio Domini, ſecundum aliquem ex Euangeliſtis, vt aliqua capita Beati Pauli, præcipuè ex 1. & 2. ad Corinthios, & ex Epiſtola ad Philippenſes, & 2. ad Tim. & ex duobus vltimis cap. Apoc. legendo quæ oportet, & reliqua

omit

omittendo, aliqui Pſalmi, vt, Qui habitat. Quàm dilecta tabernacula tua,& ex pœnitentialibus aliqui, & Litaniæ Nec deſerēdus eſt quàm diu mentis eſt compos, imò in extrema agonia, maiore, quàm vmquam caritate iuuandus eſt, quia Dæmon oppugnare quoſdam ſolet atrociter in eo tranſitu, vt Gregorius ait ſuper illud Luc. 19. *Circundabunt te inimici tui vallo, & coanguſtabunt te vndique.* Cum ſimplicioribus (quamuis etiam cum aliis quibuſlibet) iuuare poſſent hæc breuiora, quæ ſequuntur.

Vt ſcilicet poſtquam exhibuerit oſculandum Crucifixum, præeat ſacerdos,& ægrotus ſequatur ore & corde, vel ſaltē corde, dicendo ad hunc modum. *Quadā breuia, quæ ſimplicioribꝰ cōgruūt, vel aliis etiam.*

Domine Ieſu Chriſte, credo quòd DEVS meus & redemptor meus es tu, quem imago hæc repræſentat:quicquid per Sanctam Eccleſiam catholicam proponis credendum, fideliter, & firmiter credo,& in ea fide proteſtor me velle viuere,& mori.

Domine Ieſu dolet mihi, quod tantā bonitatem offenderim, & dolet, quòd amplius non doleo de offenſis, contra te Creatorem & reparatorem meum ingratiſſimè tā per commiſſionem, quàm

per omiſſionem perpetratis: & humiliter peto mihi cōdonari, per ſanguinem, & vitam tuam, quam pro mea ſalute profudiſti. Et firmiter propono ab eis abſtinere, ſi vixero, & vitam meam emendare. Et ſi quid vel oblitus ſum, vel non cognoſco, quod offenderit Maieſtatem tuam, de eo illuminari cupio, & pœnitere, & conteri, & interim de omnibus veniam peto.

Omnibus, qui me offenderunt, ex corde meo, & libenter omnes offenſas propter te dimitto, & ſi quē ego offendi, precor etiam mihi veniam dari, & ſi aliquid alicuius eſt apud me, quantum teneor, & facultates meæ ſe extendunt, volo ſatisfieri omnibus, quibus ego debeo.

Pſal.15. Spero in diuina tua miſericordia & in hoc ſanguine, quem pro me effudiſti tanta cum caritate, quòd me, licet indignum, ſaluum facies, *& adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Et vt id facias, per ſanctam paſſionem & mortem tuam deprecor.

In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, reſigno in eis voluntatem meam, & ſubiicio illam tuę ſanctiſſimæ voluntati, vt de vita & morte mea

facias

facias ſecundum beneplacitum tuum, tantum vt ego toto te corde & tota anima, & tota mente diligam, laudem & benedicam in æternum.

Si tempus & perſonæ qualitas id feret, plura etiam ex dictis. 5. 6. & 7. capit. adhiberi poſſunt. Aduertatur autem quòd ei qui in agone mortis verſatur, multum cõferet, ſi deuotè roget Deum, vt acceptet omnes orationes, quas pro ipſo facient proximi eius, tam eo extremo tempore vitæ, quàm poſt mortem, in remiſsionem pœnarũ, qu e ipſi in purgatorio eſſent ſubeundæ. Idem de ſacrificiis Miſſarum & eleemoſynis intelligatur, & opportunè in memoriam morienti id redigatur.

De commendatione animæ, &c.

Quod ad tertiũ attinet, ſcilicet animæ commendationem (& idem intellige de aliis, quæ fieri poſſunt ſine ipſo ægroto, vt in penultimo capitulo dicitur) hoc animaduertatur, quòd tunc maximè debet fieri, cùm mors iã vicina imminet, & more Eccleſiæ conſueto fiat. intermiſcenda ſunt tamen aliqua verba (ſi adhuc putatur intelligere aliquid agonizans, licet non poſſit loqui) quale eſt: Dicas, cariſſime frater, Sit nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti benedictum,

Mar. 16. vel illud, *Ieſu fili Dauid miſerere mei*
Pſal. 69. vel illud, *Deus in adiutorium meum intende. Domine Ieſu ad adiuuandum me feſtina.* Et aqua benedicta interdum eſt aſpergendus, præcipuè ſi viſionibus videtur perturbari,& dicatur, vt corde, & ſi poteſt ore, inuocet nomen IESV, & poterit deinde proſequi commendationem animæ.

De quarto, ſcilicet aſſiſtentium ędificatione, videatur capitulum vltimum.

Qua ratione ſit iuuandus qui ex vitæ nimio deſiderio, non ſatis æquo animo moritur, aut acquieſcit diuinæ voluntati.

CAPVT IX.

ALiqui ſunt, quos concutit & affligit plus æquo, mortis timor, partim quod vitam hanc naturaliter diligunt, partim ꝙ eis, quæ in mundo relinquuntur, affectu nimio adhęreant. Et poteſt etiã hoc lõgioris vitæ deſiderium cò vſque pertuenire, vt non æquo animo ferãt, aut aquieſcant diuinæ voluntati, & ſic dum inuiti moriuntur, tria incommoda magna ſubeunt: vnum eſt, quòd eò magis eos torquet ipſa mors, quo magis volun

Incõmoda eorũ qui inuiti moriũtur.

voluntati propriæ repugnat, iuxta illud Sapientis: *O mors! quam amara eſt memoria tua homini, pacem habenti in ſubſtantiis ſuis.* Secundum, quòd eo ſe priuant merito ſingulari, quod ex voluntaria morte, id eſt, cum conformitate ad voluntatem Dei, accepta, habituri erant: imò addunt offenſam, ſi deliberatè repugnant ſua voluntate, voluntati Dei. Tertium, quod ſe non bene diſponunt ad vitam, quæ eſt ſine fine iam ſecutura, dum nimis de temporali hac morte trepidāt, & de pertinentibus ad eam tractare perhorreſcūt. Sunt qui nolint huiuſmodi hominibus ſuū ſignificari periculum, ne contriſtentur, alij etiam vitæ diuturnioris ſpem dare ſolent. Sed profectò nullo modo expedit certam mortem ſecūdum Medicorum ſententiā, vel ſaltem graue periculū eius celare. Quia ſic fit, vt non ſe præparent ſicut oporteret in iis quæ ad propriam animam nec etiam interdū in iis, quæ ad coniunctos & alios pertinent. Expedit ergo magis, prudenti aliquo & ſuaui (quantum fieri poteſt) modo vel mortem imminentem, vel eius graue periculum eis ſignificare, atque animare, vt fortiter ſe gerant, & prudenter ſe ad moriendum præparent.

Eccl. 41.

Non expedit celare infirmos graue periculū mortis.

Si

Si enim Deus vitam prolongare voluerit, nihil nocebit ſe præparaſſe, quod tamen omnino eſt neceſſarium, ſi mors (vt timendum eſt) breui ſuccedat. Si ergo vitæ nimius amort acerbā facit mortem, iuuandus eſt primò orationibus, ſecundo exemplis & auctoritatibus, tertiò rationibus, vt ad moderationem ille reducatur.

Hebr. 9. Prima ratio eſt, quòd ſecundū Apoſt. dictum: *Statutum eſt hominibus ſemel mori*, poſt primorum parentum lapſum: & hac lege nati ſumus, tam magnates, quàm plebei, vt moreremur, iam inde à principio vſque ad finem mundi. Vnde David: *Quis eſt homo qui viuet & non videbit mortem?* Et 2. *Reg.* 14. Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur ſuper terram, quæ non reuertuntur: itaque ſi modo mortem euaderet, tamen breui omnino moriendum eſſet, & tributum hoc mortis perſoluendum, & fortè non tam bonam poſtea ſe diſponendi commoditatem haberet: cùm tota vita præſens, ad id data ſit, vt per eam quaſi peregrinantes, ad veram vitam & æternam, in cælesti patria perueniamus.

Vitæ nimius amor reprimitur rationib⁹

Pſal. 88.

Secunda, conſolari nos in morte debet amor Patris noſtri æterni erga nos, & ſua

& ſuauis eius prouidentia, de qua ſperare oportet, quòd eo tẽpore nos vocat, cùm magis nobis expedit. Vnde illud Sanct. Chryſoſt. quòd boni tunc decedunt ex hac vita, cùm meliores ſunt, mali, cùm minus mali, quàm futuri eſſent, ſi adhuc viuerent. Ideo cũ ipſi placuerit id facere, æquo animo mors eſt ſubeunda: & conuertendo ſermonẽ (ſi videtur) ad ęgrotũ, dici poterit, Chariſſime N. bono animo eſto, amat te Deus, vt opus manuũ ſuarum, ad ſui imaginem factũ, vt filiũ, quẽ adoptauit in Chriſto: non te deſeret, neq; derelinquet, nec niſi ſuo tẽpore vitã tuã abſcindet. Quòd ſi modo te vocat, tibi perſuade, quod id ipſum tibi expediat.

Tertia, quòd fidelibus qui in Domino moriuntur, mors non eſt propriè mors, ſed tranſitus ad meliorem vitã. Vnde in Eccleſ. dicitur: *Melior eſt dies mortis die natiuitatis:* cùm dies quo naſcimur, porta ſit ad mortem, is quo morimur, porta ſit ad vitam perpetuam. Idem Salomon: *Laudaui magis mortuos quàm viuentes.* Et Pſal. *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* Et expreſſius Chriſtus: *Qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, ſed tran*

Eccleſ. 7. *Eccleſ. 4.* *Pſal. 115.* *Ioan. 5.*

tranſit à morte in vitam. Quis ergo fidelis eam mortem perhorreſcere debeat, quæ ad vitam veram via eſt?

Quarta præſentis vitæ miſeria ab ineunte ætate conſidera, & forte diem vnũ ab illis vacuum non inuenies. In exilio enim, & in valle lachrymarũ à Deo poſiti ſumus, vt nos præparemus per pœnitentiam ad veram vitam, quæ æterna & tota felix eſt. Non ergo debemus inique animo ferre, quòd ab exilio in patriam reuocemur: abſit autem, vt ſimus huius mundi ciues, ſed potius dicamus

Hebr.13. cum Apoſt. *Non habemus hic ciuitatem permanentem, ſed futuram inquirimus.* Non ægrè feramus igitur, quod à loco pœnitentiæ & lachrymarum, ad locum,

Eſa.35. *vbi lætitia erit ſempiterna ſuper capita eorum,* iuxta Eſa traducimur.

Tob.2. Quinta, ſi bene Tobias dicit, *filij ſanctorum* (id eſt fidelium) *ſumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus eſt iis, qui fidem ſuam nunquam mutant ab eo:* & tamen tunc temporis fideles non ad cælum, ſed ad limbum poſt mortem ibant: quanto magis nos mortem timere non debemus, cùm aperta iam ſit per Chriſtum cæli porta, id eſt, beatitudo, quæ in Dei viſione conſiſtit?

conſiſtit? vnde potius ſperanda eſt mors vt veræ vitæ initium, quàm timenda, vt huius vitæ terminus: non enim eſt *Deus mortuorum, ſed viuentium, quoniam omnes viuunt ei*, dicit Chriſtus. Ideo & Apoſt. *Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram, &* addit: *Mortui enim eſtis* (ſcilicet in hac vita) *& vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc, & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* *Mat. 22.* *Coloſ. 3.*

Sexta quamdiu hic viuimus, *militia eſt vita hominis ſuper terram*, finis militiæ pax, & ita finis vitæ fidelium requies. Sic in Apoc. dicitur de mortuis: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo enim dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.* Et Sapiens, *Iuſtus ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* *Iob.7.* *Apoc.14* *Sap. 4.*

Libenter ergo cariſſime, *iacta cogitatum tuum in Dominum*, & admitte cum actione gratiarum mortem, quandocumque à Deo immiſſ.. fuerit: licet enim ſit neceſſarium, vt eam ſubeas, ſi tamen id reddes voluntarium de neceſ- *Pſal. 54.*

ſitate

ſitate virtutem faciendo, & vitam tuam offeres ad Dei beneplacitum, acceptabit eam Deus, vt ſacrificium gratiſſimum, & ad inſignem ſatisfactionem pro tuis peccatis, & meritum, & præmiũ tuum.

Nimius timor mortis reprimitur exẽplis, & auctoritatibus. Secundus modus iuuandi timidos eſt per exempla & auctoritatem, vt Chriſti Domini, qui cum naturalem voluntatem partis inferioris explicaſſet, dicendo, *tranſeat à me calix iſte*, voluntate ſuperiore quæ rationem ſequitur, dixit, *Verumtamen non mea, ſed tua voluntas fiat.* *Mat. 26.* Sic & tu cariſſimè frater, licet ſentias horrorem mortis, ſecundum affectum naturæ, conforma voluntatem ſuperiorem cum voluntate Dei, & accepta æquo animo quod illi placet, qui vitam hanc dedit, ſuo arbitrio finiendam, & aliam meliorem vitam & perpetuam donare paratus eſt.

Pſal. 119. Dauid memor illius, quæ verè vita eſt, & præſentis miſerias, & pericula pertæſus, dicebat: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt*, quaſi longum illi videretur tempus exilij.

Beatus Paulus dicebat, *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* *Rom. 7.* Et ex deſiderio viuendi in terra viuen-

viuentium dicebat : *Cupio diſſolui , & eſſe cum Chriſto.* Et iterum : *Mihi viue-re Chriſtus eſt , & mori lucrum : quod ſi viuere in carne hic mihi fructus operis eſt, & quid eligam ignoro , coarctor autem è duobus , deſiderium habens diſſolui , & eſſe cum Chriſto multo magis melius,permanere autem in carne , neceſſarium propter vos.* *Philip. 1.*

S.Praxedes rogauit Deum,vt ſe ab hac vita liberaret , ne tot mala videret , & exaudita eſt.

Sapiens in Eccleſiaſt. dicit : *Melior eſt mors , quàm vita amara.* Idem , *Noli metuere iudicium mortis , memento quæ ante te fuerunt , & quæ ſuperuentura ſunt tibi , hoc iudicium à Domino , omni carni.* *Eccl. 30.* *Eccl. 41.*

Cũ Hilarion à latronibus ſtrictis gladiis peteretur, ſine metu quietus manſit, & cùm minarentur illi , & interrogarent quare mortem non timeret , reſpondit, non eſſe quòd mortem timeret , qui ad eam eſſet paratus.

S. Cyprianus in ſermone de mortalitate : Quis (inquit) anxius eſt de egreſſu ab hac vita , niſi qui in fide dubius eſt, & ſpe vacuus ? Illius eſt mortem timere, qui non vult Chriſti ſocietatem , & eius

eius eſt, talem recuſare ſocietatem, qui non credit, quòd debeat regnare cum Chriſto.

Sed prorſus immemorabiles ſunt, qui lætiſſimo animo mortem ſubeunt, vt malorum culpæ & miſeriarum finem, & vt fœlicis vitæ, ad quam omnes aſpirare debemus initium.

Mortis timor per orationes repellitur.

Tertius modus eſt per orationes iaculatorias. Dicat ergo qui iuuat morientes, aliquas breues orationes (& nitatur præeuntem ſequi ægrotus) quales hæ ſunt:

Domine Deus meus, naturalis quidem meus appetitus mortem exhorreſcit: contentus ſum tamen, ſi tibi ſic placet, mortem ſubire, & hanc ipſam mortem, & eius afflictionem offero ad honorem & beneplacitum tuum, cum paſſione & morte Domini mei Ieſu Chriſti, & in meorum peccatorum ſatisfactionem.

Deus meus, tu de nihilo creaſti me, & vſque in hunc diem ſuſtentaſti, & rationis vſu dotaſti me, & per miſericordiam tuam in fide Catholica, & in ſanctæ matris Eccleſiæ gremio, & vnitate conſeruaſti me, & per viam quæ ducit ad æternæ fœlicitatis finem deduxiſti me:

me: *quid* ergo *retribuam tibi pro omnibus quæ retribuiſti mihi?* Domine *calicem huius mortis de manu* tua libenter accepto, *& offero illum tibi,* & vt dignanter admittas in odorem ſuauitatis, deprecor. *Pſal.115.*

Deus meus, quamuis naturalis vitæ amor mortem recuſet, cum fiducia tamen auxilij tui dicam cum Domino meo Ieſu Chriſto: *Pater mi, ſi non poteſt calix hic tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua.* Dicam etiam cum Dauide: *In pace in idipſum dormiam & requieſcam: quoniam in Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* *Mat.26.* *Pſal.4.*

Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, gratias ago tibi quòd venit tandem hora, in qua peccata & mala mea finem habebunt, & quòd mihi tempus dediſti, quo me præparem ad tranſitum ex hac vita ad perpetuam. Tu ergo, qui adiutor es in opportunitatibus, in tribulatione, adiuua infirmitatem meam, vt in tuo ſeruitio & gratia, quod ſupereſt vitæ meæ, finiam.

Dici etiam poteſt cum Iob, *Scio quod Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſus circundabor pelle mea, & in carne mea* *Iob.19.*

videbo Deum, quem viſurus ſum ego ipſe, &c. adde alia id genus, ſi oportet, & hæc declarari magis poſſent.

Quomodo procedendum cum eo, qui ex affectu ad terrena, vel alias ob cauſas, timet mortem plus, quàm oportet.

CAPVT X.

ALIQVI dolent de morte, non tam ex vitæ deſiderio, quàm quod res ſuæ conſcientiæ implicatas habent, & tam breui tempore eas ſe poſſe explicare diffidunt. De his, ſi verè tempus non ſuppetit ad omnia, quæ fieri deberent, infrà dicetur, quid agendum: quòd ſi non deeſt tempus, dummodo eo ęgrotus diligenter vti velit, eum exhortari oportet, vt primo quoque tempore id faciat, quod poteſt: & ratio & ordo ei proponi debet, vt ſcilicet primò confiteatur & communicet, & petat extremam vnctionem (licet non ſtatim ei detur) deinde ſi quid ſtatim reſtituere, vel facere debet, & poteſt, curet fieri, & teſtamentũ condat, in quo etiam teſtamento ſuppleat ea, quæ ſtatim non poſſunt fieri, & demum ſe præparet ad tranſitum: & breue tempus ſibi à Domino datum ad ſatisfactionem pro peccatis,

catis, & meritum beatitudinis, elabi de manibus ſine fructu non ſinat.

Quòd ſi dolet mori, quòd vitã emendare, & multa bona facere, in animo conſtituerat, ſuadẽdum eſt ei, vt voluntatem ſuam cum diuina conformet, & omnium rerum loco, quas facere cupiebat ad Dei honorem, & ſuam perfectionem, offerat Deo in ſacrificium vitam ſuam cum voluntate eius beneplaciti in omnibus implendi: nihil enim Deo gratius, nec maius homines offerre poſſunt: & in eo, quod ſupereſt vitæ, nihil omittat eorũ quę prę-ſtare poteſt tam in eleemoſynis, ſi facultatem habet, quàm in deuota ſacramentorũ ſuſceptione, teſtamenti conditione, & aliis, quæ ſuperius dicta ſunt, ad morientẽ benè diſponẽdum, eſſe opportuna. *Quid agendum, cùm inuitus moritur, quia vitam emendare quis vellet.*

Aliqui timent mortem, & de eius imminentis aduentu dolent, quia rebus terrenis affectu magno adhærent, ſcilicet dignitatibus, diuitiis, & voluptatibus, vel perſonis, quas relinquunt, ſibi cariſſimis, vt vxori, filiis, & amicis, vel ſanguine coniunctis. Et maiorem habet occaſionẽ is, qui tentat, ad tegendum amorem terrenum, dum obtẽdit pallium pietatis, vt cum paruulos liberos, vel filias non collocatas, vel in paupertate conſti- *Quid cũ dolet ex affectu ad terrena.*

tutam familiam relinquit. Et id tunc agit Dæmon, vt dum affectibus, & curis inutilibus tempus impenditur, & animus diſtrahitur, quæ ad ſalutem æternam ipſius neceſſaria ſunt, minus prouideat, & exequatur. Qui ergo ad huiuſmodi homines iuuandos vocatur, & talem in ægrotis affectum deprebendit, vel aliorum relatu cognoſcit, pręter aliorum orationes, & eleemoſynas, quas pro talibus curare debet (ſi ſint qui eas facere poſſint) quatuor mediis ægrotos hos iuuabit.

Remoueantur à præſentia morientis, qui affectus terrenos nutriunt.

Primo, remouendo ab ægrotante, quæ poſſunt inordinatum hunc affectum nutrire, quo ad eius fieri poterit, qualis eſt aſpectus perſonarum, quas humano amore diligit, puta coniugis, filiorum, & ſi quę alia huiuſmodi ſunt: & colloquia de illis, etiam abſentibus (niſi quatenus ad proſpiciendum eis, mentio illorum eſſet neceſſaria) expedit vitari.

Rationes ad terrenum affectum temperandum.

Secundo, rationibus affectus hic eſt temperandus. Prima eſt, quia is non ſolum affligit ſine fructu, ſed noxius admodum eſt, cùm impediat bonam præparationem ad mortem. Sic ergo dici ægrotanti poteſt, Cariſſime N. hic amor, imò & memoria huiuſmodi rerum, vel perſo

perſonarum, nihil vtilitatis vel tibi, vel illis adfert, imò te affligit, & impedit, ne te prępares ad bona maiora, & veriora, quàm quæ relinquis percipiēda: nam hæc imperfecta ſunt, & ad breue tempus, illa quæ præparauit Deus diligentibus ſe, magna & æterna. Proinde memoriam, ac affectum harum rerum, vel perſonarum repelle & cogita de iis, quæ ad æterna mala effugienda, & æterna bona conſequenda te iuuare poſſunt.

Secunda, quod attinet ad perſonas, quę deſeri à te videntur, intellige, quòd ſi te (vt ſperare debes, dummodo te benè prępares) diuina bonitas ad beatitudinē adducet, ibi plus auxilij tuis à Deo impetrabis, quam hic præſens adferre poſſes. *Pſal. 54.*

Tertia, intellige, quòd ſecūdum Apoſtolum, *Spes non confundit*, ſi iuſta, & conuenientia ſperantur, & in fide nihil hæſitando petuntur, ſpera ergo & pete ab infinita Dei bonitate, vt tuis, prout eis conuenit, tanquam tutor proſpiciat, *& iacta cogitatum tuum*, tam de te quàm de tuis *in Dominum*, *& ipſe tuos enutriet*, vt ipſis ad bonum æternum vtile eſt: & imitare Chriſtum, qui imminente morte, poſt cœnam ſuos diſcipulos Deo commendat: & tantùm de ſalute tua *Rom. 5.* *Pſal. 54.* *Ioan. 17.*

æterna ſis ſollicitus.

Quarta, Scias, quòd tu non tam Pater es filiorum tuorum, quàm Deus, qui paternam de omnibus prouidentiam gerit, *nec cadit paſſer ſuper terram ſine ipſo.* Ne ergo exiſtimes, quòd ſi eos tu relinquas, Deus eos relinquet, quia *diligit Deus omnia quæ fecit.* Proijce ergo ſecundum conſilium Apoſtoli, *omnem ſollicitudinem tuorum in Dominum, quoniam ipſi cura eſt de illis:* & ſi in Deo ſperaueris, & omnino ei reliqueris curam hanc, multò magis tuos iuueris tali fiducia, quàm ſi de eis fruſtrà ſollicitus modo eris.

Mat. 10. *Sap. 10.* *1. Pet. 5.*

Quinta, Cariſſime, ſarcina iter lõgum facientibus impedimẽtum eſſe ſolet: longa tibi iam via facienda eſt, vſque ad Deum, ante cuius tribunal breui ſtabis, proinde deponenda eſt omnis ſarcina curarum ſuperfluarum, & affectus terrenorum, qui tibi peccatorũ multorum cauſſa fuit: & ſi modo non eam relinquas, à Deo ſummo bono ſeparare te poſſet in æternum. Expedi ergo cor tuum ab hoc inutili onere, vt eleuari poſſit affectus tuus ad æterna bona deſideranda.

Sexta, Tam vitam tuam, quàm bona omnia huius mundi non tua, ſed mutuò data

data fuiſſe à Deo intellige, vt illis, tamquam mediis, vtereris ad melius ipſum cognoſcendum, & amandum, & ei ſeruiendum. Si ergo Deus à te illa remouet, nullam tibi facit iniuriam, & ſi te hic diſponis, vt ad vltimum finem, ſcilicet beatitudinem peruenias, nihil eſt quòd media ad illum conſequendum donata, amplius deſideres: potius quamdiu viuis, *quicquid poteſt manus tua, inſtanter operare*, & de bonis tuis diſpone quàm optimè, vt eorum fructu diteris in æternum. *Eccl. 9.*

Septima via, eſt exemplorum. Sic ergo dici poteſt, Chriſtus Dominus nudus in Cruce mortuus eſt, imitare tu libenter eius nuditatem, omnes affectus ac terrena exuendo. A Iob Dominus Deus omnia abſtulit, pręter vxorem. quæ illum affligeret: at ille dixit. *Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, nudus reuertar ad illam: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* ſic & tu dicas, &c. *Exēpla ad terrenos affectus mitigandos.* *Iob. 1.*

Sancta Martha, tempore mortis iuſſit ſe ſub dio, in terra, & ſuper cinerem collocari, & iuxta crucem poni, & ex Euangelio paſſionem legi: hunc affe-

ctum, à terrenis animam abſtrahendi, imitare.

Sanctus Martinus Epiſcopus ſuper cinerem, dum moreretur, iacere voluit, & ſic decere Chriſtianos aiebat: & cùm dicerent eius filij ſpirituales, Cur nos deſeris Pater? &c. dixit ille, Domine, ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem, ſcilicet vitæ. Tu ergo Martinum imitare, potius cæleſtem, quàm terrenam vitam amando, vt vita ſit tibi in patientia. (ſi Domino ſic placuerit, vt tuos adiuues) mors in deſiderio.

Sanctus Franciſcus, vt moreretur nudus, in terram ſe conſtitui fecit.

Sanctus Ludouicus Rex Franciæ idem fecit, & quidem ſuper cinerem, & ſic extenſis in modum crucis brachiis, mortuus eſt.

Per orationes, affectus terrenorum reprimitur. Quarta via eſt orationum, quas præeat, qui iuuat morientem & ille ſequatur. Dicat ergo, Libera me Domine à tribulis, & ſpinis cogitationum & affectuum terrenorum, quæ animam meam pungunt, & inquietant, & ſalutares cogitationes, & cœleſtium deſideria imprime cordi meo. *Pſal. 83.* *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit, &*

cit, & deficit anima mea in atria Domini: elegi abiectus eſſe in domo tua Domine magis, quàm habitare in tabernaculis peccatorum: quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia. Et quædam ex his, quæ ſupradicta ſunt, vel alia de beatitudine hic dici poſſent, prout ægrotantis habitudo, & captus exigere videbitur, vt illud, *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* *Pſal. 35.*

Et tamen animaduertendum, quòd ſi aliquid poteſt fieri ab ægrotante ad prouidendum ſuis, per teſtamentum, vel aliis ſuos commendando, vel aliter, id non eſt omittendum.

Quid cùm impatientibus agendum ſit.

CAPVT XI.

ACCIDIT aliquando, vt impatientes ſint ægroti, propter dolorem, vel moleſtiam morbi, & præcipuè, ſi propter paupertatem, vel aliam cauſam, deſint remedia opportuna, vel alia ſuperueniant aduerſa. Sunt ergo in ea parte quatuor modis iuuandi. Primus eſt, compati ægroto ex animo, & præ

Compaſ-ſio oſten-denda in affectib⁹. & præ ſe ferre compaſſionem, & ſi etiam poſſet, opere ipſo curare, vt ſubleuetur: id enim prçterquàm quòd minuit impatientiæ cauſſam cùm faciat ab ægroto cognoſci caritatem iuuantis, diſponit eum, vt libentius audiat, & facilius acquieſcat omnibus, quæ ab ipſo proponuntur.

Rationes cõtra im-patietiã. Secundus modus, eſt per rationes. Prima eſt, quòd impatientia non ſubleuat, ſed potius auget malum ipſum propter quod habetur, & quidem tanto magis id dolet, quantò magis contra voluntatem ſuam quis patitur. Tollit præterea meritum patientiæ, quod eſt maximum. Cur ergo non facit, qui patitur, de neceſſitate virtutem, ſecundum conſilium Chryſoſtomi, vt patiatur cum merito illud ipſum, quod nihilominus ſine merito paſſurus eſt? imò & minus patietur, quia dum voluntariè amplectitur, imminuit malum ſuum. Tribulatio enim fugientes acrius perſequitur, & affligit, ſponte propter Deum eam ſuſcipientes multò minus.

Secunda, quòd hæc mala mittit ad ipſum Deus qui pater eſt amantiſſimus, & medicus ſapientiſſimus, & mittit ad ipſius bonum, vnde debet, vt medici-

nam

nam amaram, & tamen perutilem, de manu ipſius, bono animo recipere, & gratias agere. Vnde Salomon: *Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini: nec fatigeris, dum ab illo argueris: quem enim diligit Dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Quòd ſic cum actione gratiarum flagellum exceperit, erit illi ad maximi meriti coronam. *Proue. 3. Hebr. 12.*

Tertia, quia cùm Deus iuſtiſſimus ſit, nõ relinquit peccata ſine punitione, vel in hoc mundo, vel in alio: eſt autem multò melius hic purgari peccata per tribulationem, vel afflictionem, quæ leuior, & breuior multò eſt, quàm in purgatorio. Vnius enim horæ dolor in hac vita, patienter, & voluntariè toleratus, velut lima quædam, rubiginem peccati magis tollit, quàm dies multi, & forſitan menſes, & anni, & quidem in acerbiſſimis tormentis, in purgatorio. Dicatur ergo ægrotanti, & impatienti, vt cogitet, quòd in vita ſua non parua peccata admiſit, propter quæ pœnam eſt commeritus? vnde huius infirmitatis, & mortis (ſi Deo ita placuerit) afflictionem patienter tolerare debet, & Deum rogare, vt eam in remiſſionem

peccatorum admittat, & purgatorij cruciatum in eam commutare dignetur. Quòd ſi fecerit voluntariam pœnam, alioqui neceſſariam, modo prædicto, cum contrito corde,& in Deo confidente, & culpæ, & pœnæ remiſſionem magnam obtinebit.

Quarta, quia mittuntur huiuſmodi afflictiones, vt ab amore rerum huius mundi magis hominum affectus auellantur, & ad bona æterna conuertantur. Et ideo De⁹ ſolet eſſe cum afflictis,& ad ſumma bona eos promouere. Vnde illud

Pſal. 90. Pſalmiſtæ: *Cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.*

Quinta, aliquando mittuntur afflictiones, vt virtus patientiæ, humilitatis, fidei, & ſpei probetur, & creſcat cum

Eccleſ.2. ea meritum. Vnde Eccleſiaſticus: *Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum, & argentum: homines verò receptibiles, in camino humiliationis.* Et vt in hymno quodam Eccleſia canit, Il-

De Eccl. dedicat. lud (id eſt, ad Cœlum) *introducitur omnis, qui ob Chriſti nomen hic in mundo premitur. Tunſionibus, preſſuris expoliti lapides ſuis coaptantur locis, per manus artificis:*

artificis: diſponuntur permanſuri ſacris ædificiis. Bono ergo animo ferenda ſunt, quæ nos expoliunt, vt cœleſtis Hieruſalem viui lapides efficiamur.

Tertius modus, eſt per exempla, vt Iob, Thobiæ, Ioſeph, Dauid, Virginis Mariæ, tot Martyrum, & ſuper omnia exemplum Chriſti Crucifixi plurimum ad patientiam valet: & vt ei aliquo modo vicem reddamus, patienter hanc partem crucis, quæ nobis communicatur à diuina prouidentia, ſubire nos decet. *Exẽpla cõtra impatiẽtiã.*

Quartus modus, eſt per viam orationis, quam præeunte eo, qui iuuat, dicat ægrotus: vel ſaltem corde, ſi non poteſt ore, dicentem ſequatur, huiuſmodi ſunt, quæ ſubduntur, & aliæ ſimiles. *Oratiõis via contra impatiẽtiã.*

Domine hic vre, hic ſeca, id eſt, in hac vita, & ſaltem in æternum parcas, vt ait Auguſtinus.

Domine Deus meus, qui quos diligis caſtigas, ſim ego quæſo, de numero filiorum, quos diligis in vitam æternam, quandoquidem ſum ex illis, quos caſtigare dignaris.

Domine Ieſu, *adiutor in opportunitatibus, in tribulatione*, adſis iam mihi in afflictione mea, & adiuua me, vel ſubleuando afflictionem, vel vt tibi grata ſit, *Pſal. 9.*

ſit, veram patientiam tribuendo, vt cedat illa in honorem tuum, & bonum meum.

Gratias ago tibi Pater amantiſſime, qui non minori miſericordia caſtigas, quàm conſolaris, propitius quæſo mihi eſto, & virtutem ad benè ferendum ea, quæ me vis ferre, tribue. Sic aliæ orationes fieri poſſunt.

Quid agendum cum his, qui fidei tentationibus moleſtius agitantur.

CAPVT XII.

IN iis, quæ ad fidem pertinent, dupliciter homines indigere auxilio ſolent. Primò cùm non explicitè credunt, quæ in tempore legis gratiæ explicitè credi oportet: & quid agendum cum talibus, capit. primo dicitur. Secundò, cùm à Dæmone concutitur fides, quæ

Heb.11. totius ædificij ſpiritualis, *& rerum ſperandarum eſt fundamentum*, per varias

Non diſputandũ eſt cum Dæmone. tentationes, quibus ille in dubium adducere infirmum de tota fide, vel de aliquo eius articulo nititur. Si ergo moleſtæ ſunt ægroto tentationes huiuſmodi, admonendus eſt, vt nullo modo diſputet, vel rationibus agat cum Dæmone,

ne, qui nihil aliud molitur, quàm in eo, quod videt eſſe velut baſim æternæ ipſius ſalutis, ſubuertere, quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, & dicat cum Pſalmiſta? *Domine illumina oculos meos* (ſcilicet lumine veræ fidei) *ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, Praualui aduerſus eum*, & cum Ezechia? *Domine vim patior, reſponde pro me.* Et cum Apoſtolis, *Domine, adauge nobis fidem.* Iuuat etiam aliqua ex ſupradictis modis cap. 5. dicere, Credo in Deum, &c. ſed imprimis iuuat vnicam ſolutionem omnibus argumentis Dæmonis dare, & ei quantumuis multa repræſentanti dicere: Credo quidquid credit Sancta Mater eccleſia Catholica, & Apoſtolica, cuius caput vnicum ſub Chriſto, eſt Pontifex Romanus. Illa eſt *columna, & firmamentum veritatis*, illa tibi Sathan, pro me reſpõdebit, diſputa cum illa, ſi voles: mihi ſatis eſt, quòd credo, quidquid illa credit, cuius fides non rationibus innititur, ſed ipſi æternæ veritati, In hac arce fidei vt inexpugnabili, tutus erit ab huiuſmodi Dæmonis, quantumuis importunis oppugnationibus, qui in agone mortis poſitus eſt. Et ita curet intellectum ab iis

Hebr.11.

Pſal. 12.

Eſai. 38.

Luca.17.

Vnica ſolutio cõtra omnia argumenta Dæmonis.

1. Tim.3.

ſuggeſtionibus, quæ perturbant ipſum, diuertere, & alia meliora cogitet, quæ ad ſpem, amorem, vel contritionem augendam pertinent, vel cum aſſiſtentibus loquatur de aliis rebus.

Proteſtatio fidei. Iuuat & proteſtationem ſuæ fidei facere, dicendo ſymbolum, & poſtea addendo. Proteſtor coram Deo, & vniuerſa eius curia cœleſti, & nominatim coram Angelo meo cuſtode, & coram vobis, quod in hac fide, ſecundum modum intelligendi Sanctæ Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ, & in vnione corporis eius ſub capite Domino noſtro Ieſu Chriſto & eius in terris Vicario, viuere, & mori volo: & ſi per delirium aliquod verbum ab ore meo excideret, quod aliter ſonaret, proteſtor, quod illud non eſt meum, ſed hoc tantùm, quod proteſtatus ſum.

Quando rationes habere locũ poſſent, & quales. Si talis videretur eſſe diſpoſitio ægroti, qui de fide tentatur, non tamen in ipſa mortis agonia verſatur, & ſenſibus integris eſt, vt ad eius conſolationem, & ſtabilitatem aliquæ rationes fidei eſſent adducendæ, generales illæ ſint, & non ad particulares eſſet deſcendendum (niſi fortè ipſe diceret aliquid, quod ipſum mouet, & facilè, & clarè confutari poſſet: & tunc etiam eſt admonendus, ne

diſputet

diſputet cum Dæmone, niſi vt ſupra dictum eſt? obiiciendo Eccleſiæ Catholicæ auctoritatem (& ſic infirmo dici poteſt: Fides noſtra, Cariſſime, quæ participatio quædam eſt diuinæ ſapientiæ, & lumen infuſum ab ipſa prima, & ſumma veritate, non innititur tam debili fundamento, quàm ſunt rationes, quæ à perexiguo lumine naturali procedunt, nec propter rationes vllas credit, ſed propter auctoritatem Dei, qui Eccleſiæ ſuæ omnes fidei articulos reuelauit.

Securè credis ea, quæ tot ſancti homines, & in virtutibus heroicis inſignes, crediderunt, quales ſunt Martyres Chriſti, & Anachoretæ, & viri religioſi, qui vel vita ſua ad id impẽſa, veritatem hanc teſtati ſunt, vel diuturnam corporis ſui mortificationem circumferentes, diuinámque in terris vitam agentes, eidem teſtimonium perhibuerunt. Securè credis, quod tot ſancti Doctores Eccleſiæ, admirabili doctrina præditi, tot prudentiſſimi Pontifices & Sacerdotes, verbo, & ſcripto, & facto docuerunt. *Ab exẽplis credentium.*

Securè credis etiam, quod tot Concilia generalia, ſtudio veritatis, agnoſcendæ ex toto orbe congregata, quæ decipi nullo modo poſſunt, ſpiritu veritatis eis

aſſiſtente, tradiderunt: quod tot millia fidelium, tot ſeculis, inter tam multas perſecutiones crediderunt, & ad nos tranſmiſerunt, inter quos & noſtri maiores, & patria ipſa fuit.

A teſtimoniis Dei, Angelorum, & Sanctorum. Securè credis Patri æterno, qui teſtimonium perhibuit de Chriſto, dicendo: *Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite*: etiam Euangelica doctrina vbique prædicata eſt ab Apoſtolis, *ipſo Deo cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.*

Matt. 17.
Mar. 16.

Securè credis teſtimonio Chriſti Domini, qui æterna patris ſapientia eſt, & dixit: *Ego & pater vnum ſumus?* & articulos fidei prædicari iuſſit, addens: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui non crediderit, condemnabitur.*

Ioan. 10.
Mar. 16.

Luca. 1. Item Gabrieli Archangelo, dicenti de Chriſto, quòd *Filius Altiſſimi vocabitur*, & militiæ cæleſtium ſpirituum, quæ cecinit in Chriſti natiuitate, *Gloria in excelſis Deo*: & Angelis, qui Reſurrectionis eius, & Aſcenſionis, & Aduentus, quo venturus eſt in fine mundi ad omnes homines iudicandos, teſtes extiterunt.

Luca. 2.
Mat. 28.
Ioan. 20.
Acto. 1.

Teſtimoniis item Patriarcharum, & Prophe

Prophetarum, ac ſcriptorum veteris teſtamenti, vſque ad Ioannem, qui factis, & verbis, Chriſti fidem, & myſteria prę figurauerunt, & prædixerunt. Item Apoſtolorum, ac diſcipulorum Domini, & ſuccedentium ipſis, qui ſcripta noui teſtamenti, & traditiones, per manus ad nos vſque, numquam interrupta ſucceſſione, deduxerunt. Imò & aduerſariorum teſtimonia idem teſtantur: dicebant enim impij Iudæi, *hic homo multa ſigna facit: ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, &c.* Vnde Ioſephus, & alij infideles benè ſentiunt de Chriſto, & de eius doctrina & dicunt, nos in ea ſalutem conſequi, & præferunt noſtram religionem omnibus, præterquàm ſuæ, in quo non debet eis credi. *Ioan.11.*

Securè credis, conſiderando tot miracula, quæ ſunt ſupernaturalia quædam teſtimonia, quibus veritatem fidei noſtræ teſtatam reliquit Deus. Fuerunt autem ea innumerabilia, vt ex Euangeliis, & actibus Apoſtolorum, & hiſtoriis conſtat, ſed & noſtris temporibus ea etiam cernuntur, vt in terris infidelium, cùm Deus eos ad fidem adducere, & confirmare neophytos dignatur. *Admiraculis.* 1.

Supernaturale etiam teſtimonium eſt

veritatis fidei, conſtantia, & fortitudo, & ſapientia Apoſtolorum, & Diſcipulorum, ac multorum, qui eis ſucceſſerunt, qui cùm eſſent pauci, rudes, ignobiles, ſine eloquentia, vel potentia armorum, imò ferentes verbera, irriſiones, egeſtatem, & mortes acerbiſſimas, Romanum Imperium, & Regna, ac Prouincias ſub iugum fidei miſerunt. Quæ ſi per diuinam virtutem operabantur, clarum eſt ſignum veritatis fidei, ſi ſine miraculis, hoc (vt Auguſtinus benè notat) maximũ miraculum eſt, quòd tales homines indocti, & in facie contemptibiles, tot ſapiẽtes, & magnos viros, ad res, quæ humanum intellectum longè ſuperant, & quæ tam contraria ſunt affectibus humanis, credendas, & ſectandas adduxerint.

Li.22. de ciuit. Dei cap.3.

A perfectione vitæ Chriſtianæ.

Ad idem facit, vt ſcilicet ſecurè credantur quæ Chriſti fides docet, quòd eius lex ſummæ perfectionis eſt: vt pote ſummè Deum honorans, quia altiſſimè, & pientiſſimè de eo ſentit: ſummè hominem perficiens, quia ad altiſſimum finem, ſcilicet viſionis Dei, per optima media virtutum, & totius ſanctitatis externæ, & internæ, eum deducit, & bonorum operum præmia, & malorum pœnam

pœnam condignam declarat. Omnes etiam veritates moralium, & phyſicarum ſcientiarum, vt verum vero, fidei conſonant. Adde internas illuſtrationes, & conſolationes eorum, qui fidei myſteria contemplantur, & tamen veritatis proprium eſt, animam intelligentem reficere.

Modus etiam percipiendæ veritatis, propter dicentis auctoritatem, non propter rationes credendo, conuenientiſſimus eſt, tum quia ſcire paucorum intellectuũ erat, cùm ingenia rara ſcientiarum ſint capacia, tum quòd is modus eſt ad maiorem Dei gloriam, cuius verbo ſimpliciter reuelato, & per Eccleſiam propoſito credunt fideles, etiã in iis quæ ſunt ſupra rationem, tum quòd ad maiorem certitudinem credendorum id facit, quia falli poterant homines ſuis ſenſibus, quorum experimentis ſcientiæ innituntur, ſed non poſſunt falli, ab ipſa veritate per lumen fidei edocti.

Modus credendi, cõueniẽs erat magis quam ſciendi.

Ex his ergo conſtat, quòd credere ſecurè poſſumus, & debemus, quæcumque Sancta Eccleſia nobis credenda proponit. Quamuis enim credamus, propter auctoritatem Dei reuelantis, (vt dictum eſt) euidens tamen fit ex his, eſſe ſecun-

dum rationem quod credere debeamus. Et hæc de fide ſint dicta, ex quibus quã partem dicere oporteat, cùm ægrotus de fide tentatur, diſcretioni eius, qui iuuat ipſum, relinquendum eſt.

Quomodo iuuandi ſint, qui diffidentiæ, aut deſperationis difficultate laborant.

CAPVT XIII.

Cauſa diffidentiæ examinetur. VT deiecti in ſpem erigantur, imprimis videatur, an verè aliquid ſit, quòd meritò ægrotum, prout tunc diſpoſitus eſt, ad diffidentiam moueat. Tale quid eſſet affectus ad peccatum, quem nollet relinquere, puta odij, inimicitiæ, vſuræ, voluntatis non reſtituendi aliena, vel quid huiuſmodi, de quibus inferius agetur. Cap. 17. aut peccata aliqua in cõfeſſionib⁹ omiſſa, aut nõ benè explicata, & tunc impedimẽtum illud remouendũ eſt, per bonam confeſſionem, & cauſa diffidentiæ ſublata, ipſa quoque diffidẽtia tolletur.

Si non erit cauſſa iuſta, propter quam diffidat, ſed ex naturæ puſillanimitate, vel memoria peccatorum præteritorum vel tentationibus Dæmonis orta diffiden

dentia, & ſeruilis timor videbitur, animari debet multis modis. Primò ex parte Dei offenſi, cuius proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, d cendo hæc, vel ſim lia, Cariſſime, bono animo eſſe te oportet, cùm negotium habeas cũ Patre, qui quamuis offenſus eſt à te, Pater tamen eſt, & quidem (vt Sacra Scriptura nos docet) *Pater miſericordiarum, cuius miſerationum non eſt numerus, cuius miſericordia ſuper omnia opera eius, miſericors, & patiens, longanimis, & multum miſericors, & præſtabilis ſuper malitia*, & te tantopere dilexit, *vt Filium in mortem impenderit, quò te à peccatis redimeret*, cuius tanta eſt propenſio ad ignoſcendum, vt proponẽti cõfiteri peccata quaſi præueniens dimittat, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei: qui proprio Filio non pepercit: ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?*

Puſillanimes animãdi ex parte Dei.

2. Cor. 1.

Pſal. 144

Ioel 2.

Ioan. 3.

Pſal. 31.

Rom. 8.

Secundo, ex parte mediatoris ipſius Chriſti Domini noſtri. Verum eſt, quòd multum, & grauiter peccauimus, ſed poſuit DEVS *in* CHRISTO *iniquitatem omnium noſtrorum, diſciplina pacis* *Eſa. 53.*

noſtra ſuper eum , & liuore eius ſanati ſumus. Fuit enim tanta erga nos pietas, & bonitas Dei noſtri, vt cùm non poſſemus nos pro noſtris peccatis ſatisfacere, dederit nobis ſatisfactorem Filiũ ſuum: eius humilitas ſanat noſtram ſuperbiam, eius dolores noſtras voluptates , eius manſuetudo noſtras iracundias, eius caritas noſtra odia , & damna proximis illata , demum eius obedientia vſque ad mortem omnia noſtra peccata delet , & minima ex illius paſſionibus ſufficeret ad ſatisfaciendum pro omnibus peccatis, cùm ſit infinitæ dignitatis perſona ſatiſfaciens, vnde ex iuſtitia potes petere remiſsionem peccatorum,& regnum Dei. Ex iuſtitia, inquam , Chriſti , cùm tibi eam applicare ipſe dignabitur,qui ſuperabundans pretium ſui ſanguinis pro te fudit.

1.Ioan.2. Nota etiam , quòd ille futurus eſt iudex tuus, *qui eſt aduocatus* , & ſedens ad dexteram Patris oſtendit Patri æterno cicatrices vulnerum, quæ pro tua ſalute paſſus eſt. Dic ergo confidenter: Domine IESV,pone crucem tuam inter iudicium tuum, & animam meam , & ſaluus ero. Vide, quam voluntatem habeat manſuetiſsimus agnus te condemnandi,

nandi,qui Malchi,cùm veniret ad ipſum
capiendum , auriculam , à Petro abſciſ- *Ioan. 18.*
ſam ,ſanauit. Qui cùm idem Petrus ter
ipſum negaſſet,reſpexit illum tam amã-
ter,& mouit ad pœnitentiam , & poſtea *Luc.22.*
caput etiam Eccleſiæ eum conſtituit,qui *Ioan. 21.*
inter dolores crucis extremos , primum
id verbum protulit , P A T E R *ignoſce*
illis , quia neſciunt quid faciunt , qui la- *Luc 23.*
troni in Cruce petenti, vt ſui memor eſ-
ſet,ait , *Amen dico tibi , hodie mecum eris*
in paradiſo. Scias demum , quòd magis
ipſe Dominus deſiderat te ſaluum face-
re,quàm tu ipſe deſideras : quis ergo lo-
cus eſt diffidentiæ?

Tertio exemplis , hoc modo : Si ho-
mines ſerui Dei tam facilè dimiſerunt *Ab exẽ-*
offenſas ſibi factas , vt Ioſeph ſuis fra- *plis homi*
tribus dimiſit,vt Dauid,Saul, & Nabal, *num, qui*
vt Sanctus Stephanus iis qui ipſum lapi- *offenſas*
dabant , pro eis orando , & alij plurimi *condona-*
Sancti,propter aliquam participationem *runt.*
diuinæ bonitatis , quid putare debemus *Gen. 50.*
de illo fonte , imò mari immenſo, boni- *1.Reg.24*
tatis , & miſericordiæ infinitæ! quantò *25.&26.*
erit ei facilius , & magis congruum mi- *Act.7.*
ſereri , & parcere,pręſertim cùm hoc ſit
certum , quòd quantò maiora fuerunt
tua peccata, tãtò cedit ad maiorem Dei

glo

gloriam, ſi illa tibi pœnitenti dimittat? Vt enim ille Dux maiorem honorem cõſequitur, quò munitiora caſtella, & vrbes expugnat, & hoſtes validiores ſuperat: ſic Chriſtus maiorem conſequitur honorem, cùm vitia, & peccata plura & maiora ad cor redeuntium, pretio ſui ſanguinis delet. Maioris etiam eſt magnificentiæ, grandia debita, quàm exigua, ſupplicibus dimittere. Ne ergo terreat te magnitudo, aut numerus peccatorum, de quibus tibi diſplices: ſicut enim vno ictu Dauid in figura Chriſti proſtrauit Goliath, & in fugã vertit Philiſtæos, ſic vna Crucis ſuæ applicatione Chriſtus Dæmonẽ cum omnibus peccatis tuis (ſi in ipſo cõfidas) proſternet, etiã ſi eſſent ſuper arenam maris, & grauiora, quàm vmquam in mundo ſunt perpetrata. Hæc non cõtinua oratione, ſed interrupta (vt primo cap. admonuimus) & paulatim dici debent. Poteſt & narrari hiſtoria populi Iſraëlitici, cum hinc Pharao premeret, inde mare effugium impediret, quod virga percuſſum mare, ipſis iter ſecurum præbuit, & Pharaonem cum exercitu ſubmerſit: ſic ſi voluntatis ſuæ virga, qua deteſtetur peccata, & ad Dominum conuertatur, mare peccatorum

Chriſti maior honor maiora peccata dimittere.

1.Reg.17.

Exod.14.

rum

rum vitæ ſuæ anteactæ percuſſerit, euaneſcent peccata. Sic poteſt adduci ex nouo teſtamento exemplum Filij prodigi, Magdalenæ, Samaritanæ, Chananeæ, præter illud Petri, & Latronis, quod tetigimus, & in veteri, Dauid, Manaſſe, & populi Iſraëlitici, quem poſt tot offenſas ad terram promiſſionis, in figuram beatitudinis, perduxit. *Luc.15.7.* *Ioan.4.* *Matt.15.* *2.Reg.12* *2.Par.33*

Quarto, ex parte promiſſionis DEI, dici poteſt, Nõ dubites de venia, & eam tibi ego proferam, digito Spiritus ſancti ſcriptam, per Prophetam Ezechielem: *In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. Fidelis eſt* DEVS, *negare ſeipſum non poteſt.* Habes & manu Chriſti ſimile chirographum promiſſionis apud Euangeliſtam Matthæum: *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra.* Sic apud Lucam, *Dimittite & dimittemini.* Vides ergo frater, quod ſi offenſas tibi factas ex corde dimittis, dimittet & tibi Deus peccata tua. *Ex parte promiſſionis Dei.* *Ezec.18.* *2.Tim.2.* *Matt. 6.* *Luc.6.*

Quinto, ex multitudine aduocatorũ, de qua cap. 6. ſuperius; ſcilicet Angelorum, & Sanctorum in Eccleſia triumphante, *Ex multitudine aduocatorum.*

phante,& in militante, ex operibus om-omnium piorum hominum,quorum ſumus participes, tot Miſſis, & orationibus fidelium. Dicendum etiam, ſi quid in particulari fit pro eo.

Ex benè actis. Sexto, ex bonis, quæ agit ipſe ægrotus, procedi poteſt, & ex voluntate, quam oſtendit conſequendi veniam, & ex diligentia, quam adhibet ad eam obtinendam, quam non adhibuiſſet, ſine præueniente gratia Dei. Signum eſt ergo, quod ipſe velit DEVS ignoſcere, cùm det gratiam quærendi veniam. Si etiam Dæmon ſollicitus eſt de ipſo tentando,ſignum eſt, quod de præda dubitat, & quando ad peccatum deſperationis ille nititur adducere, ſignum eſt, ꝙ in eo ſit ſtatu, vt mereri etiam poſſit vitam æternam, & iniuriam faceret iudici Chriſto, qui ſententiam, quam ipſe laturus eſt, præriperet, damnatum iam aliquem pronunciando, dum viuit. Non enim vſque ad mortem ſententia fertur, & ad illum vſque terminum merendi ſtatus durat. Quare benè ſperans, quæcumque paſſus eſt in hac ęgritudine, & in tota vita, ſimul cum paſſione CHRISTI, offerat DEO, & magnam habebunt vim ſatisfaciendi,maximè accedente

cedente præparatione ad mortem ſubeundam, in remiſſionem peccatorum, de manu Dei.

Septimo, per modum orationis adiuuari poteſt, hoc modo, Eia ergo frater, ſub vexillo ſpei de miſericordia, & veritate promiſſionis Dei, de meritis Christi, de interceſſione Matris eius, & omnium Angelorum, & ſanctorum, bono animo pugna contra omnes aduerſarios: reportabis enim, cum Dei auxilio, victoriam, etiam cum ſpoliis meriti maioris. Dicas ergo mecum. *Pater noſter, qui es in cœlis*, miſerere filioli tui, mali, & ingrati, ſed tamen filij, quem adoptaſti per IESVM CHRISTVM verum, & cõſubſtantialem Filium tuum: *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Dicas & illud: *In te Domine ſperaui, non confundar in æternum.* Et illud cum filio prodigo? *Peccaui in cœlum, & coram te*, ſed maior eſt tua bonitas, quàm malitia mea. Dicas cum Beato Anſelmo? Domine ſi puritatem meam ademi: numquid miſericordiam tuam peremi: Si commiſi vnde me damnare poſſes, tu non amiſiſti, vnde ſaluare ſoles, propter temetipſum miſerere mei.

Oratiões ad erigẽdos puſillanimes in morte.

Matt. 6.

Pſal. 30.

Luca. 11.

Pœni

Pœnitet me, quod tã ingratus fui beneficiis tuis, quibus me affeciſti, ſed propter Ieſu Chriſti Domini noſtri obediẽtiã, & caritatem, & precioſiſsimam mortem ipſius, pro me tibi oblatam, dele iniqui-
Iob. 13. tatem meam. Dicas & illud Iob: *Etiam*
Pſal. 41. *ſi occiderit me, ſperabo in eo.* Et cum Pſalmiſta dic animæ tuæ, *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei, & DEVS meus.* Hæc dilatari magis, & minus poterunt, prout diſcretio dictabit, & ſimul plura, vel diuiſim dici. Dicat & illud Pſalmiſtæ. *Non*
Pſal. 142 *intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine:* malè enim mecum agetur, ſi ſecundum delicta mea iudicabor: miſericordiam
Pſal. 102 imploro, ad miſericordiam *tuam confugio, non ſecundum peccata noſtra facias nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.*

Vertat etiam ſe aliquando ad Dominum Ieſum Chriſtum: cuius crucifixi imago ei oſtendi poteſt, dicens, Domine Ieſu, qui ſanguinem tuum pro me effudiſti, miſerere mei. Domine Ieſu qui inter tot dolores & ignominias, vitam tuam pro ſalute mea dediſti, miſerere mei, quia peccaui nimis in vita mea. In manus tuas Domine commendo

mendo ſpiritum meum, &c. Ex iis autem, quæ 6.cap. de ſpe erigenda,& exercenda dicta ſunt, alia ſi opus erit deſumi etiam poterunt.

Quomodo iuuandi ſint, qui contrariis malis tenentur præſumptionis & nimiæ confidentiæ.

CAPVT XIIII.

QVi excedunt in ſpe & ad præſumptionem declinant, frænandi & dirigendi ſunt. Si enim ſibi placere videntur, & efferri, recordatione bonorũ operum, quæ egerunt, iuxta illud, *Beatus, qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus:* & ita ſibi deberi cæleſtem beatitudinem elato animo ſentire videntur, admonendi ſunt, quòd *non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit*, vt ex Apoſtolo docemur, & in Dei bonitate, & Chriſti meritis præcipuè figenda eſt anchora ſpei, qui etiam dedit gratiam ad benè operandum. Item quòd quantum in nobis eſt, *vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ ſunt velut pannus menſtruata*, ſed ex gratia DEI valorem habent

Pſal. 40. *Tit. 3.* *Vbi ſpei anchora figenda.* *Eſa. 64.*

omnes bonæ actiones. Deo ſoli honor, & gloria debetur, nobis autem confu- ſio, propter peccata noſtra. Quæ pro- priè noſtra ſunt. Nam quòd attinet ad bona, *non ſumus ſufficientes cogitare ali- quid à nobis, tamquam ex nobis*, ſed ſuf- ficientia noſtra ex Deo eſt, & debemus Deo gratias agere etiam, quòd eius gra- tiæ cooperati ſimus, & aliquid cum ea boni egerimus: imperfectiones verò no- ſtras, vt proprias debemus agnoſcere, propter quas ſæpe *vinum noſtrum*, iux- ta Prophetam, *mixtum eſt aqua*, ſcili- cet vinum intentionis placendi Deo, mix- tum eſt aqua vanæ gloriæ, vel negli- gentiæ, propter quam imperfectè egi- mus, & ſæpe omiſimus, quæ facere de- buimus. Vnde væ nobis, ſi de bonis no- ſtris, in quantum noſtra ſunt, ſine miſe- ricordia iudicabimur. Adde, quòd in E- uangelio dicitur, *Cùm feceritis omnia, dicite, Serui inutiles ſumus: quod debui- mus facere, fecimus:* imò tantum debe- mus diuinæ in nos caritati & beneficen- tiæ, vt numquam, quod ei debemus, præ- ſtare poſſimus: imò in immenſum ab eo deficiamus.

2. Cor. 3.

Bona, quæ agimus Deo accepta ferenda.

Eſai. 1.

Lucæ 17.

Ad contritionẽ

Si excedit in ſpe, quia tota cogitatio ægroti videtur ferri ad conſideratio- nem

nem miſericordiæ Dei, & meritorum CHRISTI, nec videtur de peccatis ſuis compunctus eſſe: dirigendus eſt, & admonendus, vt ita confidat in Dei miſericordia, & Chriſti meritis (quod laudandum eſt) vt interim doleat de peccatis ſuis, & conſiderando, quòd tantam maieſtatem, & bonitatem ingratè offenderit: humiliter & amanter ſibi condonari ſupplicet, & ad actus contritionis, vt 2. cap. & alibi dicitur, eſt adiuuandus, vtrouis modo in ſpe excedere videatur. *ſunt monendi.*

Quid agendum, cùm accedit quis ad morientem, qui parum iam mente valet.

CAPVT XV.

CVm is qui accedit ad iuuandum aliquem, qui morti vicinus creditur, inuenit eum parum mentis compotem ad intelligenda quæ dicuntur, interroget (ſi neſcit) eum, qui vocauit, vel aſſiſtentes ei, an ſacramenta ſumpſerit, & de rebus ſuis diſpoſuerit: ſi omnia, quæ oportebat, iam fecit, quæ in 19. capite dicuntur, fieri poſſunt. Quòd ſi conſtituerit ipſum nihil tale feciſſe, (vt accidit

iis qui nimis expectant : vel qui aliquo morbo opprimuntur, qui ſtatim mentem eripit, vel obfuſcat) præter ea quæ ſine ipſo fieri poſſe dicuntur, capite 19. prædicto (quæ peculiari ratione commendari debent aſſiſtentibus, vel amicis in tali ſtatu morientis) appellet variis modis ægrotum, & ſi oportebit voce elata, vt excitet eum, & ſi euigilabit aliquo modo, vel vtcumque ſignum dabit, quòd intelligat ea, quæ dicuntur, ſemotis arbitris, dicat qui iuuat, hæc vel ſimilia verba: Aduerte, frater chariſſime, quòd imminet tibi admodum vicina mors, oportet vt excites te, & conſcientiam tuam à peccatis expurges: agitur enim de æterna tua ſalute, vel damnatione. Et addat: Vis ne confiteri peccata tua, & accipere reliqua ſacramenta, vt omnis fidelis Chriſtianus debet? & hortetur ad id. Si annuit, nec tamen loqui poteſt, dicat qui iuuat, Per nutus mihi reſponde (ſi non potes per verba) an feceris quæ interrogabo: & proponat ei excluſis circunſtantibus, vt dictum eſt, aliqua peccata, quæ veriſimile eſt in ipſo locum habuiſſe, & ſi annuit ſe admiſiſſe, eum abſoluat. Si tempus id patitur & vſus rationis, interroget aliqua

Appellãdus ægro tᵘˢ variè, vt excitetur.

Mors imminẽs ſignificetur, & cõfeſſio eliciatur ſaltẽ nutibus.

qua alia maioris momenti, & ſiue nutibus ſignificet ſe admiſiſſe, ſiue non, petat an habeat aliquid alienum, quod debeat,& ſi annuit, petat, an velit, vt hæredes rem examinent, & ſoluant, quod debet:quod ſi annuit,vocentur hæredes, vel aliquis eorum, vel ſaltem teſtes, vt hoc illis committatur:dicente eo,qui iuuat, Committis tuis hæredibus, vt examinent, ſi quid debes, & primo quoque tempore ſoluant, ſi quid alienum inuenerint te habere? Et illo annuente, denuò extra mittantur, & hortando morientem ad dolendum de peccatis, vt oportet (ſic enim facit quod in ſe eſt, cùm loqui non valeat) abſolutionem det illi, tam à peccatis, quàm à cenſuris. Si recuperata, vel non amiſſa voce dixerit ſe velle confiteri, & ſacramenta reliqua ſuſcipere, hortetur Sacerdos, vt dicat ſua peccata, incipiendo ab eis quæ magis eius conſcientiam premunt: & ſi non bene à ſeipſo confiteri poterit, interroget ipſe, incipiendo ab iis, quæ maioris ſunt momenti, & in illo locum poſſe habere probabile eſt, & quàm breuiter poterit ſe expediens (præſertim ſi deficere hominem obſeruat) & ad contritionem habendam de offenſis

Quid agendum, cùm loqui poteſt aliquid qui moritur.

 Dei,

Dei, caritate informatam, & non tantum ob timorem ſeruilem, & ad dolendum quòd non magis ex animo doleat, ſerio hortando, abſolutionem ei impendat: & ſi poteſt accipere viaticum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, à Parocho adferri curet, & poſt illud extremam vnctionem: ſi non videbitur poſſe deglutire ſacramentum, vel timetur quòd euomet, illud adoret, & extremam vnctionem ſumat: & ſi ad reſtitutionem aliquam teneretur, vel ſtatim eam faciat, ſi poteſt, vt ſuperius dictum eſt, vel committat alicui, vt ipſius loco, quàm primum fieri poſſit, eam faciat: idem ſi eleemoſynas poſſet facere, committat vt fiant: & ſi non fecit teſtamentum, nec videtur habere iudicium tam clarum, vt illud facere poſſit, ita vt ſit teſtamentum, non deliramentum. Videat qui iuuat, & tractet (ſi poteſt ſecurè id facere) cum aliquo ex coniunctis morienti, an ſit melius, vt ab inteſtato bona veniant ad eos, ad quos ventura ſunt, an vt teſtamentum breuiſſimum ægrotus faciat, deputando aliquos, quibus confidere poſſit, vt ipſi in particulari faciant quæ facienda eſſe in Domino videbuntur. Quod ſi antequam vſum ſermonis, & mentis

De teſtamento talium.

mentis amitteret, petiit ſacramenta, ac verbis vel ſignis (vt puta manus eleuando, vel pectus tundendo) poſt amiſſum vocis vſum contritionem oſtendit, licet magnus fuerit peccator, præſumitur contritus, & poteſt ei dari Euchariſtia (ſi ſperatur, quod eam deglutiet, ac retinebit) & extrema vnctio & abſolutio à cenſuris, ſicut etiam à peccatis, ſi vel vnum confeſſus eſt verbo, vel nutibus. ſi tamen publicus vſurarius fuiſſet, non debet recipi ad confeſſionem, vel alia ſacramenta (licet contritionem oſtendat) antequam ipſe, vel hæredes eius reſtituant vſuras, vel promittant, vel dent cautionem, prout iura diſponunt. Quòd ſi iudicium non erit ſufficiens ad contritionem habendam, nec eam prius oſtendit, vt par erat, petatur an aliquod interuallum lucidum habere ſoleat, vel ſperetur à medico, quòd ſit illud habiturus (vt poſſet fieri ceſſante febris vigore) & tunc redeat, qui iuuat, ad ſubueniendum ægroto, vt ſuprà dicitur, vel inde non recedat, donec adnitatur in meliorem ſtatum morientem reducere, quo ad eius fieri poterit. Et interim quæ ab aliis, ſine ipſo, fieri poſſe diximus diligenter curet, vt fiant.

De ſacramētis cōferendis.

De cõmunione & extrema vnctione Si confeſſus iam fuiſſet, qui ſic diſpoſitus inuenitur, & tamen non ſumpſiſſet Euchariſtiæ ſacramentum, curetur, vt ei adferatur tunc, vel cum tranſacto interuallo aliquo habuerit meliorem vſum mentis: quamuis tamen non habeat meliorem, poteſt ei viaticum conferri, ſi (vt dictum eſt) non timetur vomitus, vel reiectio ſancti Sacramenti, vel quòd illud deglutire non valeat. Et ſi dixit, cùm eſſet compos mentis, quòd extremam vnctionem volebat, vel in genere, quod omnia ſacramenta, vel quicquid conueniebat, ſibi dari poſtulabat, vel contritionem ſaltem oſtendit, & voluntatem faciendi, quòd vt fidelis Chriſtianus facere debebat, ſuo tempore adferatur ei extrema vnctio, licet iam non vtatur recto mentis iudicio, & ei detur.

De excitatione ad contritionem. Quocumque autem tempore capax videbitur ſaltem ad intelligendum, licet non poſſet loqui, excitandus eſt ad contritionem, vt dicat ore & corde, vel ſaltẽ corde *Pſal. 50.* *Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam:* *Pſal. 142* vel illud: *Non intres in iudicium cum ſeruo tuo Domine:* vel, Parce mihi Domine, quia peccaui nimis in vita mea: vel alia ex eis, quæ cùm ageretur de cõtritione, ſuperius dicta ſunt.

Licet autem ſit iam cõfeſſus,ſi vſum adhuc habet aliquẽ rationis & vocis,quamuis exiguum,petatur ab eo ſemotis etiam arbitris,an aliquid habeat,quod cõſcientiam grauet,cuius non meminiſſet, dum confiteretur, vel in quo non eſt quietus eius animus, vt ſuperius cap. 8. dictum eſt. Et ſi ſit aliquid, quòd expediat confiteri,poterit eum reconciliare. Si eſt reſtitutio, vel quid aliud faciendum, curet vt fiat, quemadmodum ſuperius dictum eſt. Suggerat etiam ei,vt proteſtetur ſe velle viuere,& mori in fide Catholica & vnione ſanctæ matris Eccleſię Romanæ. Quódque ſperat in miſericordia Dei, quòd per Ieſu Chriſti paſſionem, ac mortem, ſibi ſua condonabit peccata,& ad vitam æternam perducet, & verbis præire poterit ipſe qui iuuat, vt alibi diximus:ſed hic concisè & breuiter magis, & ſequatur eum ægrotus ore, vel ſaltem corde.Quod attinet ad ea quæ ad caritatem mouent,ſi capax erit,aliqua dicantur ex iis quæ cap.7. ſunt dicta,& ſic de aliis, quæ cum benè diſpoſitis diximus poſſe obſeruari, ſemper habita ratione perſonæ & vſus rationis & linguæ quã habet, ſed imprimis vt in corde & ore habeat nomen Ieſu, & ei ſe commendes,&

beatiſſimæ ipſius Matri, & Angelis ac ſanctis. Deinde ad ea ſe conuertet, quæ ſine ipſo ægroto fieri poſſunt, de quibus capite 19. Illud autem eſt obſeruandum, cùm moriens iam nullum videtur habere vſum rationis, & illa exercentur, quæ diximus ſine ipſo poſſe fieri, vt interim conſideretur, an aliquod interuallum habeat, qui in extremis laborat, vt aliquid boni poſſit ei ſuggeri, & tunc nulla occaſio, licet exigua, omitti debet, quin ei, quæ maximè ſunt neceſſaria ſuggerantur, & in primis, ne ſine abſolutione decedat, ſi vel vnicum peccatum verbo aut nutibus potuit confiteri.

Quid agendum, cùm ægrotus vſum habet rationis & ſermonis, ſed eſt breue tempus ei reliquum.

CAPVT XVI.

ACcidit aliquādo vt ægrotus iudicio quidem, & ſenſibus, ac voluntate ſit bene diſpoſitus, vt iuuari poſſit: ſed tēpore deſtituitur, vt contingere poſſet, cùm quis vulneratus eſt lætaliter, vel vtcumque, cùm timetur, ne mors, vel delirium breui

breui ſuccedat: tunc euocatus aliquis, vt moriturum iuuet, ſi intelligit, quòd non eſt con eſſus, imprimis ſemotis arbitris, eum hortetur, vt dolorem de offenſis Dei habeat, & confiteatur ſua peccata, ab eis incipiendo, quæ magis eius conſcientiam grauant, & poſtquàm dixerit, quæ recordatur, ſi videntur aliqua neceſſario eſſe interroganda, ſtatim, & expedite interroget, & tantum de iis, quæ mortalia eſſe poſſe videntur. Et ſi nihil ipſe ex ſe diceret, ſed interrogari vellet, confeſſarius interroget, ad eumdem modum incipiendo ab eis, quæ ſecundum ſtatum ægrotantis, vel cognitionem, quam de ipſo habet, in eo probabiliter locum habent. Et ſi non videret contritionem ſufficientem, hortetur ad eam procurandam, & iuuet ad id ipſum, breuiter exaggerando peccata, & ingratitudinem peccantis erga Deum, ſic amantem, & benefacientem, curando, vt dolor ſit non tantum propter pœnam, quam metuit, ſed magis propter offenſam tanti Patris, & de ſe tam benè meriti, vt non ſit cum diffidentia cõiuncta, ſed cum ſpe in miſericordia infinita, & bonitate Dei, & in meritis paſſionis & mortis Ieſu Chriſti conſtituta.

De confeſſione.

Et breuiſſimè quoad eius fieri poteſt, hæc tranſigens, abſolutionem impendet: licet poſt abſolutionem (ſi tempus ſuppetet (alia etiam ex dictis alibi poſſunt adduci, ad maiorem contritionem, ſpem & dilectionem Dei in ipſo ægrotante excitandum conferentia.

De communione & extrema vnctione.

Interim dum cõfeſſionem audit, præmonitos oportet alios, vt ſanctiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ & extremæ vnctionis, præſto habeant, & ex parochia adferri curent, niſi facultatem haberet ægrotus, à quo vellet, ea ſacramenta accipiendi? & diſponat breuiter ægrotum ad communionem, & ad petendam extremam vnctionem, imò & accipiendam, primo quoque tempore vt maiore cum deuotione, compos mentis eam accipiat.

De reſtitutiõe & pacificatione.

Si deprehenderet in confeſſione aliquam reſtitutionem eſſe faciendam rei, vel honoris, & conſtat de quantitate & perſonis, quibus debet fieri & adeſt facultas ſtatim reſtituendi, dum parantur alia ſacramenta, curet, vt ſtatim fiat, vel ordinetur (ſi res id patitur) alicui, vt faciat eam, vt puta œconomo, vel amico, cui confidere poſſit. Idem ſi venia inimicis, vel eis qui eum offendiſſent eſſet danda,

danda, & hoc coram Notario & teſtibus, vel ſi non ſuppetit tempus vocandi Notarium, ſaltem coram teſtibus (ſi inimicitia vel offenſio eſſet publica, vt ſuperius diximus) fiat. Si non poteſt ſtatim reſtitutio fieri, quia non conſtat de quantitatibus rerum, vel de perſonis, vel quia non eſt ad manum pecunia, vel id quod debet reſtitui, præter promiſſionem ægroti, curet, vt idoneo alicui iniũgat, vt de ſuis debitis inquirat diligenter (& dicat ægrotus ſi quid meminit) & ſoluat ſtatim, vel cùm primum fieri poſſit: quòd ſi res, vel tempus aliud non patitur, in teſtamento (quòd ſi vita durat faciendum eſt) vel ſaltem coram teſtibus, aut quocũque modo, ac via commode poterit, grauet hæreditatem ſuam hoc onere reſtituendi, vel ſoluendi quod debet: ita vt nihil executores vel hæredes prius quàm hoc exequi curent. Si breuiſſimè hæc fieri non poſſunt dummodo videatur prompta volũtas ægroti ad ea facienda, non impediet, nec ab abſolutione, nec à communione, nec ab extrema vnctione, ſed qui iuuat non deſerat eum, donec quo ad eius fieri poſſit, ſuæ conſcientiæ in prædictis ſatisfaciat: ſi non habet facultatem ſoluendi debita,

propo

Quid cũ non poteſt reſtituere. Quid cũ proponat moriens, quòd ſi Deus vitam daret, quandocumque poſſet, ea ſolueret, nec putet ea tunc ſalutem æternam ipſius impeditura, quia Deus omnium Dominus eſt: tantùm vt de ſuis peccatis, ſuper omnia dolere nitatur, & in Chriſti meritis, & miſericordia Dei ancoram ſpei figat.

Moriens petat ſuffragia piorum locorum. Si fieri poterit, mittat ad loca pia, & petat orationes, & Miſſarum ſacrificia, vt dignetur Dominus dare tempus ad ea quæ animæ ſaluti ſunt neceſſaria, ante mortem conficienda, & ad eadem, & ad alios pauperes mittat eleemoſynas, ſic facultas ſuppetat, & quidem liberaliter. Et ſi ipſe non id faceret, amici deberent facere pro eo, vt & reliqua, quæ ſine ipſo tranſigi poſſunt.

Ordo rerũ cum talibus agendarũ. Si rebus neceſſariis peractis, ad alia ſuppetet tempus, fient ex dictis in cap. 5. 6. & 7. quæ poterunt, ſed præcedant omninò, quæ ſunt magis neceſſaria. Memor ſit autem qui confeſſionem audit eius, qui in articulo mortis eſt (id eſt, de quo probabiliter creditur, quòd morietur, vel de eius morte multum dubitatur à medicis, vel aliis prudẽtibus) quòd quiuis Sacerdos Catholicus poteſt abſoluere illum ab omnibus peccatis, etiam *Quo in caſu quiuis poteſt abſoluere.*

Sedi

Sedi Apoſtolicæ, & in Bulla Cœnæ reſeruatis,& conſequentibus cenſuris, &c. Si tamen peccatum annexam habet excommunicationem, à qua non poſſit extra hunc caſum ipſe confeſſarius eum abſoluere, debet iniungere morienti, vt ſi conualuerit, ad ſuperiorem pro remedio confugiat. Quæ intelligantur, ſi non poſſet moriens præſentiam habere Superioris, qui facultatem talem habeat: nam tunc eſſet ille vocandus (ſi non eſt periculum in mora) pro caſu illo reſeruato.

De iis quæ agenda ſunt cum iis qui intellectu quidem valent, ſed voluntas illis ægra eſt, vt id faciant quod facere eſt neceſſe.

CAPVT XVII.

SI illi quibus mors imminet, non deſtituuntur vſu rationis, & ſenſuum, ac ſermonis, nec tempore, ſed voluntate faciẽdi quod ad ſalutem ipſorum neceſſarium eſt, imprimis iuuandi ſunt amicorum, vel conſanguineorum caritate, qui pro eis orationes, & eleemoſynas fieri, & Miſſas dici curent, vt ſic indiſpoſitis impetretur à Deo miſericordia, qua dignetur

Aliorum orationibus iuuẽtur, &c.

tur cor eorum emollire, & ad vitam ſalutis, in tantæ neceſſitatis tempore, adducere. Et tam, quæ ab ipſo, qui iuuat, quàm quæ ab aliis, ſine ipſo ægroto fieri poſſe diximus, cum talibus ſunt perneceſſaria,& largius faciēda, & ad hunc finem applicanda, vt à Deo gratia impetretur, qua illi benè ſe ad migrandum diſponant.

Qui apud talē auctoritate valent, hortentur eum.

Interim tamen non omittantur quæ cum ipſo ægroto fieri poterunt. Et ſi aliquis ſit, qui apud eum auctoritatem, vel gratiam habeat, is eum hortari deberet & rogare, vt curaret ad ſe vocari virum aliquem ſpiritualem, à quo conſolationem & auxilium acciperet, ea dicendo de perſona eius, quæ libentius eum audiri,& magis ei credi facient. Sed quamuis hoc non fieret, inuiſat eum Sacerdos,& ſalutet eum, & amanter appellet, & de morbo interroget, & compatiatur eius ægritudini, & compaſſionem ipſam præ ſe ferat, vt amoris ſignificatio cōciliet beneuolentiam apud ægrotum, quæ multum conferat, vt quæ ad ſalutem ſuam faciunt, ab eo libentius audiat. His præmiſſis blādè hortetur ægrotum, vt ad Deum pro remedio confugiat, qui ſæpe per morbos hoc agit, vt

Vnde incipiat qui iuuat.

qui

qui obliuiſcebantur ſui creatoris, hoc quaſi ſtimulo incitati, ad ipſum refugiant. Quòd autem propter peccata interdum immitantur morbi, patet in paralytico vnde ſanato Chriſtus ait: *Vade, & iam amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Vnde obſeruari oportet illud Innocentij ſalubre decretum, vt ſcilicet initio morbi, ægroti confiteri teneantur, vt medici in eorum curatione pergant. Deus enim, vt omnipotens, & animæ & corporis morbos curare poteſt, & vt Pater noſtri amantiſſimus, vult omnia quæ nobis ſunt conuenientia, ſi humiliter ab eo petamus, tribuere. Prius tamen neceſſe eſt eius amicitiam & gratiam procurare. Nam licet Pater ſit clementiſſimus, & magis omnia bona nobis conferre velit, quàm nos accipere, nihilominus quia iuſtus eſt, vult, vt qui peccauit contra ipſum, agnoſcat ſuum errorem, & vt ei diſpliceant, quæ malè geſſit contra ſuum creatorẽ, & tam multorũ beneficiorum auctorem, & vt confiteatur Sacerdoti, cui dedit Deus facultatem abſoluendi ab omnibus peccatis, & ita dicatur, quòd ex ea confeſſione debeat initium facere ſuæ recõciliationis cũ Deo, ſi volet con-

Ioan. 5.

Can. Cũ infirmitas de pœnit. & rem.

Quomodo ad cõfeſſionem diſponat.

fiteri benè eſt, & cætera fiant, vt ſuprà.

Contra differentes confeſſionẽ. Eccleſ. 5.

Si adhuc nollet confiteri, vel differret, dicere illi oportet illud Eccleſiaſtici, de quo ſuprà ca. 2. *Fili, non tardes conuerti ad Dominum*, & reliqua quæ ibi habentur contra differentes: quia ſi mors in ſtatu peccati aliquem deprehendat, eſt certa damnatio. Faciat ergo quod facturus eſt, dum tempus habet. Forte etiam diuina bonitas, ſi miſit hoc flagellum propter peccata, cùm ea confeſſus erit, reſtituet ſanitatem corporis. Quòd ſi omnino ab hac vita recedendum erit, videat ipſe, quanti referat ad æternam vitam tranſire, & ab æterna damnatione liberari. Si opus erit, addi poterit aliquid de honore, vt ſcilicet, quòd magna infamia ſit in tali tempore non ſe diſponere ad moriendum, vt decet Chriſtianum, quódque nec ſepultura dignus eſſet Chriſtianis conſueta. Addatur etiam quòd conſolationem magnam ſperare debeat: poſtquam confeſſus fuerit peccata ſua, licet modo moleſtum eſſe videatur, confeſſionem inſtituere.

Inquiratur cauſa cur no lit confiteri.

Quòd ſi ne tunc quidem ſe paratum ad confitendum oſtendit, curet intelligere cauſſam eius rei. Aliquando enim id accidere poſſet ex infidelitate, vel hæreſi,

reſi, aliquando etiam ex deſperatione: propter malè actam vitam, & multa, grauiáque peccata, quæ forte à multis annis non eſt confeſſus. Aliquãdo etiam ob pactum aliquod initum cum dæmone, qui ipſum iam vicinum morti, retinet, ne confiteatur. Aliquando ex affectu aliquo fixo, circa aliqua peccata, à quibus non vult ipſe recedere, quale eſt odium, vel vindictæ appetitus, vel vſura, aut aliqua malè parta, quæ non vult reſtituere, aut carnis peccata, vel ſi quid huiuſmodi eſt. Aliquando accedia quædam & difficultates confitendi horror.

Quid, ſi infidelitas vel hæreſis deprehẽditur.

Si infidelitas, vel hæreſis detegitur, ea quæ de fide dicta ſunt cap. 12. proderunt, potius quàm diſputare in particulari, niſi magnam daret occaſionem ægrotus, rationem ſui erroris aſſignando: tunc enim confutari id expediret, vel ab eo qui iuuat, vel ab alio in eiuſmodi rebus peritiori. Sed communia illa magis ad rem faciunt, etiam in hoc caſu, vt plurimum. Peti etiam ab eo poſſet, an putet ſalutem conſequi eos poſſe, qui tenent, quod Catholici Chriſtiani tenemus. Si negat, abſurdum iam eſt manifeſtè, tam multa millia hominum, qui virtuti & pietati dediti fuerunt, dam-

nari. Si admittit (vt quidam infideles admittunt,& etiam hæretici)ſaluos eſſe poſſe,tunc inferre poterit, cùm ergo qui credunt quod Eccleſia Catholica credit ſalui eſſe poſſint per te, per nos autem nullus eſſe ſaluus poſſit extra hanc Noë arcam, cur in tanto periculo damnationis æternæ potius, quàm in ſecuro ſtatu, vis ex hac vita decedere. Addi etiam poſſunt, quæ ad effectum mouendum faciunt, quale eſt in inferno, pœnis numquam finiendis, cruciari, & in hac vita in infamiam ſuam, & ſuorum indelebilem incidere, &c.

Gen. 6. & 7.

Quid ſi deſperatio detegitur.

Si animaduertitur quòd ſit potius deſperatio, ob grauitatem & multitudinem peccatorum, tunc locum habent, quæ de ſpe erigenda dicta ſunt cap. 6. & 13. & quod totius mundi peccata, Dæmonum ſimul & hominum, ſi in vno homine coniungerentur, in abyſſo miſericordiæ immenſæ, velut nihilum abſorberi, & vna gutta ſanguinis Chriſti lauari poſſent. Nouit Deus figmentum ſuum, & eius fragilitatem, & ad peccata propenſionem, & prompta eſt ipſius benignitas ad ignoſcendum, ſi humiliter quis ea agnoſcat, ei diſpliceant, & veniam confidenter ſperet, & poſtulet

à Dei

à Dei miſericordia per Ieſum Chriſtum,&c.

Quid ſi pactũ cũ dæmone impedit.

Si (quod raro accidit, ſed poteſt tamen accidere) pactum aliquod cum dæmone initum, diffidẽtiæ & deſperandæ ſalutis cauſa eſſe percipitur, dici debet, quod proditori nullum pactum eſt ſeruandum, licet propria manu, imo & ſanguine (quod quidam fecerunt) eſſet chirographum dæmoni datum: & quod deceptorem decipere debet, & confugere ad verum Deum & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui creauit nos, & à poteſtate dæmonis, & tenebrarum, per ſanguinem ſuum nos eripuit, & tranſtulit in regnum ſuum: & exempla adduci poſſunt, vt illius, qui à beato Baſilio adiutus eſt, & chirographum, quod dederat dæmoni, fuit ei reſtitutum, & aliarum perſonarum notarum, quas cõſtat initum pactum cum dæmone eluiſſe per confeſsionem, & viam ſalutis eſſe ingreſſas. Et licet dæmon non redderet chirographum, non refert, quia Chriſtus Ieſus, Dominus eſt abſolutus vniuerſorum, & ita dici debent quæ ad ſpem faciunt, alibi dicta, & quæ ad contritionem, præponente ipſo ægroto, ſi Deus vitam dederit, pœnitentiam

Chriſtus eſt abſolutus vniuerſorũ dominus.

& ſatisfactionem ad arbitrium Confeſſarij.

Quid cũ ex affectu pecca ti nõ vult confiteri. Si difficultas confitendi, ex eo procedit, quòd non velit ægrotus vel affectum peccati relinquere, vel rem iniuſtè poſſeſſam, aut damnum illatum reſtituere, in primis ſignificetur ei, quòd certa mors imminet, quæ faciet, vt omnia bona hæc, & corpus ipſum, cum ſuis affectibus relinquantur, nec ſecum feret aliud quàm animam ſuam, & bona vel mala, quæ egerit, & quòd ante tribunal Chriſti ſiſtetur, vt ſecundum ea, quę geſſit vel ad ignem æternum damnetur, vel vitam æternam accipiat. Et ſi timet filios in paupertate deſerere, reſtituendo quod debet, vel ab iniuſto quæſtu recedendo (nam in hoc ſolet eſſe maior difficultas, quàm in aliis affectibus (videat, quam ſit contra omnem rationem, vt velit ipſe in æternum paupertate, & duris tormentis cruciari, vt filij habeant bona temporalia, quæ fortè illis erunt cauſſa eiuſdem damnationis, & quibus fortè non diu fruentur etiam in hac vita, quia malè parta, malè dilabuntur, & de eis rarò gaudebit tertius hæres, & quod Dei, Patris veri, prouidentiæ ſunt committendi. Poſtquàm is fecerit,

cerit, quòd iuſtè pro eis poſſit, & demum addi debent, quæ timorem incutiunt pœnarum, & quæ mouere poſſunt, ad præferenda his bonis terrenis cæleſtia & ſempiterna bona, ad quæ ſe diſponet, relinquendo, quæ iniuſtè hic retinentur. Et quia varia hominum ingenia, variis modis mouentur, ſi via timoris nō ſufficit, nec ſpei, tentetur ea, quæ ratione amoris valeret mouere. Et vim habere poſſet in iis, qui carnalibus affectibus adhærent, & etiam in aliis, explicando beneficia Dei, tam naturæ, quàm gratiæ & gloriæ, vt ſupra capit. 7. Et caritatem Patris æterni, qui cùm inimici eſſemus, dedit filium ſuum, vt nos ſeruos redimeret, dilectionem filij, qui vitam ſuam dedit pro nobis, vt ſuprà capit. 7. Aliqua etiam de fama vel bono nomine in hac vita poſſent quoſdam mouere. Et ſi obſeruabit quòd ægrotus, his potius quàm illis rationibus, vel modis moueatur, in eis magis hæreat (cum moderatione tamen prudenti) quæ efficaciora ſenſerit, vt is ad ſalutem ſuam curandam excitetur, ac iuuetur.

Quid cũ ex accedia impeditur.

Si difficultas non videtur in affectu fixo ad peccatum, ſed potius in accedia quadam, quæ facit vt laborem ſe diſpo-

nendi quis exhorreſcat,in primis ſignificanda eſt ei mortis imminentis vicinitas, & damnationis æternæ periculum, ſi non fecerit quod debet, deinde offerat ſuam operam, qui iuuat morientem, ad redigenda ei in memoriam peccata, & partem pænitentiæ, ſi opus erit, pro ipſo ſubeundam. Et ſi ne tunc quidem vellet, prodeſſe poſſet, quod alicui ex patribus noſtris accidit cum quodã, qui confiteri ſacramentaliter recuſabat: vt ſcilicet per modum colloquij cum ægroto (ſemotis arbitris) interroget de ſpeciebus peccatorum, quæ ipſius conſciẽtiam premunt, deſcendendo quantum poſſit,& ſit ſatis,ad particularia. Et cum iam vel omnia,vel magnam partem habuerit, dici poſſet ei, Ecce tu timebas laborem confeſſionis, & tamen ferè omnia confeſſus es, quæ oportebat. Vis ergo finire quod reliquum eſt, vt tibi impendam beneficium abſolutionis (ſi admittet, tunc, vt cum magis diſpoſito, pergat ad reliqua, & ad dolorem pro peccatis habendum adiuuet,vt ſupra cap. 2.& cum eò adductus erit, vt abſolui poſſit,eum abſoluat.

Adducatur ad eleemoſynas, &c.

Vndecumque accidat difficultas ęgroto, ſi in primo congreſſu non ſibi per-

ſuaderi ſinit, vt confiteatur, & ad mortem ſe diſponat, curet qui iuuat, vt eleemoſynas pro ſe faciat, orationes, & Miſſarum ſacrificia poſtulet, oret & ipſe, ac Deo ſe commendet, vel ſi per ſe hæc non fecerit, committat aliis, vt pro ipſo, quàm largè fieri poſſit, ea præſtent, & non ita eum, qui talis eſt, relinquat, ſi fieri poſſit, quin denuò ad ipſum reditus pateat, ad agendum de iis, quæ ad animę ipſius ſalutem pertinent: ideò, vt ne moleſtus ſit ægroto, (ſic diſpoſito præſertim) imò, vt ei gratus ſit, & conſolationẽ adferat, ſtudere debet. Et ſi de aliquo alio putaretur, quod futurus eſſet gratior ægroto, vel maioris auctoritatis apud ipſum, ſuggerat amicis infirmi, vt is euocetur. Si tandem ad confeſſionem adducetur, procedi cum eo poterit in communione, extrema vnctione, teſtamento, & aliis, quę conferre dicebantur morientibus, prout dictum eſt cum benè diſpoſitis, ad auxilium ferendum procedẽdum eſſe, ſecundum quod tempus, locus & perſonarum qualitas feret.

Quomodo agendum cum iis qui per miniſtros iuſtitiæ mortem violentam ſubituri ſunt.

CAPVT XVIII.

CVm his qui ex auctoritate ſuperiorum mortem in pœnam alicuius delicti, & aliorum exemplum ſubituri ſunt, duo potiſsimum videntur eſſe curanda: Primum eſt, vt ſentētiam capitalē æquo animo ſuſcipiant, & tamquam de manu Domini admittant. Secundum, vt ſe ad tranſitum in futuram vitam, vt oportet, præparent. Ad primum ergo, ſi non eſt reo ſignificata ſententia mortis, qui eum iuuat cum demonſtratione compaſsionis & caritatis eam ſignificet, & hoc vel alio modo ſimili, vel meliori, ſi occurrerit, dicat: Cariſsime frater, vel, Domine, placuit diuinæ prouidentiæ, quę miris modis ſuorum electorum ſalutem curat, vt ab hac temporali vita & miſera, in aliam tranſferaris, & ſi voles diſponere te (vt ſpero facies) huius vitę finis, alterius multo melioris tibi erit initium, gratias agere debes infinitę bonitati Dei noſtri, qui paterna pietate voluit te quaſi flagello quodam mortis huius breuiſsimę percutere, vt morte perpetua, & acerbiſsima non eſſes puniendus. Vt Hieronymus ait, Nouit Dominus, ſicut

ſicut omnium rerum,ita & ſuppliciorum quoque menſuras, & non præueniri ſententia iudicis: Nec dubites quod ſine ipſius voluntate & diſpoſitione tale quid tibi contingat. Si liber ſinebaris, omninò moriendum tibi erat, *quia ſtatutum eſt hominibus ſemel mori*, & hac lege in mundum hunc per præſentem vitam venimus, vt ab eo per mortem, cùm Deo placeret, recederemus. Ac fortè ſine commoditate temporis, & aliorum auxiliorum ad benè moriendum, & te ad vitam æternam diſponendũ, mortuus fuiſſes, & ita mors temporalis, initium tibi æternæ mortis, & tormentorum fuiſſet, ſi in mortali peccato deceſſiſſes. Sed tui miſertus Deus, vt pater amantiſſimus, voluit vt per mortem hanc tibi infligendam, purgares peccata tua, & breui compendio te ad fœlicem & numquam finiendam vitam præpares. *Hebr. 9.*

Si is, qui capite multandus eſt, ſciebat ſententiam, mœſtus eam acceperat, cùm Sacerdos accedit, nihilominus conſolari ſimilibus modis eum oportebit, & hortari, vt non indignetur vel iudici, vel contrariæ parti, ſed tãquam de manu Dei mortem ad ſatisfactionem pro ſuis peccatis accipiat, nemo enim puni-

tur

tur bis in idipſum,& ita fiet vt de neceſſitate virtutem faciendo, multò breuius habeat purgatorium, & citius ad cæleſtem fœlicitatem euolet, quàm ſi domi ſuæ magno cum honore obiiſſet. Exemplum boni latronis adducat, qui ſe mortem commeruiſſe agnoſcens, dum ait,

Luc. 23. *Nos quidem iuſte, quia digna factis recipimus*, & Chriſto Domino ſe commendans, dicendo, *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum*, meruit illa verba plena conſolationis audire, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.* Sic ergo & ipſe, ſi mortem patienter, & cum actione gratiarum ſuſceperit, & ad Dei honorem, & in ſatisfactionem ſuorum peccatorum obtulerit, & vt ſic Deus eam admittat ſimul cum morte filij ſui orauerit, Chriſtóque ſe ex animo commendauerit, ſimilem in eo liberalitatem experietur: de qua Hieronymus ait. Chriſtus de cruce latronem tulit, & homicidij pœnam fecit martyrium, & quamuis martyrem non faciat pœna, ſed cauſa, ſententia communis doctorum eſt, quod mors inflicta per miniſtros iuſtitiæ, ſi patienter toleretur, & ad Dei honorem, & ſuorum, peccatorum remiſſio

De pœni. d.2.c.importuna ex epiſt. 2.ad Damaſum.

miſſionem, Deo offeratur, pręcipuè cum contritione peccatorum, & cum memoria paſsionis CHRISTI, ſatisfactoria quam maximè eſt. Accipiat igitur, vt de manu patris, immo & medici ſapientiſsimi amaram potionem, quæ ſalutis æternæ ſit cauſſa. Omnia mala huius mundi breuia, & parui momenti ſunt, ſi comparentur cum futuris, & tamen ſi benè, vt oportet, ea feremus, *quòd momentaneum eſt, & leue tribulationis noſtræ, ſuprà modum magnum æternæ gloriæ pondus operatur*, ſecundum Apoſtolum, & alia multa, ſi opus erit, dici ad conſolationem poſſunt, vel pauciora, ſi bono animo eſt, qui mori debet, vel exiguum tempus antè mortem conceditur. 2.Cor.4.

Ad ſecundum, vt benè ſe ad tranſitum diſponat magis adhuc elaborandum eſt. & antè omnia, vt confeſſionem peccatorum faciat, & ferè expedit, vt generalis fiat confeſsio; præſertim ſi tales ſint rei, vt timeri probabiliter poſſit, quod prius non benè & diligenter ſint confeſſi, & à confeſſario iuuentur ad memoriam per examinationem, & ad cōtritionem peccatorum, per ea quæ magis eos (quorum ingenium obſeruari debet) motura cre

ra creduntur, ex iis quæ 2. capite dicta ſunt: & ſi debent aliquid alicui & poſſunt reſtituere, in primis id fiat, ſiue res, ſiue honor ſit reſtituendus. Si iniuriã vel dãna accepit, vt remittat ex corde ſuo, ſi ipſe intulit, vt veniam petat, curetur: ſi odium habet vel inimicitias, vt prorſus remittat.

Si in tormentis falſum teſtimonium contra ſe, vel alios dixiſſet, famam reſtituat pœnitentiam deniùm exigua imponatur, quam ſtatim exequi poſsit, & dicat ei, vt ipſam mortem, & infamiam vel quicquid eſt, quod mortem grauiorem facere poteſt, accipiat in pœnitentiam, & vt in actu pœnitentiæ omnia toleret vſque ad extrema: Si habet vnde teſtamentum faciat, hortetur vt id condat. Si liberos, vel vxorem, vel alias perſonas, aut res ſibi commendatas publicè, aut priuatim habeat, ipſis, vt optime poterit, prouideat: Et ſi facultatem habet ad eleemoſynas faciendas (præter ea quæ obligatoria & debita ſunt) hortetur, vt præmittat in cælum per manus pauperum quicquid poteſt: Communionem etiam in viaticum petat, quæ iuxta canones, & theologorum ſententiam, negari non debet, & ſi fieri non poſsit, vt miſſam audiat eo die quo ſupplicio

Communio damnato ad mortem non neganda.

plicio eſt afficiendus, in ea offerat vitam ſuam, & labores, ac ærumnas Deo Patri ſimul cum morte Domini noſtri Ieſu Chriſti, ad honorem ipſius, & in ſatisfactionem ſuorum delictorum.

Demùm quæ ſuperius de actibus contritionis, fidei, ſpei, & caritatis dicta ſunt, eis qui ſupplicio afficiuntur, prout diſcreta caritas dictabit, (habita ratione perſonæ & temporis,) applicari poſſunt: & ſiue comitetur patientem vſque ad ſupplicium ipſum (quod laudabiliter admodum fieret, ſi alij officio iſto caritatis non fungerentur) ſiue non, commendet illi tria: primum eſt, vt omni alia cura abiecta, ſuam voluntatem cum voluntate Dei conformet, illud ex animo dicendo Deo, *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra*: vel illud. *Sit nomen Domini benedictum*: ſuam mortem ipſi offerendo, vt dictum eſt. Secundum, vt in paſſione & morte Domini noſtri Ieſu Chriſti memoriam defigere conetur, vt ſiue ligetur, ligatum Chriſtum: ſiue ducatur, deductum illum ad ſupplicium: ſiue durum quiduis patiatur, cruci affixum Chriſtum conſideret, & gratias agendo, quod ille innocentiſſimus pro noſtris peccatis delendis tulerit, &

Tria dãnato ad mortem commendanda.

Mat. 6.

Pſal. 112.

veniam

veniam per eadem ſupplicia petendo ſperet in ipſo, & vicinus morti dicat, Pſal. 30. *In manus tuas Domine Commendo ſpiritum meum.* Tertium vt commendet ſe beatæ Virgini, Angelis, & ſanctis, & potiſsimum inuocet ſanctiſsimum nomen Ieſu, & cum ipſo in ore vel corde moriatur. Qui autem moriturum comitatur hæc ſuggerat maiori quàm vnquam caritate, & animet ſpe vitæ æternæ patientem, & aliqua ex iis verbis dicat quæ iis qui ſunt in tranſitu dici ſolent. Et ſi habet aliquid de quo recomciliari velit, etiam in loco ſupplicij ipſum audiat, & abſoluat, & hortetur vt petat orationes aliorum ſpectantium, vt ter Pater noſter, Aue Maria, vel ipſe petet nomine eius: & ſi viderit opportunè aliquid dici huiuſmodi ſpectatoribus ad ædificationem poſſe, id facere licebit.

De iis, quæ ad morientem iuuandum faciunt, ſed ſine ipſo tractantur.

CAPVT.

CAPVT XIX.

QVÆ hactenus dicta ſunt:ad ægrotantis auxilium,non niſi per ipſum, vel ſaltem non ſine ipſo tranſigi poſſunt, alia ſine ipſo fieri poſſunt, & debent, vt quæ hic dicentur.

Primum autem inter ea locum habet Oratio ſacerdotis ipſius, qui iuuat morientem, tam cùm admiſſus ad eum eſt, ac recitat illud Beati Iacobi, ſcilicet. *Infirmatur quis in vobis*, &c. dicítque ſtans, & aperto capite, Euangelium & Orationem ſuper infirmos dici ſolitam, quam cùm admiſcet aliis colloquiis cum infirmo alias preces alia vel ſubmiſſa voce: ſed crebrius & diutius orabit, quando infirmus, ſenſum & iudicij vſum amiſit, vt etiam ſuperius dictum eſt. Alterum locum habet Oratio eorum qui præſentes ſunt,qui cum Sacerdote vel ſocio eius dicent Litanias, vel aliis Orationes pro infirmis. Et hæc intelliguntur præter orationes, quas in via facere, & domi etiam debet, qui morientes iuuat, de quibus primo capite.

Oratio ſacerdotis.

Iac. 5.

Oratio aliorum præſetiũ.

Si commodè fieri poterit,aget cum iis, qui coniuncti ſunt ægrotanti, vel eius curam

Eleemoſyna,vota.&c.

curam habent,& rerum eius,vt eleemo-ſynas pro eo faciant, de bonis ipſius, vel vt volent,& Miſſas dici pro eo,& in monaſteriis & locis piis orationes in eius ſub uentionem fieri curent, ſi etiam ieiunia aut aliæ caſtigationes corporis, & aliqua vota, & piæ aliæ actiones & Miſſarum præcipuè ſacrificia, pro eo fiant, iuuare haud dubiè poterunt, & in omnibus his petatur,vt Dominus infirmo ſit propitius & vel ei reſtituere dignetur ſanitatem,ſi ad melius ſeruiendum ipſi expediet, vel ſi ex hoc ſæculo transferre in aliud omninò volet,vt benè ipſum diſponat,ad æternæ fœlicitatis conſecutionem.

Aqua benedicta, etiã imago crucifixi.

Si non fuerit in cubiculo aqua benedicta, curet vt afferatur, & eum ipſe & alij aſpergant, ea interdum, & ipſum lectum & cubiculum contra Dæmonis moleſtias: ſi non habeat Crucifixi imaginem, vel aliam ſaltem, quæ ad pietatem excitet, & iuuet,adferri, & ibi teneri curet: & infirmo ea oſculanda interdum admoueatur, vt per eius aſpectum vel oſculum ad aliquem pium affectum excitari poſſit.

Commẽdatio animæ.

Cùm ad vitæ finem proximè accedere, & in agone eſſe videtur, commendatio

datio animæ, ſecundum communem Eccleſiæ ritum, fiat ab eo, qui adiuuat, & tunc potiſſimum, cùm cætera ſunt peracta, quæ præcedere ad auxilium morientis debent, vel cum ipſe non eſt iam ſenſuum & mentis compos: tunc enim commendatio prædicta: & orationes, & pia opera, de quibus ſupra, præcipuæ ſunt adiumenta, quæ morienti adferri poſſunt.

Remoueantur à conſpectu morientis, qui nutriũt affectus humanos.

Remoueantur ab ægrotantis aſpectu, qui bonam ipſius præparationem ad moriendum impedire poſſent, vt eſſe ſolent perſæpè filij, & vxor, qui potius humanos affectus, quàm ſpirituales in eo prouocarent: ſecus eſſet ſi ſpirituales, & ad infirmum adiuuandum idonei crederentur: adhibendi autem eſſent homines boni & pij, qui morienti aſſiſterent, & bona aliqua ſuo loco & tempore ſuggererent, & ſaltem pro eo orarent, & in agone Symbolum Apoſtolorum, & paſſionem Domini, vel aliquos Pſalmos ad rem accommodatos, & ex more Eccleſiæ ſuper agonizantes dici conſuetos, prælegerent, quales ſunt qui ſequuntur.

Adſint qui in cubiculo morientis orent pro eo.

Pſal. 90.
Pſal. 27.
Pſal. 30.

Pſalmi. *Qui habitat in adiutorio altiſſimi. Dominus illuminatio mea. In te*

Qui Pſalmi oppor-

tunè dicantur: circũſtantibus. *Domine ſperaui. Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum. De profundis. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Ad te Domine leuaui animam meam. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi. Eripe me Domine ab homine malo.* Et alij, qui melius leguntur, quàm memoriter dicuntur. Et ſi aliquid intelligit patiens, illa inculcanda magis ſunt, quæ ad eius guſtum & vtilitatem tunc magis pertinent. Symbolum etiam circa horam tranſitus non ſemel recitari expedit, & voce, quæ affectum pium excitet, & ſic *non confundetur moriens, cùm loquetur inimicis ſuis in porta,* iuxta Pſal. Laudabile autem erit, ſi ſacerdotes fuerint vel ſaltem aliqui eorum, qui hæc & alia orabunt in ipſius ægrotantis cubiculo, non ſolùm poſtquàm ſenſibus integris eſſe deſiit, ſed etiam dum adhuc intelligit. Et ſi poſſet ipſe ſine moleſtia audire aliqua ex his & eorum expoſitionem, benè quidem: ſi non poſſet, vtiliter tamen à prædictis ſacerdotibus, vel aliis piis hominibus, licet non audiret ipſe, nec ſciret, huiuſmodi orationes fierent, & interim etiam dum aliquis agonizanti loquitur, poſſent alij talia ſubſidia, orando ſeorſum, vel ſimul, ei præſtare, imò & pueri vicini, vt orent pro

Pſal. 4. *Pſal. 129* *Pſal. 22.* *Pſal. 24.* *Pſal. 121.* *Pſal. 139* *Pſal. 126*

pro talibus, optãdum eſſet, dicendo Credo, Pater noſter, Aue Maria, Salue Regina, Litanias, & alia.

De iis, quæ ad iuuandos eos pertinent, qui aſſiſtunt morienti.

CAPVT XX.

QVi morientem aliis præſentibus iuuat, quamuis præcipua intentione ad infirmi auxiliũ feratur, rationem tamen ſuo loco & tempore aliorum audiẽtium habere poterit, & debebit: vt ex his, quæ infirmo dicũtur, vel ſi quid aliud propter eos addatur, ædificationẽ accipiant. *Rationẽ habeat aſſiſtẽtiũ dũ loquitur infirmo.*

Aliquæ etiam digreſſiones fieri poſſunt (& interim cõquieſcet aliquantulum infirmus) ad hoc ipſum, vt ſcilicet præſentes iuuentur, ſiue omnibus ſimul, ſiue huic, & illi loquatur ſeorſum. *Digreſſiones.*

Cùm autem ægrotus vel iam obiit, vel omninò iudicij, aut ſenſuum vſu priuatus eſt magis adhuc locum habent, quæ ad aſſiſtentes dicuntur. Quædam ergo dici eis poſſunt ad infirmi vtilitatem (vt paulo ante dixim⁹) ſcilicet vt & orari, & Miſſas offerri & eleemoſynas pro eo viuo vel defuncto fieri, vel alia pietatis, & charitatis aut pœnitentiæ opera curẽt, prout *Tempus cõmodiſſimum ad iuuãdos aſſiſtentes. Quæ dicãtur eis in infirmi auxilium.*

diſcretio, circumſtātiis perſonarum conſideratis, dictabit. Et ſi præſentem ſe non fore putat in hora mortis, hortetur vt eo tempore dicant Litanias, vel alias Orationes, nec ipſi filij, & vxor vacent, quin potius ipſi orent, licet non expediat forte, vt ſint præſentes morituro, ſed alibi id faciant, dicentes Coronas, vel Miſerere, vel inuocantes Beatam Virginem, Angelos, & Sanctos, vt adſint morienti, & pro eo intercedant.

Quæ dicũtur ad ipſorum auxiliũ. Quędam verò ad ipſorum aſſiſtentium ædificationem, ſumpta occaſione ex eis, quæ de infirmo: vel mortuo ſunt viſa, dici poſſunt, vt

Vſus frequẽs ſacramentorum. Quàm bona ſit pręparatio ad mortem, innocens vita: quàm etiam frequens vſus ſacramentorum, & per confeſſionem aliquam generalem & diligentem, ſic ſuam purgaſſe conſcientiam & pacaſſe, vt nullum in articulo mortis negotium, peccatorum confeſſio, aut obligatio ad reſtitutionem faceſſant.

Mortis memoria. Quod ſæpe in ſanitate, mortis memoria habenda ſit, & ſic vita inſtituenda, vt in articulo mortis inſtitutam vellemus.

Tempus quã pretioſum. Quàm pretioſum ſit tempus, quod ad ſalutem noſtram operandam dat nobis Dominus, ſcilicet vt ſunt nundinæ mercatori

catori, vt aurifodina detecta, vel theſaurus non clauſus diuitias ſitienti, vt ſerenum tempus & proſper ventus nauiganti, vt tempus meſſis agricolæ, qui ſi prætereire ſinant præſentem occaſionem, nũquam eam fortaſſis ſimilem ſunt habituri, cum vel vna hora eſſet morienti magnopere expetenda, in qua integris ſenſibus & iudicio poſſet per pœnitentiam & bona opera ſe diſponere ad beatitudinẽ, & eius defectu poſſet aliquis in æternam damnationem incidere: *ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei.* *Gal.6.*

Quãta ſit vanitas rerum temporalium, cùm dignitates, honores, diuitiæ, voluptates & omnia, quæ hic magni fieri ſolent, relinquantur, ipſum corpus in puluerem redigatur, ad cuius commoditatem tam multa, & tam ſollicitè fiunt, perinde ac perpetuò eſſet hic viuendum. *Tẽporaliũ rerũ vanitas.*

Quantum ſit momentum virtutis, & quãtus actionum bonarum fructus, cùm vitam æternam promereantur, & morientes comitentur, iuxta illud Apocalypſis: *Audiui vocem de cælo dicentem mihi, Scribe, beati mortui, qui in Domino moriũtur: A modo enim iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illo-* *Virtutis quantus fructus.* *Apoc.14*

rum ſequuntur illos,& vtique ad gloriam perpetuam & fœlicitatem operantium ſequuntur.

Diligenter ergo eis, dum poſſumus, *Gal.6.* inſiſtamus, vt hortatur Apoſtolus, *Bonum autem facientes, non deficiamus, tempore enim ſuo metemus non deficientes.*

Cùm mors ſit tam certa, & eius hora tam incerta, quod quotidie ſic debemus *Hora mortis incerta.* nos diſponere, vt ſecurè poſſimus eodem die mori, nec debemus nobis longam vitam polliceri, nec in aliud tempus emendationem vitæ, & bonas actiones reijcere, incerti an ad hunc diem integrum victuri ſimus.

Libertas cordis in ſanitate eſt curanda. Quod optandum ſit, vt in hora mortis, non adhæreat affectus humanus rebus, vel perſonis terrenis, ſed cor totum liberum & expeditum, ad cęleſtia deſideranda, & ſummum bonum vnicè amandum ſe conuertat, & quàm fœlices ſunt, qui ſic ſe habent, vel ex ipſo ſtatu, vel ſaltem ex præparatione ante id vltimum tempus facta: vnde curare debemus dum viuimus ſani, vt id ita fiat.

Teſtamẽtũ maturè faciendum. Quod ad teſtamentum attinet, quàm conueniat, vt dum quis valet ſenſibus, & iudicio, id faciat, ne vel carendo, vſu

vſu integro iudicij, deliramentum faciat pro teſtamento, vel conſanguineis, aut aliis circa mortem vrgentibus, vel forte impedientibus eius volũtatẽ (quod tamen eſſe graue peccatum declaretur) non qua debet ratione fiat, nec vt par eſſet animæ teſtantis per opera, vel legata pia conſulatur. Ideò expedire etiam, vt dum quis valet, vel antequam morbus ingraueſcat, ea exequatur ipſe (ſi poteſt) quæ in teſtamento legare, aliis decreuit: vel ſaltem maturè per teſtamentum, vel codicillum leget, ne procraſtinando, ad eum ſtatum redigatur, vt non poſſit iam, quod ipſius animæ magnopere conueniebat, præſtare: & alia huiuſmodi, habita ratione perſonarum, opportunè dici circunſtantibus, vel in communi, vel ſeorſum agendo cum quibuſdam, poſſunt.

APPENDIX.

Quomodo adiuuandi, qui propter delicta ſua damnati, à Iudicibus mortis ſententiam acceperunt.

Morte mulctãdos adiuturi: ſint antea illis familiares.

PErutile ſanè eſſet in primis, vt iis omnibus, qui à mœrore ac triſtitia, morte mulctandos leuaturi vocantur ad carceres, omnis eorumdem viuendi ratio prius nota fieret, ac familiaris, confeſſiones excipiendo, eoſdem adhortando, atque adeò etiam, ſi res ita poſtularet, vtrumque hominem pro viribus adiuuando: ſiquidem multum conferre videtur, vt huiuſmodi viri ab his, quos in carceribus degentes inueniunt: pòſt verò ad ſupremum damnantur ſupplicium in magno honore habeantur, dum recordantur ſe cum illis antea horas totas familiariter eſſe locutos, quos ad id præſtandum, diuini honoris zelo, & ſuarum animarum ſalutis deſiderio impulſos cognouerunt: quo etiam ſæpe moti omnem illis vitæ ſuæ rationem apertè declararunt. Quæ quidem res aperit ampliſſimum aditum ad facilè, id quod intendimus, obeundum. Contrà verò ſi quis fortè reum, qui iamiam ad præſentem ducitur necem, ſolari voluerit, cùm numquàm eum nec de nomine, aut facie nouerit, credendum eſt fore periculum, ne minus res è ſententia ſuccedat, verendúmque, ne hac ipſamet re callidus Cacodæmon vtatur, ad magis magîſque

necandi

necandi hominis ab omni pietate auerſum animum confirmandum illius menti obiicendo: eum in extremo vitæ periculo ab omnibus, quos antè nouerat, omnino deſtitui, & ſocios tantùm habere eos, qui nolentem trahant ad interitum.

Admodum præterea videtur eſſe neceſſarium: eum, qui velit conſolatoris, hortatoríſque ſubire prouinciam, vel cum eius loci Moderatore, vel Iudicibus, aut cuſtodibus, aut etiam ſaltem cum illorum carcerum œconomo, qui & ex antiquis eſſe ſolet, nec vt plurimũ vniuſcuiuſque ignorat vitæ diſcrimen, aliquo modo conuenire, vt ex verbis intelligat, an aliqui in eo carcere reperiantur, de quorum capite agatur, vel ſaltem agi ſit periculum, quò facilius cum iiſdẽ maiorem contrahat amicitiam, eóſque ad pœnitendum hortetur: ante mentis aciem ipſorum exhorrenda ac pertimeſcenda ſcelera proponendo, ex quo facile fit, vt tum ad expianda confeſſione flagitia, & ſacrum Chriſti Seruatoris noſtri corpus aſſumendum, tum etiam ad ſolam Dei Opt. Max. voluntatem exoptandam, ſiue victuri ſint, ſiue morituri, rei excitentur: quod fortè non ita fieret *Sciatur ex miniſtris iuſtitiæ qui captiui periclitẽtur de vita.*

in ip

in ipſo extremæ vitæ periculo. Cauendum tamen maximè erit, ne in familiaribus colloquutionibus aliquid illis certum eſſe imminente morte ſignificetur, ne hoc nimium exhorrentes, animo cadant omninò, ac de omni ſalute illico animæ, corporíſque deſperent, ideóque nullius amplius colloquia ad animarum ſuarum ſalutem pertinentia, velint admittere, ſed potius maiori conſilio, ac prudentia certiori procedetur, ſi omnia, quæ dicentur, à peruerſi facinoris grauitate quaſi ducta, ac petita, cum magno periculo illis impendente conferantur.

Quid ei faciendũ, qui intẽpeſta nocte ad plectendũ morte accedit.

Maximè etiam conſolanti eſt animaduertendum. Ne cùm imtempeſta nocte plectẽdum capite roboraturus accedit, primus ante ipſum ſe ſiſtat in eo cubiculo, ad quod ſuo aduentu reus euocatur. Etenim ſemper ferè cuſtodes carcerum, ne nimium reis mortis horrorem incutiant, ab inferiori cubiculo euocant ad ſuperius, non quaſi ad mortem, ſed potius aut ad triremes, aut in exilium amandandos, &c. Quare ſi reo alacriter ſuperius aſcẽdenti primus omnium ſeſe confeſſarius offerret, fieret nõ modo, vt ei nihil omninò virium conſolando adderet,

deret, ſed eas etiam omnes, quas haberet, ſua præſentia frangeret ac debilitaret. Omnis igitur cura hac in re cuſtodibus videtur eſſe relinquenda, à quibus prius de certa imminente morte admonitus reus, & ad libenter id faciendum paululum animatus, addi etiam poterit ſecum confeſſarium adduxiſſe, qui eum facilè conſolabitur, & ad benè ex hac calamitoſa vita decedendum edocebit. Tum verò ad eum ipſe confeſſarius ingreſſus, aliquem doloris ſenſum præ ſe ferendo, alacri, patientíque animo eſſe mortem ſubeundam oſtendet, ſiquidem Diuina voluntate hominúmque ſapientum conſilio id totum efficitur. *A cuſtodibus de morte moueatur reus.*

Hæc verò aut his ſimilia mortis reo proponentur.

1. Deum Opt. Max. Qui mundum hunc vniuerſum æterna quadam mentis prouiſione moderatur, hanc ſalutis ſuę viam ſtatuiſſe. Qui quidem quamuis eum ad fœlicitatis patriam alio tramite ducere potuiſſet, magis hoc ei expedire præcognouit, atque ideò erecto animo mortem eſſe perferendam, quinetiam exoptandam, &c. *Dei prouidentia in hoc genere mortis.*

Eam

Mors eiuſmodi, magnum Dei beneficium.

1 Eam ipſam mortem, quam ipſe tantum exhorret, ſummum etiam bonum, beneficiúmque ſingulare ipſi à Deo immortali munificentiſſimè conceſſum. Quis enim non apertè videat eum, qui tot ſceleribus, odiis, immenſiſque periculis fuit inuolutus, totiens aut inimicorum ſuorum telis confoſſum occidere, aut etiam diuina voluntate ſubita quadam nece extingui potuiſſe? At hæc omnia ipsū Dei beneficio euaſiſſe(quod non ita facilè exhibuit omnibus) quin potius ſcelerum ſuorum cum animi magno dolore, lachrymíſque poſſe pœnitere, eáque ſibi præſenti detegere confeſſario.

Pſal. 38.

3 Huic ſimile certum vitæ ſuæ ſpatium Prophetam expoſtulaſſe. *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum.* Quod etiam nec quàm plurimis eſt conceſſum, qui peruerſo potius animo, improuiſa morte ceciderunt pœnas etiam daturi ſempiternas.

Hoc mortis genus, aliis felicius eſſe.

4 Hoc mortis genus eſſe fœliciſſimum & à quouis alio, erecto quidem animo ferendum, vt ſuauiſſimum. Siquidem cùm ob varios morbos præſentes, ægros admodum diuturna torqueat cogitatio acerbiſſimorum dolorum, qui perferuntur,

tur, medicamentorum, quæ ſumma cum difficultate aſſumuntur, & expectatio futuræ ſanitatis, vt vix credi poſſit ægrotum ſana mente commiſſorum facinorum recordari, nedum dolere. Ex quo fit ſæpe, vt quamplurimi ſpe quadam inani conualeſcendi quamprimum decepti, abſque vlla peccatorum ſuorum expiatione moriantur. Si verò mortem eam conſideres, quæ ſubitò minimè de illa cogitantes tollit è medio, luce clarius patet calamitoſiſſimum eſſe genus interitus. Si demum illud atrociſſimum mortis genus perpendas, quo quidem multi ab inimicis crudeliter vulnerati ex hac vita emigrarunt, nonne credendum erit eum, qui ita necatur, nihil aliud poſſe, quàm de ſuis inimicis, vulneribus, cruore, iniuriis, doloribus ac ſpe vindictæ cogitare? vt mirum valde ſit, ſi ei à ſumma Dei bonitate aliquid etiam temporis, locíque concedatur, ad lachrymis, ac dolore eluenda flagitia. Hæc autem omnia longè ab hac morte, quæ reo impendet, diſtare: cùm & ipſemet reus ſanæ ſit mentis. Et omne vitæ ſuæ periculum apertè cognoſcat, &c. vt nihil aliud ei ſit faciendum, quàm ſuorum ſcelerum à Deo

Opt.

Opt. Max. veniam implorare. Quod ſi faciat vt oportet, quàm citiſſimè ad æternæ fœlicitatis gaudia perfruenda ex hac mortali vita euolabit.

Oportunitas in hoc genere mortis.

5 Multos eſſe, qui benè agere cupiant magnopere, ſed careant tempore: alios, qui diffluant otio, ſed oportunitate, & auxilio deſtituantur: quàm plurimos, quibus & tempus ſuppetat, nec deſit oportunitas, ſed vnico indigeant amore pietatis. Ipſi vero reo nihil horum, ſi tamen velit, deeſſe, cùm certum offeratur ei temporis ſpatium, in quo cùm pœnituerit ſuorum peccatorum veniam conſequatur. In quacunque enim hora ingemuerit peccator, &c. neque deſit qui eum libentiſſimè vſque ad extremum vitæ Spiritum hortari velit, atque conſolari? Ideóque cogitationem omnem in Deum eſſe conuertendam, ne æterna bona, quæ hoc pacto ipſi conſequenda propoſuit, deperdat contemnendo.

Exẽpla Chriſti, Sanctorum & aliorum proponẽda.

6 Poterunt etiam à conſolatore, aliqua Sanctorum Martyrum ſupplicia, ac tormenta, quibus à perditiſſimis viris, iniuria necati fuerunt, enarrari, & præſertim Sancti illius, qui eodem nomine, ac ipſemet reus, appellatur. Plura

etiam fuſè dici de iis, quæ Saluator noſter Chriſtus, vt nos ab interitu vendicaret, eſt perpeſſus. Neque verò hoc etiam loco erit ab re, ſi aliqua exempla perferantur, quibus aliquos viros admodum nobiles, ob minus ſcelus perpetratum, vel etiam innocentes, ad grauiora ſupplicia damnatos eſſe oſtendatur: qui potius tormentorum grauitate ſuperati, quàm rei veritate impulſi, aliquando vel maiora facinora, vel etiam (quod ſæpenumero ſolet accidere) non perpetrata modò, ſed nec excogitata quidem, ſe commiſiſſe ſunt confeſſi.

7 Addi etiam poterit, Quid? nonne mi frater, tibi ſemel ſiue in cubili, ſiue in aqua, aut igne, aut aëre, &c. eſt moriendum? Quid igitur eſt quod mortem pertimeſcas? conare, conare mi frater, vt hæc neceſſitas in magnam vertatur animi tui conſtantiam, atque virtutem quamdam excelſam, qua ipſam etiam mortem omninò contemnas. Et hæc, quæ modo dicam, tecum ipſe meditare, Vtinam Domine Ieſu inter Turcarũ, Hæreticorúmque tui nominis manus inimicas hanc vitam, à qua mox ego decedã, vna cum toto ſanguine profundere.

Neceſſitas in virtutẽ conuertẽda.

Deſideria quæ excitanda in morituro.

Z. dere.

dere mihi licuiſſet, vel ſaltem has eaſdem pœnas, quas meritò ob mea ſumma ſcelera luo, pro veræ fidei clara confeſſione perferrem. O te N. certè felicem ſi hæc agas, ſique tecum hæc cogites. Nam quodammodo verus Martyr ex hac vita migrans euolabis in cœlum: & id quidem meritò, ſiquidem Deus immortalis non minus miſericors eſſe credendus eſt quàm iuſtus. Cùm ergo iuſtitia Dei pœnas, & ignem intentet æternum, lethale crimen dumtaxat perpe-
1.Ioan.3. trare cupientibus. *Qui odit fratrem ſuum*
Matt.5. *in corde, homicida eſt, & qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*: quare etiam miſericordiam præmiis non oſtẽdet(*mi-*
Pſal.144 *ſericordia enim eius ſuper omnia opera eius*) erga eũ, qui ſummopere optet eamdem, quam Martyres, ſubire ſententiam. Quinetiam adde: ſi eum, qui velit bona aliqua efficere, cùm verè non poſſit, vt elargiri eleemoſynam, propriam carnem extenuare ieiuniis, corpus verberibus affligere, &c. omnium illorum eumdem dicimus in cœlo eſſe præmium conſequuturum: cur etiam eum non Martyrem appellabimus, qui quicquid Martyres paſſi ſunt, ipſe & verè aliquo modo,

vt illi,

vt illi, patiatur, & omni etiam ex parte pati percupiat?

8 Certo ſcito, mi frater, Deum hac tua morte, quaſi tacita quadam cohortatione, vt reliqui ad benè operandum incitentur, ac de te, ab omnibus, qui te nouerunt, malè concepta tollendo funditus, vt de tua potius benè ſperent ſalute, vti velle. Atque ideo hæc ipſa mors eò tibi gratior eſſe debet, quò facilius poteris eam magna patientia perferendo, omnibus, quibus peruerſis tuis ſceleribus obfuiſti, ſatisfacere. Ex quo fiet, vt & tu glorioſum vitæ æternæ inde referas fructum, & omnes etiam quoddam emolumentum accipiant.

Rei mortē multis prodeſſe.

9 His omnibus explicatis, bonũ etiam admodum eſt, vt conſolans, occaſione opportunè ſumpta, reum ad aliquantiſper ſecum & cum cæteris, qui aderunt, orandum hortetur. Quo facto omnium ſanctorum opem Litaniis implorabit. Poſtmodum paſſionem Domini noſtri, &c. recitando, quibus in locis videbitur inſiſtet, eáque reo accommodatè explicabit. Addat etiam, ſi per tempus licuerit, paucis tamen mutatis, animæ commendationem, aliquid in ipſarum orationum recitatione animaduertendo, de-

Oratiões à reo dicendæ.

uotéque contemplando.

10 Maximè etiam cohortandus reus erit, vt, ſi fieri poſſit, animum ſuum generali quadam omnium, quæ recordatur, peccatorum expiatione detergat. Hac enim ſcelerum ſuorum recordatione magis ad dolorem, patientiámque inflammatur, dum apertè cognoſcit ſe toties ea commiſiſſe, quorum ſingula mortis pœna mulctari debuiſſent.

Pœnas ſpōtè ſuſceptas maioris eſſe meriti.

11 Si bene ac deuote ex his reus animi quodam ſenſu erga Deum erit affectus, poterit ille probari, vt aliquo flagello ſe cædat, prius verbis oſtendendo, multò maioris eſſe meriti eas pœnas, quæ in hac vita ſponte dantur, quàm quæ coactè & neceſſariò, ſiue in hac vita, ſiue poſt mortem in purgatorio perferuntur.

12 Solet etiam mors ea, qua reus plectitur, ipſi quaſi quædam perferenda pœna ſcelerum commiſſorum à confeſſario iniungi, cùm & ob temporis anguſtias aliud faciēdum imponi non poſſit, & id etiam permagni eſſe credendum ſit meriti.

Ne ſit nimis lōga.

13 Neque verò vltrà duas horas eſt à conſolatore cum reo collocutio protrahenda, ne illi aliqua ex hac re moleſtia

leſtia pariatur (ni forte ipſemet reus id ſumme exoptaret) vt hac ratione vterque aliquo temporis ſpacio à mentis labore quieſcat, & vt poſteà ille quidem facilius colloqui, is verò attentius poſsit eum dicentem audire. *collocutio*

14 Aliquid prætereà temporis erit concedendum, quo aliqua vel circa peccata, vel mortem, infernum, iudicium, gloriam, Chriſti paſsionem, & his ſimilia, meditetur. Quod totum fieri debet habita morum, ac vi cognoſcendi eiuſdem ratione. *Quæ reo meditanda.*

15 Non admodum expedire videtur, vt præter Conſolatorem, aut etiam eius ſocium, plures tunc temporis cum ipſo colloquantur. Qui verò cum eo colloquuntur, aduertant à nulla re eſſe ſermonem inſtituendum, quæ aliquo pacto ad animæ ipſius rei ſalutem non videatur pertinere, ne aliqua ei detur occaſio de parentibus, amicis, re familiari, rebus geſtis, gerẽdíſve cogitandi. Solet enim Dæmon vel minima occaſione ſumpta, hæc conſideranda iniicere menti, vt animus ab omni pietate, & mortis amore, ad Dei contemptum, ac longius vitæ deſiderium protrahatur. *Pauci cũ reo loquãtur, & quib⁹ de rebus.*

16 Admoneat conſolator eos, qui ien- *Ebrietas*

in eo cauenda. taculum ſunt reo miniſtraturi, ne nimio potu reddatur ebrius, quod quidã ſummo ſtudio fieri curant, vt hac ratione omnis moriendi metus, animique ſollicitudo auferatur. Qui ſanè ignorant hoc eſſe Dæmonis quoddam inuentum, qui optime nouit quantum ſaña mens conferat ad benè, fœliciterque moriendum, cùm tunc temporis de ſummo agatur, vel vitæ, aut mortis æternæ diſcrimine, &c.

Conſolator irregularitatẽ prudẽter vitet. 17 Caueat ſummopere conſolator, ne quicquam ad feſtinandam reo mortem proferat, hæc aut his ſimilia dicendo: Eia, nimis moramini, tempus tandem inſtat, properate, ſunt enim alia negotia peragenda, nunc reus optime eſt erga Deum animatus, cito eum ab inſtantis mortis cogitatione liberate, multo ſapone funem perungite, ne nimium inter moriendum excrucietur. Aut etiam ipſi reo, propera in via, bene firmiterque conſcende gradus, &c. Aut itidem, retuſam ſecuris aciem cures acuendam, &c. Hæc enim aut dicere, aut efficere eſſet reo maturare mortem, & irregularitatis pœnam incurrere. Ideóque vnicuique ſunt propria obeunda munera, iuxta officij ſui rationem, & licet aliquan

quãdo carnifex, vel ſatellitius præfectus à conſolante petat, an omnia ſint abſoluta, expeditáque, & an tempus credat eſſe opportunum iuſtitiæ mandata exequendi, hiſque ſimilia, &c. ipſe tamẽ immotus, quod ſuum eſt, faciendo expediat, cæteriſque omnem aliam curam relinquat ſua peragendi.

18 Dum reus ad mortem ducitur, ſumma eſt attentione hortatori curandum, ne oculis hinc inde aſpiciendo, aut quẽpiam ſalutando, aut ſalutanti reſpondendo, animo diuagetur. Nec etiam ipſemet hortator tunc temporis, rei nomine, aliquid cuiquam iubeat faciendum, ſed omni mentis ac virium ſuarum conatu in vnam illius animæ, perbreui temporis ſpatio ex hac vita migraturæ, ſalutẽ, totus iucumbat. *Dũ reus ad mortẽ ducitur, quid curandum.*

19 Si fortè aliquid eſſe ſcrupuli appareret, quo rei mens conſcia premeretur, vel etiam ſi optare videretur res ſuas alicui, ac ſupellectilem teſtamento legare, erit in his omnibus, quantum fieri licebit, teſtibus neceſſariis aduocatis, adiuuandus. Qua quidem in re confeſſarius, conſolatórve aduertat, ne vna cum teſtibus, aut ſcriptoribus cenſeatur, ni forte aliquid ipſum ſcribere eſſet ne-

ceſſarium,quod etiam nec eiuſdem propria erit manu ſubſignandum. Si verò forte res aliquæ ab ipſo reo relictæ erũt in carceribus, id ipſemet iubere poterit, vt conſanguineis, aut cui velit tribuantur, aut potius ob animæ ſuæ ſalutem in pauperes erogentur.

20 Quantum hortator poterit enitatur, vt ſi quid odij in iudicem, aut partem aduerſam, aut teſtes, aut quemuis alium, rei animo erit infixum, id euellat omne: quin potius hanc Dei immortalis voluntatem eſſe oſtendat. Ideóque ipſum huiuſmodi mortis genus quamuis innocentem debere perferre libentiſſime. Monendúſque erit, vt ſi quid tormẽtorum acerbitate coactus, aut de alterius fama detraxerit, aut falsò quẽpiã accuſauerit, cum per temporis anguſtias neque teſtes adhibere, vt moris eſt, neque publicum ſcribam liceat aduocare, (ſi enim id liceret aduocandi eſſent.) id ipſum totum præſenti populo, Deum inprimis teſtatus, exponat, affirmetq; hunc falſo inſimulatum crimine, illũ necis, & flagitij, &c. ipſamque populi multitudinẽ elata voce det teſtem in has res ſingulas, antequã aut collum in laqueum inſerat, aut ſecuri ceruices ſupponat: ne de-

Aliorum & ſuæ famæ reus conſulat.

trimenti quicquam innocens ſua culpa patiatur. Quòd ſi minus etiam ſuæ famę, vi metúque conſuluerit, erit ei apertè dicendum quod verum eſt, ne & animi & corporis vnus idemque ſit interitus. *uerendum*

21 Si conſolator aliquos precarios calculos ſecum habuerit, quibus reus in mortis articulo plenariam ſuorum ſcelerum indulgentiam conſequi poſſet, orandus erit, vt moriturus ea perficiat, quæ neceſſaria ſunt ad indulgentiam illam conſequendam. *Indulgẽtiam lucretur, ſi poteſt.*

22 Neque verò aut in carceribus, aut eo in loco, vbi reus erit è medio tollendus, conſolator illi multum adhæreſcat. Id diligenter aduertat, præſertim in carcere, vt eius manus ſuis ſint ſemper cathenis colligatæ. Licet enim ſæpe rei animo pacato eſſe videantur, aliquãdo tamen ſubito quodam mortis horrore correpti, prorumpunt in phreneſim, & quaſi lymphati, etiam ſibimet ipſis, non modo cæteris, mortem conſciſcere machinãtur. Etenim ſæpiſſime clare cuſtodes intuiti ſunt illos, quaſi mente captos capita parietibus collidentes, & quicquid manu arripuerint, in adſtantium ceruices deuibrãtes. Alia tamen ratione procedendum eſt cum iis, qui ob familiæ *Quæ à cõſolatore aduertẽda.*

nobilitatem,& magnam quamdam animi demiſſionem ac dolorem, tanta manuum, ac totius corporis conſtrictione non egent.

23 Vt maiori cum alacritate reus accedat ad mortem, polliceatur illi confeſſarius, ſe pro illo poſt eius mortẽ diu Dominum oraturũ,atque diligẽter, vt multi idem efficiant curaturum (quod verè poſt exequetur) moneatque ſæpe, an ei aliquid noui, quod ſit confeſſione excipiendum, occurrat: an ab aliqua fidei, odij, deſperationis, longioris vitæ huius, aut parentum amore, aut cuiuſuis alterius rei tentatione à cacodæmone torqueatur. Nec vmquam deſiſtat à cohortatione ad patientiam, ad magnam ſpem diuini auxilij, paſsionis Chriſti, ac vitæ æternæ, ad quam cum Chriſto ac diuinis quãplurimis, qui multo acerbiorem paſſi ſunt mortem, ſempiterno tempore moraturus, ſi velit, perueniet quàm citiſſimè. Addet etiam ſe quodammodo ipſi inuidere, quippe cùm à tot laboribus,animi perturbationibus, corporis morbis,perpetuo quaſi carcere,ſimultatibus, infinitis propemodum calamitatibus, & ipſamet morte, moriendo liberetur,& omnis aditus ipſi perpetrandi fa

di facinora præcludatur, & quod omniũ maximum bonum eſt,ad perfectè Deum cum Angelis ac diuis omnibus videndũ & collaudandum, ampliſſima quædam ianua reſeretur.

24 Summa præterea eſt attentione aduertendum, ne forte aliquo modo cum conſanguineis, vxore, aut filiis colloquatur, ſed potius horum omnium, quantum fieri poterit, memoria erit ac mentio ſupprimenda: nec etiam ad id eius aut amici, aut quidam, cum eo colloquendi, quadã curioſitate ducti erunt admittendi: ſiquidem horum omnium eo extremo vitæ tempore ſermo nihil prodeſſe, multum autem poteſt obeſſe. *Conſanguineorũ colloquiũ eſt reo prohibẽdum.*

25 Quam ſæpiſſimè rei non tam mortem ipſam, quàm genus ipſum mortis turpiſſimum exiſtimantes, perhorreſcunt, ſibimet ipſis malam crucem præoculis obicientes, ſe ipſos in ea iam extinctos fingendo, & innumeræ adſtantis plebis, ac pertranſeuntis irriſiones, atque contemptus contemplando, &c. Ideò maximè conſolator eos hortabitur, vt pendentis Chriſti in cruce imaginem,ac ſimul D. Petri, D. Andreæ, ac multorum ſanctorum Martyrum cruci affixorum meditentur, eóſque docebit

pluris

pluris animum eſſe faciẽdum, qui numquam extingui poteſt, quàm corpus hoc, quod vna cum brutis cito in cineres, aridúmque puluerem euaneſcet. Ideóque ſummo ſtudio eſſe conandum, vt eo tempore perbreui, quo corpus pẽdet in cruce, animus noua quadam vita, & gaudiis incipiat perfrui ſempiternis, vt quamplurimis, qui hoc mortis genere extincti ſunt, credendum eſt fœliciter eueniſſe.

26 Tandem cùm reus è vita migrauerit, ſi vxorem, filios, aut parentes, aut conſanguineos ſuperſtites habuerit, qui ob ſummum dolorem turpiſſimæ mortis, qua ſuus N. fuit affectus, penè deſperent: ipſemet qui reum eſt conſolatus, illos adibit. Atque ſolabitur, affirmando N. ſuum, vt verum Chriſtianum decet, ex hac vita ceſſiſſe, ideóque eum non tam inter turpi morte mulctatos, quàm inter æterna fœlicíque vita perfruentes eſſe numerandum. Hæc igitur illis híſque ſimilia dicenda erunt, quæ Spiritus ipſemet ſanctus vberrimè ſub miniſtrabit.

Hæ itaque aliquæ piæ meditationes ad conſolandum eos, qui facilè flectuntur in bonum, poterunt adhiberi. Quòd

ſi quis

ſi quis reus reperiatur, qui illis nequeat obſirmata mente moueri, ad alia erit firmiora, ac potiora remedia recurrendum.

1 Maxime reor conducere ſi huiuſmodi rerum ea, qua conſolator poterit, animi demiſſione, adeóque, ſi neceſſe erit, flexis genibus cohortetur ad animum erga Deum piè excitandum, animæque ſuæ ſaluti conſulendum. Quod efficiet facilè, ſi in hoc extremo vitæ ſuæ tempore, omnem animi ſui labem peccatorum confeſſione abſtergendo, in Dei æquiſſimi rerum æſtimatoris voluntate acquieſcat. Hic etiam erunt nobiliorum virorum ipſi reo exempla proferenda, qui non adeo graui patrato flagitio, pœnas tamen dederunt grauiores. Ac præſertim ſi cui illorum morienti ipſemet idem conſolator adfuerit.

Quomodo cũ obſtinatis reis agẽdum.

2 Si verò his explicatis, reus adhuc peruerſo animo, in errore concepto perſiſtat, tætro iratóque vultu, ac verbis grauioribus cum eo agendum erit, eíque dicendum: Abi hinc, diſcede ex hominum conſpectu, qui nec ipſa terra ſuſtentari, & omninò à Deo non mereris in hoc ſummo, vel æternæ vitæ, vel mortis diſcrimine adiuuari: equidem nunc

mihi omnem animi tui curam iure cenſeo eſſe deponendam. Quid addam præterea? non ſecus ac rationis expers bellua quędam morieris, & quod calamitoſius, de hoc æuo, extincto corpore, animus etiam, ad interitum perferendum ſempiternum, à dæmonibus raptus, in horrendos inferni carceres detrudetur. Quo facto, ſimulandum erit hortatori ſe velle diſcedere (ab illo verò paululum diſcedendo) quippe cùm ad peruerſam, obfirmatamque mentem commouendā omnis adhortatio nihil valere videatur.

3 At ſi hæc etiam fruſtra fieri viderentur, eumdem hortari poterit conſolator per aliquem alium reum, eadem morte plectendum, qui læto ſit, alacrique animo, ac benè erga Deum affectus, hic enim facilius ad necem patienter ferendam permouebit: oſtendendo, ſibi eiuſdē mortis genere, vel acerbiori eſſe occumbendum, & tamen ſummopere de hac præpotentis Dei voluntate gaudere. Quibus autem de rebus, quóque pacto reo cum reo ſit colloquendum, conſolator prius oſtendet, vtriuſque tamen perſonæ ſemper ſeruata ratione.

4 Si neque his reus ad pœnitendum moueatur, rurſus ad eum redeat conſolator,

lator, ac blando ſermone quicquid ab ipſo dictum fuerat, rectè, nec ſine ratione dici potuiſſe aſſeueret, non ideò tamen eſſe deſperandum, ſed potius cùm ipſi ſit eo mortis genere neceſſariò è vita decedendum, dolorem ac tupitudinem, mentis tranquillitate, magna ex parte adimendam. Addet præterea conſolator, ſi fieri poſſet, & ad maiorem Dei gloriam, famulatúmque pertineret, ſe optare ſummopere pro ipſomet reo eamdem mortis ſubire ſententiam, ſiquidem Chriſtus Dominus, omnium, quæ excogitari poſſunt, acerbiſſimam, turpiſſimámque mortem, ne ad interitum rueremus ſempiternum, ſummo quodam æternóque amore perpeſſus eſt libentiſſimè. Hic aliqua paulò fuſius erunt exaggeranda, quibus clarè acerbiſſimum turpiſſimumque fuiſſe illud in Chriſto mortis genus oſtendatur. Primo ſi carnifices contempleris, inimici erant. Secundo, ſi tormenta, exhorrenda. Tertio, ſi tempus, Paſchatis feſtum celeberrimum. Quarto, ſi locum, extra mœnia Hieruſalem, præcipuè Hebræorum ciuitatis, ſummum Caluariæ montis faſtigium, &c. Quinto, ſi perſonam Dei filius, puriſſima Beatiſſimæ virginis carne veſti

Acerbitas mortis Chriſti.

veſtitus, &c. Sexto ſi demũ ſcelus, ſumma innocentia Chriſti, & ſumma noſtrum omnium, innumeráque flagitia, &c.) His explicatis, aliqua etiam (ſi videbitur) erunt Sanctorum Martyrum exempla proponenda, qui longo tempore cruciatibus ſummis torquebantur, in quorum numero præcipue fuerunt diuus Laurentius, diuus Sebaſtianus, ac diuus Andreas, qui trium dierum ſpacio viuus pependit in Cruce, &c. Addi præterea poterit, quamplurimos reperiri, qui vitam certo ferè periculo mortis exponunt, per parua duntaxat lucrandi ſpe incitati, cuiuſmodi ſunt mercatores, qui vitam, réſque ſuas omnes ventis ac fretis committunt: milites, qui quotidie inter acies & arma verſantur, ac ſtrictum ferrum iugulo necem intentans paſſim intuentur: ac demum quidam gladiatores, qui quoduis honoris, licet exiguum, paſſi detrimentum, armis ferróque illico agendum eſſe conſtituunt: quorum hominum plurimi, aut vulnerantur, aut etiam more belluarum enecantur. Quanto ergo magis pro animæ ſuæ ſalute mortem ipſe ſubire æquo animo debet.

5 Quod ſi nec his flecti poſſe videatur

tur,vna cum iis, qui aderunt, conſolator pro eo orabit, expoſtulando ab ipſo reo, vt idẽ efficiat,ne in peruerſo animo perdurando miſerrimè moriatur:ſed potius diuinum ſibi ſentiat adeſſe auxiliũ,ideoque etiam præſentibus cæteris (ſi expedire videbitur)conſolator propriis manibus aliquo flagello ſe cædat verberibus, ex hoc enim fortè fiet vt ingentem erga ſe amorem reus admiratus, à peruerſa ſententia ad pœnitendum, & animæ ſuæ prouidendum deducatur.

6. Verum ſi hæc omnia nihil prorſus prodeſſe apertè apparebit,ſummis precibus ab eo confeſſarius efflagitabit, vt quamuis paratus non eſſet ad parcẽdum inimicis, aut ad hoc abiectum, ac turpe mortis genus libenter perferendum,non eſſe videretur,ſaltem animũ peccatorum confeſſione detergat ab omni turpitudine,&c. Hoc enim facto,ſperandum erit, vt vi quadam pœnitentiæ ſacramenti roboratus,ad omnia quæ velit confeſſarius faciẽda inflammetur præſertim ſi eidem eamdem capitis ſentẽtiam multoties incurriſſe ob varia patrata flagitia, multis rationibus oſtendatur. Quòd ſi fortè è contra minus ex hoc ipſo aptus fieret ad recipiendum ſuorum ſcelerum abſolutionem,non erit abſoluendus, ſed commo-

nendus (nulla tamen huius rei cæteris ſignificatione facta, ratione ſigilli) ipſum adhuc in dæmonum manibus aſtrictum detineri, nec vlla ratione tot catenas, ac nodos,ne eum verè pœniteat, poſſe perfringi,&c.

Neque verò ideò deſiſtat à cohortationibus conſolator, ſed ad finem vſque perſeueret, & in ipſomet extremo vitæ tempore, etiam conſcenſo patibulo, denuò eum ad pœnitẽdum hortetur, ſiquidem eo per breui ſpacio,ſi velit vitã conſequetur æternã,ſin minus, inferni ſemper duratura ſupplicia patietur: quo illi explicato, hæc etiam ad permouendum addi poterunt.Quid tibi animo ita obfirmato,& à Deo auerſo,mori proderit?pœniteat, pœniteat te ſcelerum commiſſorum, cura tandem, vt omnes intelligant te Chriſtiano nomine dignum ex hac vita migrare:hoc ſi feceris,ego vnà cũ hac vniuerſa hominum multitudine pro animæ tuæ ſalute Deum exorabimus (quod quidem verè ipſe efficiat,cæterîſque pręſentibus faciendũ præcipiat)quod ſi tunc temporis reus aliquod doloris ſignũ præ ſe tulerit,ſatis erit ea contritio,aut attritio,& abſolui poterit,eo tamen prius monito,an aliquid præterea,quæ prius fuerat confeſſus,occurrat.His itaque omnibus

bus diligenter abſolutis ſperādū eſt, reos omnes, qui morte mulctantur, ex hac vita, tamquam ex turbulentiſſimo mari, ad fœliciſſimum, atque tranquillum æternæ vitæ portum migraturos.

ORDO COMMENDATIONIS ANIMAE, EX Breuiario Romano deſcriptus.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Sancta Maria ora pro eo
Omnes ſancti Angeli & Archāgeli, orate
Sancte Abel ora
Omnis chorus iuſtorum ora
Sancte Abraham ora
Sancte Ioannes Baptiſta ora
Omnes ſancti Patriarchæ, & Prophetæ, orate
Sancte Petre ora
Sancte Paule ora
Sancte Andrea ora
Sancte Ioannes ora
Omnes ſancti Apoſtoli, & Euangeliſtæ, orate
Omnes ſancti Diſcipuli Domini, orate
Omnes ſancti Innocentes orate

Sancte Stephane ora
Sancte Laurenti ora
Omnes ſancti Martyres orate
Sancte Sylueſter ora
Sancte Auguſtine ora
Omnes ſancti Pontifices,& Confeſſores, orate
Sancte Benedicte ora
Sancte Franciſce ora
Omnes S. Monachi & Eremitæ, orate
Sancta Maria Magdalena ora
Sancta Lucia ora
Omnes ſanctæ Virgines,& Viduæ, orate
Omnes ſancti & ſanctæ Dei, Intercedite pro eo.
Propitius eſto, Parce ei Domine.
Propitius eſto, Libera eum Domine.
Propitius eſto, Libera
Ab ira tua Libera
A mala morte Libera
A periculo mortis Libera
A pœnis inferni Libera eum Domine.
Ab omni malo Libera
A poteſtate Diaboli Libera
Per natiuitatem tuam Libera
Per crucem & paſſionem tuam. Libera eum Domine.
Per mortem & ſepulturam tuam, Libera eum Domine.
Per glorioſam Reſurrectionē tuā, Libera

Per admirabilē Aſcenſionem tuā. Libera
Per gratiā Spiritus ſancti paracleti, Libe.
In die iudicij Libera
Peccatores, Te rogamus audi nos
Vt ei parcas. Te rogamus.
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Deinde cùm in agone ſui exitus anima anxiatur, dicantur ſequentes Orationes.

Oratio.

PRoficiſcere anima Chriſtiana de hoc mundo, in nomine Dei patris omnipotentis, qui te creauit: In nomine Ieſu Chriſti filij Dei viui, qui pro te paſſus eſt: In nomine Spiritus ſancti, qui in te effuſus eſt: In nomine Angelorum & Archangelorum: In nomine Thronorum & Dominationum: In nomine Principatuum & Poteſtatum: In nomine Cherubim & Seraphim: In nomine Patriarcharū & Prophetarum: In nomine Sanctorum Apoſtolorum & Euangeliſtarum: In nomine ſanctorum Martyrum & Confeſſorum: In nomine Sanctorum Monachorum & Eremitarum: In nomine Virginum & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei. Hodie ſit in pace locus tuus, & habitatio tua ſit in Sancta Sion. Per eundem

Chriſtum Dominum noſtrum, *Reſponſ.* Amen. *Oratio.*

DEus miſericors, Deus clemens, Deus qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis euacuas, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum N. & remiſſionē ſibi omnium peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentem deprecatus exaudi. Renoua in eo piiſſime Pater, quicquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum eſt, & vnitati corporis Eccleſiæ membrum redemptionis annecte: miſerere Domine gemituum, miſerere lachrymarum eius, & non habentem fiduciam niſi in miſericordia tua, ad tuæ Sacramentum reconciliationis admitte. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Reſponſ.* Amen.

COmmendo te omnipotenti Deo cariſſime frater, & ei, cuius es creatura, committo: vt cum humanitatis debitum morte interueniente perſolueris, ad auctorem tuum, qui te de limo terræ formauerat, reuertaris. Egredieti itaque animæ tuæ de corpore ſplendidus Angelorum cœtus occurrat. Iudex Apoſtolorum tibi ſenatus adueniat: Candidatorū

tibi Martyrũ triumphator exercitus ob- uiet. Liliata rutilantium te Confeſſorum turma circundet: Iubilantium te Virginum chorus excipiat: & beatæ quietis in ſinum Patriarcharum te cõplexus aſtringat: mitis, atque feſtiuus Chriſti Ieſu tibi aſpectus appareat, qui te inter aſſiſtentes ſibi iugiter intereſſe decernat. Ignores omne quod horret in tenebris, quod ſtridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi tæterrimus Satanas cum ſatellitibus ſuis: in aduentu tuo te comitantibus Angelis contremiſcat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. *Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius. Sicut deficit fumus deficiant, ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei: & iuſti epulentur & exultent in conſpectu Dei.* Confundantur igitur & erubeſcant omnes tartareæ legiones, & miniſtri Satanæ iter tuum impedire non audeant: Liberet te à cruciatu Chriſtus, qui pro te crucifixus eſt. Liberet te à morte Chriſtus, qui pro te mori dignatus eſt. Conſtituat te Chriſtus, filius DEI viui intra paradiſi ſui ſemper amœna virentia, & inter oues ſuas te verus ille Paſtor agnoſcat. Ille ab omnibus peccatis tuis te abſoluat, atque ad dexteram

Pſal. 67.

ſuam in electorum ſuorum te ſorte conſtituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, & præſens ſemper aſſiſtens manifeſtiſſimam beatis oculis aſpicias veritatem. Conſtitutus igitur inter agmina beatorũ contẽplationis diuinæ dulcedine potiaris in ſæcula ſæculorũ. *Reſp.* Amen.

Oratio.

SVſcipe Domine ſeruum tuum in locum ſperandæ ſibi ſaluationis à miſericordia tua. *Reſp.* Amen.

Libera Domine animam ſerui tui ex omnibus periculis inferni, & de laqueis pœnarum, & ex omnibus tribulationibus. *Reſpon.* Amen.

Libera Domine animam ſerui tui ſicut liberaſti Enoch & Eliam de communi morte mundi. *Reſp.* Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Noë de diluuio. *Reſp.* Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Abraham de Vr Chaldæorum. *Reſp.* Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Iob de paſſionibus ſuis, *Reſp.* Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Iſaac de hoſtia, & de manu patris ſui Abrahæ. *Reſp.* Amen.

Libera

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Loth de Sodomis, & de flamma ignis. *Reſp.* Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Moyſem de manu Pharaonis Regis Ægyptiorum. *Reſp.* Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Danielem de lacu Leonum. *Reſpon.* Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti tres pueros de camino ignis ardentis, & de manu Regis iniqui. *Reſp.* Amen.

Libera Domine animã ſerui tui, ſicut liberaſti Suſannam de falſo crimine. *Reſponſorium,* Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Dauid de manu regis Saul & de manu Goliæ. *Reſp.* Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Petrum & Paulum de carceribus. *Reſp.* Amen.

Et ſicut beatiſſimam Theclam, virginem & martyrem tuam, de tribus atrociſſimis tormentis liberaſti, ſic liberare digneris animam ſerui huius, & tecum facias in bonis congaudere cæleſtibus, *Reſpon.* Amen.

Oratio.

COmmendamus tibi Domine animam famuli tui N. precamurque

te Domine Ieſu Chriſte Saluator mundi, vt propter quam ad terram miſericorditer deſcendiſti, Patriarcharum tuorum ſinubus inſinuare nõ renuas. Agnoſce Domine creaturam tuam non ex diis alienis creatam, ſed à te ſolo Deo viuo, & vero: quia non eſt alius Deus præter te, & non eſt ſecundum opera tua. Lætifica Domine animam eius in conſpectu tuo, & ne memineris iniquitatum eius antiquarum, & ebrietatum, quas ſuſcitauit furor ſiue feruor mali deſiderij. Licet enim peccauerit, tamen Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum non negauit, ſed credidit: & zelum Dei in ſe habuit, & Deum qui fecit omnia, adorauit. *Reſp.* Amen. *Oratio.*

DElicta iuuentutis, & ignorãtias eius, quæſumus ne memineris Domine, ſed ſecundum magnam miſericordiam tuam memor eſto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cœli, collætentur illi Angeli. In regnum tuum Domine ſeruum tuum ſuſcipe. Suſcipiat eum S. Michaël Archangelus Dei, qui militiæ cæleſtis meruit principatum. Veniãt illi obuiam ſancti Angeli Dei, & perducãt eum in ciuitatem cæleſtem Hieruſalem: Suſcipiat eum beatus Petrus Apoſtolus, cui à Deo claues regni cœleſtis traditæ

ſunt.

ſunt. Adiuuet eum ſanctus Paulus Apoſto lus, qui dignus fuit eſſe vas electionis. Intercedat pro eo ſanctus Ioannes electus Dei Apoſtolus, cui reuelata ſunt ſecreta cæleſtia, Orent pro eo omnes ſancti Apoſtoli, quibus à Domino data eſt poteſtas ligandi atque ſoluendi. Intercedãt pro eo omnes ſancti Dei, qui pro Chriſti nomine tormenta in hoc ſæculo ſuſtinuerunt, vt vinculis carnis exutus, peruenire mereatur ad gloriam regni cæleſtis, pręſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto. Qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat, in ſæcula ſæculorum *Reſpon.* Amen.

Si anxiatur adhuc anima dicuntur hi Pſalmi.

Pſalmus 117.

CONfitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Dicat nunc Iſraël quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Dicat nunc domus Aaron: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in ſeculum miſericordia eius.

De tribulatione inuocaui Dominũ, & exaudiuit me in latitudine Dominus.

Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.

Domi

Dominus mihi adiutor: & ego deſpiciam inimicos meos.

Bonũ eſt confidere in Domino, quàm confidere in homine.

Bonum eſt ſperare in Domino: quàm ſperare in principibus.

Omnes gentes circumierunt me: & in nomine Domini, quia vltus ſum in eos.

Circundantes circũdederunt me: & in nomine Domini, quia vltus ſum in eos.

Circundederunt me ſicut apes, & exarſerunt ſicut ignis in ſpinis: & in nomine Domini, quia vltus ſum in eos.

Impulſus euerſus ſum vt caderem: & Dominus ſuſcepit me.

Fortitudo mea, & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem.

Vox exultationis & ſalutis: in tabernaculis iuſtorum.

Dextera Domini fecit virtutem dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem.

Non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini.

Caſtigans caſtigauit me Dominus: & morti non tradidit me.

Aperite mihi portas iuſtitiæ, ingreſſus in eas, confitebor Domino: hæc porta Domini, iuſti intrabunt in eam.

Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me:

me: & factus es mihi in ſalutem.

Lapidem quem reprobauerunt ædificantes: hic factus eſt in caput anguli.

A Domino factum eſt iſtud: & eſt mirabile in oculis noſtris.

Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea.

O Domine ſaluum me fac, ô Domine bene proſperare: benedictus qui venit in nomine Domini.

Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus & illuxit nobis.

Conſtituite diem ſolemnem in condenſis: vſque ad cornu altaris.

Deus meus es tu, & confitebor tibi. Deus meus es tu, & exaltabo te.

Confitebor tibi quoniam exaudiſti me: & factus es mihi in ſalutem.

Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniã in ſæculũ miſericordia eius.

Pſalmus 118.

BEati immaculati in via, qui ambulant in lege domini.

Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius: in toto corde exquirunt eum.

Non enim qui operantur iniquitatem, in viis eius ambulauerunt.

Tu mãdaſti mãdata tua cuſtodiri nimis.

Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.

Tunc

Tunc non confundar, cùm perſpexero in omnibus mandatis tuis.
Confitebor tibi in directione cordis, in eo quòd dedici iudicia iuſtitiæ tuæ.
Iuſtificationes tuas cuſtodiam: non me derelinquas vſquequaque.
IN quo corrigit adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos.
In toto corde meo exquiſiui te: ne repellas me à mandatis tuis.
In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.
Benedictus es Domine: doce me iuſtificationes tuas.
In labiis meis pronunciaui omnia iudicia oris tui.
In via teſtimoniorum tuorũ delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitiis.
In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas.
In iuſtificationibus tuis meditabor: non obliuiſcar ſermones tuos.
RETribue ſeruo tuo, viuifica me, & cuſtodiam ſermones tuos.
Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.
Incola ego ſum in terra, non abſcondas à me mandata tua.
Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore.

Incre

Increpaſti ſuperbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis.
Aufer à me opprobrium & contemptum, quia teſtimonia tua exquiſiui.
Etenim ſederunt principes, & aduerſum me loquebantur: ſeruus autem tuus exercebatur in iuſtificationibus tuis.
Nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt,& conſilium meũ iuſtificationes tuæ.
ADhæſit pauimento anima mea: viuifica me ſecundùm verbum tuum.
Vias meas enunciaui, & exaudiſti me: doce me iuſtificationes tuas.
Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me: & exercebor in mirabilibus tuis.
Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.
Viam iniquitatis amoue à me,& de lege tua miſerere mei.
Viam veritatis elegi, iudicia tua non ſum oblitus.
Adhæſi teſtimoniis tuis domine:noli me confundere.
Viam mãdatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum.
LEgem pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper.
Da mihi intellectũ, & ſcrutabor legem tuã,& cuſtodiã illam in toto corde meo.
Deduc

Deduc me in ſemita mandatorum tuorum, quia ipſam volui.

Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam.

Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.

Statue ſeruo tuo eloquium tuum in timore tuo.

Amputa opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum, quia iudicia tua iucunda.

Ecce concupiui mandata tua: in æquitate tua viuifica me.

ET veniat ſuper me miſericordia tua Domine, ſalutare tuum ſecundùm eloquium tuum.

Et reſpondebo exprobrãtibus mihi verbum, quia ſperaui in ſermonibus tuis.

Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vſquequaque, quia in iudiciis tuis ſuper ſperaui.

Et cuſtodiam legem tuam ſemper, in ſæculum & in ſæculum ſæculi.

Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquiſiui.

Et loquebar in teſtimoniis tuis in conſpectu regum, & non confundebar.

Et meditabar in mãdatis tuis quę dilexi.

Et leuaui manꝰ meas ad mãdata tua quæ dilexi: & exercebor ĩ iuſtificatiõibꝰ tuis.

Memor

MEmor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.
Hæc me cõſolata eſt in humilitate mea, quia eloquium tuum viuificauit me.
Superbi inique agebant vſquequaque, à lege autem tua non declinaui.
Memor fui iudiciorum tuorum à ſæculo domine, & conſolatus ſum.
Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.
Cantabiles mihi erãt iuſtificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ.
Memor fui nocte nominis tui Domine, & cuſtodiui legem tuam.
Hæc facta eſt mihi, quia iuſtificationes tuas exquiſiui.

POrtio mea Domine, dixi, cuſtodire legem tuam.
Deprecat⁹ ſum faciem tuã in toto corde meo: miſerere mei ſecundũ eloquiũ tuũ.
Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua.
Paratus ſum & non ſum turbatus, vt cuſtodiam mandata tua.
Funes peccatorum circumplexi ſunt me, & legem tuam non ſum oblitus.
Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi, ſuper iudicia iuſtificationis tuæ.
Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.

Miſericordia tua Domine plena eſt terra: iuſtificationes tuas doce me.

BOnitatem feciſti cum ſeruo tuo domine, ſecundum verbum tuum.
Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me, quia mandatis tuis credidi.
Priuſquàm humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum cuſtodiui.
Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas.
Multiplicata eſt ſuper me iniquitas ſuperborum: ego autem in toto corde meo ſcrutabor mandata tua.
Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum: ego verò legem tuam meditatus ſum.
Bonum mihi, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas.
Bonum mihi lex oris tui ſuper millia auri & argenti.

MAnus tuæ fecerunt me & plaſmauerunt me, da mihi intellectum, vt diſcam mandata tua.
Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur, quia in verba tua ſuperſperaui.
Cognoui domine quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliaſti me.
Fiat miſericordia tua vt conſoletur me, ſecundum eloquium tuum ſeruo tuo.
Veniant mihi miſerationes tuæ, & viuam, quia lex tua meditatio mea eſt.

Con

Confundantur ſuperbi, quia iniuſtè iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.
Conuertantur mihi timentes te, & qui nouerunt teſtimonia tua.
Fiat cor meum immaculatum in iuſtificationibus tuis, vt non confundar.
DEfecit in ſalutare tuum anima mea: & in verbum tuum ſuperſperaui.
Defecerũt oculi mei in eloquium tuum, dicentes, Quando conſolaberis me?
Quia factus ſum ſicut vter in pruina: iuſtificationes tuas non ſum oblitus.
Quot ſunt dies ſerui tui? quando facies de perſequentibus me iudicium!
Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: ſed non vt lex tua.
Omnia mandata tua veritas: iniqui perſecuti ſunt me, adiuua me.
Paulominus cõſummauerunt me in terra: ego autem nõ dereliqui mandata tua.
Secundum miſericordiam tuam viuifica me, & cuſtodiam teſtimonia oris tui.
IN æternum Domine verbum tuum permanet in cœlo.
In generatione & generationem veritas tua: fundaſti terram & permanet.
Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi.
Niſi quòd lex tua meditatio mea eſt,

tunc fortè periſſem in humilitate mea.
In æternum non obliuiſcar iuſtificationes tuas, quia in ipſis viuificaſti me.
Tuus ſum ego, ſaluum me fac, quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui.
Me expectauerunt peccatores vt perderent me: teſtimonia tua intellexi.
Omnis conſummationis vidi finem: latum mandatum tuum nimis.
QVomodò dilexi legem tuam Domine! tota die meditatio mea eſt.
Super inimicos meos prudentẽ me feciſti mandato tuo, quia in æternũ mihi eſt.
Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt.
Sup ſenes ĩtellexi, quia mãdata tua q̃ſiui.
Ab omni via mala prohibui pedes meos, vt cuſtodiam verba tua.
A iudiciis tuis non declinaui, quia tu legem poſuiſti mihi.
Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo!
A mandati tuis intellexi: propterea odiui omnem viam iniquitatis.
LVcerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.
Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.
Humiliatus ſum vſquequaque domine, viuifica me ſecundum verbum tuum.
Volun

Voluntaria oris mei beneplacita fac domine & iudicia tua doce me.
Anima mea in manibus meis ſemper, & legem tuam non ſum oblitus.
Poſuerunt peccatores laqueum mihi, & de mandatis tuis non erraui.
Hereditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei ſunt.
Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem.
INiquos odio habui, & legẽ tuũ dilexi.
Adiutor & ſuſceptor meus es tu, & in verbum tuum ſuperſperaui.
Declinate à me maligni: & ſcrutabor mandata Dei mei.
Suſcipe me ſecundum eloquium tuum, & viuam, & non confundas me ab expectatione mea.
Adiuua me, & ſaluus ero, & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper.
Spreuiſti omnes diſcedentes à iudiciis tuis, quia iniuſta cogitatio eorum.
Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ: ideo dilexi teſtimonia tua.
Confige timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui.
FEci iudicium & iuſtitiam: non tradas me calumniantibus me.
Suſcipe ſeruum tuum in bonum: non ca-
 lum

lumnientur me ſuperbi.
Oculi mei defecerunt in ſalutare tuum, & in eloquium iuſtitiæ tuæ.
Fac cum ſeruo tuo ſecundùm miſericordiam tuã,& iuſtificationes tuas doce me.
Seruus tuus ſum ego: da mihi intelle-ctum, vt ſciam teſtimonia tua.
Tempus faciendi domine: diſſipauerunt legem tuam.
Ideo dilexi mandata tua ſuper aurum & topazion.
Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquã odio habui.
Mirabilia teſtimonia tua: ideo ſcrutata eſt ea anima mea.
Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.
Os meum & aperui, & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam.
Aſpice in me, & miſerere mei ſecundum iudicium diligentium nomen tuum.
Greſſus meos dirige ſecũdum eloquium tuum, & non dominetur mei omnis iniuſtitia.
Redime me à calumniis hominum, vt cuſtodiam mandata tua.
Faciem tuam illumina ſuper ſeruum tuum, & doce me iuſtificationes tuas.
Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſt odierunt legem tuam.
Iuſtus

IVſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.
Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua, & veritatem tuam nimis.
Tabeſcere me fecit zelus me',quia obliti ſunt verba tua inimici mei.
Ignitum vel eloquium tuum vehementer,& ſeruus tuus dilexit illud.
Adoleſcentulus ſum ego & contemptus, iuſtificationes tuas non ſum oblitus.
Iuſtitia tua iuſtitia in ęternum,& lex tua veritas.
Tribulatio & anguſtia inuenerunt me: mandata tua meditatio mea eſt.
Aequitas teſtimonia tua in æternum:intellectum da mihi,& viuam.
CLamaui in toto corde, exaudi me dñe:iuſtificationes tuas requiram.
Clamaui ad te,ſaluum me fac, vt cuſtodiam mandata tua.
Præueni in maturitate,& clamaui, quia in verba tua ſuperſperaui.
Præuenerunt oculi mei ad te diluculo,vt meditarer eloquia tua.
Vocem meam audi ſecũdum miſericordiam tuam Domine, & ſecundum iudicium tuum viuifica me.
Appropinquauerunt perſequẽtes me iniquitati, à lege autem tua longè facti sũt.
Prope es tu Domine, & omnes viæ tuæ

veritas.
Initio cognoui de teſtimoniis tuis, quia in æternum fundaſti ea.
VIde humilitatem meã, & eripe me, quia legem tuam non ſum oblitus.
Iudica iudicium meũ,& redime me, propter eloquium tuum viuifica me.
Longè à peccatoribus ſalus: quia iuſtificationes tuas non exquiſierunt.
Miſericordiæ tuæ multæ domine: ſecũdum iudicium tuum viuifica me.
Multi qui perſequuntur me, & tribulant me:à teſtimoniis tuis non declinaui.
Vidi præuaricantes,& tabeſcebam, quia eloquia tua non cuſtodierunt.
Vide quoniam mãdata tua dilexi domine,in miſericordia tua viuifica me.
Principium verborum tuorum veritas: in æternum omnia iudicia iuſtitiæ tuæ.
PRincipes perſecuti ſunt me gratis: & à verbis tuis formidauit cor meum.
Lætabor ego ſuper eloquia tua,ſicut qui inuenit ſpolia multa.
Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum:legem autem tuam dilexi.
Species in die laudem dixi tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.
Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.
Expectabam ſalutare tuum Domine, &
manda

mandata tua dilexi.
Cuſtodiuit anima mea teſtimonia tua:& dilexit ea vehementer.
Seruaui mandata tua, & teſtimonia tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo.

APpropinquet deprecatio mea in cõſpectu tuo Domine:iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.
Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo: ſecundum eloquium tuum eripe me.
Eructabunt labia mea hymnum, cùm docueris me iuſtificationes tuas.
Pronuntiabit lingua mea eloquium tuũ, quia omnia mandata tua ęquitas.
Fiat manus tua vt ſaluet me, quoniam mandata tua elegi.
Concupiui ſalutare tuum Domine,& lex tua meditatio mea eſt.
Viuet anima mea & laudabit te, & iudidia tua adiuuabunt me.
Erraui ſicut ouis quæ periit:quære ſeruũ tuum Domine,quia manda tua non ſum oblitus.

Symbolum Athanaſi.

QVicumq; vult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt, vt teneat catholicam fidem,&c. *totum ad longum.*

Multa sũt alia preces, qua in Breniali preſbyterorum Romano habentur, ex quibus, pro temporis & perſona commoditate, eas quas maxime idoneas iudicabit ſacerdos aſſumet. Ex eo autẽ nos hic potiſſimũ Proteſtationes tranſcripſimus, quas non morituros modo, ſed integros etiã & ſanos omni die debere facere iudicamus.

PROTESTATIONES FACIENDAE A MORIENTE EX ORDINARIO Romano.

1 In nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, Patris, & filij & Spiritus ſancti Ego N. proteſtor corã te ſanctiſſime Angele Dei diuina pietate, ex vtero matris meæ mihi deputato: & coram te patre meo N. & coram omnibus vobis circumſtantibus: quod in ea vera fide Catholica, quã ſancta Romana, & Apoſtolica profitetur Eccleſia, & in qua omnes deceſſerunt ſancti, mori deſidero, & volo: nec ad momẽtum temporis diutius viuere affecto, niſi quantum diuinę placuerit pietati, cui in omnibus conformiter meam ſubiicio voluntatem.

2 Itẽ proteſtor, quod ſub tua Angelica protectione, & adiutorio diuinæ gratię diſcedam: & ſic mori intendo abſque omni

omni deſperatione, & fidei dubitatione: ita quod neque magnitudo, nec numeroſitas meorum peccamium in barathrũ deſperationis me immergere debent: cũ ſciam, & veraciter credam vnam deifici ſui ſanguinis guttã in ara crucis effuſam, ſuffeciſſe in redemptionem totius humani generis, ſi ita placitum fuiſſet diuinæ pietati.

3 Proteſtor quòd in caſu, vbi ex puſillanimitate ſpiritus propter tremendum diuinum Iudiciũ, cui aſtare habeo, aut dæmonis tentatione, ſeu debilitate rationis (quod Deus auertat) in aliquã inciderim deſperationem, aut fidei dubitationem, hoc ipſum pro nunc ſana mente exiſtens reuoco, caſſo, & pro non tali facto habere volo, eo quod non animo ſano & deliberato hoc ipſum eueniet, ſubmittens me totaliter diuinæ pietati.

4 Proteſtor etiam, quod cũ diuina miſericordia nulli peccatori contrito & cõfeſſo remiſſionem ſuorum peccaminum deneget eam deſideranti, quod eamdem miſericordiam & remiſsionem mihi impertiri velit, toto corde deſidero: & peto illam conſequi per merita amariſſimæ ſuę mortis, & virtutem pretioſiſſimi ſanguinis ſui pro me effuſi, in ligno ſanctiſſimæ Crucis, & per merita & preces ſan-

ctiſſi

ctiſſimæ ſuæ matris,& omnium ſancto-
rum Angelorum,& electorum.

5 Proteſtor etiam ſuper hanc petitionẽ, humili prece porrectam,vt diuina pietas me ſuſcipere velit in numerum eorum hominum,quos ab æterno prędinauit, in extremo iudicio eſſe ſaluãdos:ſi, & in quantum pro meis peccatis exigentibus tamdiu pœnas purgatorias ſuſtinere debeã,dummodo in æternum non ſecludar à ſua pietate.

COMMENDATIO.

His proteſtationibus pręmiſſis sãctiſſime Angele Dei tibi extremã meã volũtatẽ & affectionẽ pro teſtamẽto animæ meę cõmẽdo,tria mihi ex teſtamẽto Saluatoris miſericorditer ĩpertiri rogãs.

Primo vnum lachrymoſum intuitum, & doloroſum ſuſpirium : ex innumeris, quos in Cruce pendens tribus horis viuus habuit ad mitigandum doloroſos meos ſingultus & gemit⁹,& ſuſpiria,quibus nunc premor. Et vt ipſa mater omnis gratiæ mecum cõdiuidere velit, vnicum cordis ſui virginei gemitũ doloroſumq; ſuſpirium,ac lachrymoſum intuitum, ex innumeris, quos ſub Cruce ſtãdo ſuſpiriis & lachrymis habuit, filiũ vt redemptorem humani generis intuendo:ſuſcipiendo me in numerum eorum peccatorum,

rum, qui veniam & ſalutem ad minus in extremo iudicio per ſua ſanctiſſima merita,& preces conſequuntur.

Secundo ſuccurrat tua Angelica pietas: vt quando cor meum miſerum ſcindetur,& anima mea miſera à corpore ſeparabitur, tunc inueniam placabilem iudicem : intuitu illius diuinæ caritatis, in qua amoroſum cor ſuum ſcindebatur in Cruce pro ſalute mundi:& ſua diuiniſſima anima à diuiniſſimo corpore ſeparabatur. Vltimo ſãctiſſime angele Dei, cõmendo tibi extremam horam vitæ meę: vt exitum animæ meæ gubernãdo, & ab hoſtibus ſalutis me protegẽdo, ſuper has proteſtationes velis eſſe, vbi & quoties opus fuerit contra omnia pericula ſalutis, fidelis teſtis, & protector.

Egreſſa autem anima dicitur hoc Reſpon.

Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini , ſuſcipientes animam eius, Offerentes eam in conſpectu altiſſimi. *Verſ.* Suſcipiat te Chriſtus qui vocauit te,& in ſignum Abrahæ Angeli deducãt te. Suſcipientes. *Verſ.* Requiem æternam dona ei Domine : & lux perpetua luceat ei. Offerentes eam in conſp. *Deinde.* Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſõ. Poſtea: Pater noſter. *Verſ.* Et ne nos inducas. *Reſp.* Sed libera nos à malo. *Verſ.* Requiem

quiem æternam dona ei Domine. *Reſp.* Et lux perpetua luceat ei. *Verſ.* Aporta inferi. *Reſp.* Erue Domine animam eius. *Verſ.* Requieſcat in pace. *Reſpon.* Amen. *Verſ.* Domine exaudi orationem meam. *Verſ.* Dominus vobiſcum.

Oratio.

TIbi Domine commendamus animã famuli tui N. vt defunctus ſæculo tibi viuat: & quę per fragilitatem humanæ conuerſationis peccata commiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtũ Dominum noſtrũ. Amen.

Deo Ieſu Chriſto æterni Dei æterno filio, qui nos poſt hanc vitam beare dignetur, laus & gloria.

ELEN

ELENCHVS
CAPITVM.

DE iis quæ pertinent ad eum qui adiuuat morientem.Cap.1. pag 543.
Dehis quæ cum moriente ad animam ipſius iuuandam tractantur cap 2. pag.549.
De iis quæ ſunt tractanda cum moriente, quod attinet ad coniunctos, corpus & bona externa. cap.3. pag. 561.
Quid agendum cùm de neceſſariis aliquid deeſt morienti, licet aliqua iam facta inueniat, qui aduocatur.cap. 4. pag.567.
Quomodo ſunt exercendi qui moriuntur, circa fidem præcipuè qui non diſtinctè quæ oportet nouerunt. cap. 5. pag. 571.
Quomodo ſit ſpes erigenda & exercenda. cap.6. pag. 575.
Quomodo charitas in moriente ſit exercenda & promouenda. cap. 7. pag. 590.
Quid facto opus, cùm quis ad iuuandum morientem aduocatur, à quo iam omnia neceſſaria facta eſſe perhibentur cap.8. pag.610.
Qua ratione ſit iuuandus, qui ex vitæ nimio deſiderio, non ſatis æquo animo moritur, aut non acquieſcit diuinæ volūtati. ca.9.pa.600.
Quomodo procedendum cum eo qui ex affectu ad terrena, vel alias ob cauſas, timet mortem, pluſquam oportet. cap. 10. pag 622.

Quid

Quid cum impatientibus agendum ſit. cap. 11. pag.619.
Quid agendum cum his qui fidei tentationibus moleſtius agitantur.cap.12. pag.634.
Quomodo iuuandi ſint qui diffidentia aut deſperatione infeſtantur cap.13. pag.642.
Quomodo iuuandi ſunt qui contrariis malis tenentur, præſumptionis & nimiæ confidentiæ; cap.14. pag. 651.
Quid agendum cùm accedit quis ad morientem qui parum iam mente valet. cap.15. pag.653.
Quid agendum cùm ægrotus vſum habet rationis & ſermonis, ſed eſt breue tempus ipſi reliquum. cap.16. pag 660.
De iis quæ agenda ſunt cum iis qui intellectu quidem valent, ſed voluntas illis ægra eſt, vt id faciāt quod facere eſt neceſſe. ca 17. pa. 661.
Quomodo agendum cum iis qui per miniſtros iuſtitiæ mortem violentam ſubituri ſunt. cap. 18. pag. 676.
De iis quæ ad morientem iuuandum faciunt, ſed ſine ipſo tractantur. cap 19. pag.683.
Quæ ad iuuandos eos pertinent qui aſſiſtunt morienti. cap.20. pag.687.

APPENDIX.

Quomodo adiuuandi qui propter delicta ſua damnati à iudicibus mortis ſententiam acceperunt. pag. 691.
Ordo commendationis animæ, ex Breuiario Romano deſcriptus. pag.717.
Proteſtationes faciendæ à moriente ex ordinario Romano. pag.749.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE